gallarin
t. 1.
22) . 52.

6
14-c

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 A
39

theca
l. Rom.
Jesu

d
65

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TARQVINII GALLVTII SABINI

E SOCIETATE IESV

ORATIONVM TOMVS I

LONGE AVCTIOR

EDITIO QVINTA

Sumptibus Fabricij David

Typis Gulielmi Facciotti

Romæ. Superioru permiſſu 1633

Coll. Romani

TIVS VITELLESCVS

OCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

…ECA NAZ… ROMA …ORIO EMANUELE

m volumen Orationum P.Tar-
uinij Gallutij, noſtræ Societatis,
s eiuſdem Societatis, quibus id
mmiſimus, recognouerint, & in
em edi poſſe probauerint; facul-
em concedimus, vt typis mande-
, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſge-
ti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro
ri Palatij videbitur. In quorum
m has literas manu noſtra ſub-
ptas, & ſigillo noſtro munitas
dimus. Romæ x Auguſti 1616.

Mutius Vitelleſcus.

Digitized by Google

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS

SOCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

...ECA NAZ... ROMA ...ORIO EMANUELE

CVm volumen Orationum P. Tarquinij Gallutij, noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ x. Auguſti 1616.

Mutius Vitelleſcus.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

EGo Hippolytus Strada Philoſophiæ, ac S. Theologiæ Doctor, iuſſu Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, perlegi orationes R. P. non modo diſerti, ſed etiam eloquentis Tarquinij Gallutij Sabini è Societate Ieſu. In quibus non ſolum nihil deprehendi contra Fidem, aut bonos mores, verum etiam ſpirantem dicendi facultatem, cum inſigni eruditione, ac pietate coniunctam. Quocirca vt egregiam hanc dicendi speciem poſteri & intueantur, & imitentur acquiſſimum iudico, vt Typis traditæ, quamprimum proferantur in lucem. In quorum fidem hæc manu mea ſcripſi. Die 20. Auguſti 1616.

Ita eſt ego Hippolytus Strada.

Reimprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſs P. Fr. Nicolai Riccardij Sac. Palatij Apoſtolici Mag. Ord. Præd.

IL·

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

MAPHAEO BARBERINO

S. R. E. Card. Ampliſsimo.

Tarquinius Gallutius. F.

HAS ego iuſſus orationes in volumen cogere, quæ domo mea iampridem egreſſæ, vagabantur incertis ſedibus temerè, ac ſine domino; confeſtim, Cardinalis Ampliſſime, putaui dandas eſſe in clientelam nominis tui. Cuius patrocinij poſſeſſionem antequàm ineo, quædam in limine, ſolemni iam ſcriptorum omnium formula, præfa-

Digitized by Google

rer, niſi viderem eſſe, vel ſuperuacanea, vel aliena. Si enim inertiam meam eo nomine purgem, quòd ſubito calore, ac feſtinandi neceſſitate potius effuderim iſta, quàm ſcripſerim, rem equidem veriſſimam dicam, ſed apud te non neceſſariam: qui omnium intelligis optimè, ſcripta ſe prodere ipſa per ſe, atque oſtendere quàm incurioſa ſint, & præciſo ſcribentis ſtudio properata. Si doleam, quòd vnà cum orationibus ipſam proferre nequeam in lucem eloquentiam, corporis actionem, quæ mihi dicenti plauſum fortaſſe aliquem, ac ſtudium audientis coronæ conciliauit, id ſanè dolebo mihi deeſſe, quod quia effingi literis vnquam à nemine potuit, & permagno æſtimatur ab omnibus, in Demoſthenis quoque ſcriptis deſiderari moleſtè tulerunt ij, qui eius aduerſus Aeſchinem orationem apud Rhodios in conuentu legerunt: ſed hoc nihil eſſet aliud, niſi

vel-

velle rerum ignaris perſuadere, actionis, & pronunciationis vi fucum tibi fieri, ac tenebras offundi facilè poſſe, qui & iudicio lynceus ſis, & cum in bicendo limatus, tum in omni diſciplinarum colore, formaque politiſſimus. Si profitear, id me ſequi, ac peroptare cum te patronum adopto, vt ab iſto, non dignitatis modo, ſed multiplicis ſapientiæ lumine lucem delibem aliquam ora:ionibus meis, fatebor enimuero ſimpliciter id quod res eſt: ſed tamen illud potiùs dicet aliquis vereri me oportere, ac pertimeſcere, ne mihi tanta iſta ſcientia, & eruditio ex omni rerum, literarumq. cognitione coagmentata, fax aliqua ſit, quæ faciat artificij mei vitia conſpectiora.

His igitur expunctis conquirendi principij cauſis, alioqui iuſtiſſimis, id exponam ingenuè, quod me potiſſimum impulit, vt auderem cum hoc deſpicatiſſimo donario ad aram iſtius

6
14 C

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 A
39

theca
. Rom.
Jesu

d
65

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Col: Romani

Digitized by Google

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS

SOCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

ECA NAZ. ROMA ...ORIO EMANUELE

CVm volumen Orationum P. Tarquinij Gallutij, noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ x. Auguſti 1616.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

EGo Hippolytus Strada Philoſophiæ, ac S. Theologiæ Doctor, iuſſu Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, perlegi orationes R. P. non modo diſerti, ſed etiam eloquentis Tarquinij Gallutij Sabini è Societate Ieſu. In quibus non ſolum nihil deprehendi contra Fidem, aut bonos mores, verum etiam ſpirantem dicendi facultatem, cum inſigni eruditione, ac pietate coniunctam. Quocirca vt egregiam hanc dicendi speciem poſteri & intueantur, & imitentur acquiſſimum iudico, vt Typis traditæ, quamprimum proferantur in lucem. In quorum fidem hæc manu mea ſcripſi. Die 20. Auguſti 1616.

Ita eſt ego Hippolytus Strada.

Reimprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſs P. Fr. Nicolai Riccardij Sac. Palatij Apoſtolici Mag. Ord. Præd.

IL.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

MAPHAEO BARBERINO

S. R. E. Card. Ampliſsimo.

Tarquinius Gallutius. F.

HAS ego iuſſus orationes in volumen cogere, quæ domo mea iampridem egreſſæ, vagabantur incertis ſedibus temerè, ac ſine domino; confeſtim, Cardinalis Ampliſſime, putaui dandas eſſe in clientelam nominis tui. Cuius patrocinij poſſeſſionem antequàm ineo, quædam in limine, ſolemni iam ſcriptorum omnium formula, præfa-

Digitized by Google

rer, niſi viderem eſſe, vel ſuperuacanea, vel aliena. Si enim inertiam meam eo nomine purgem, quòd ſubito calore, ac feſtinandi neceſſitate potius effuderim iſta, quàm ſcripſerim, rem equidem veriſſimam dicam, ſed apud te non neceſſariam: qui omnium intelligis optimè, ſcripta ſe prodere ipſa per ſe, atque oſtendere quàm incurioſa ſint, & præciſo ſcribentis ſtudio properata. Si doleam, quòd vnà cum orationibus ipſam proferre nequeam in lucem eloquentiam, corporis actionem, quæ mihi dicenti plauſum fortaſſe aliquem, ac ſtudium audientis coronæ conciliauit, id ſanè dolebo mihi deeſſe, quod quia effingi literis vnquam à nemine potuit, & permagno æſtimatur ab omnibus, in Demoſthenis quoque ſcriptis deſiderari moleſtè tulerunt ij, qui eius aduerſus Aeſchinem orationem apud Rhodios in conuentu legerunt; ſed hoc nihil eſſet aliud, niſi

vel-

velle rerum ignaris perſuadere, actionis, & pronunciationis vi fucum tibi fieri, ac tenebras offundi facilè poſſe, qui & iudicio lynceus ſis, & cum in bicendo limatus, tum in omni diſciplinarum colore, formaque politiſſimus. Si profitear, id me ſequi, ac peroptare cum te patronum adopto, vt ab iſto, non dignitatis modo, ſed multiplicis ſapientiæ lumine lucem delibem aliquam orationibus meis, fatebor enimuero ſimpliciter id quod res eſt: ſed tamen illud potiùs dicet aliquis vereri me oportere, ac pertimeſcere, ne mihi tanta iſta ſcientia, & eruditio ex omni rerum, literarumq. cognitione coagmentata, fax aliqua ſit, quæ faciat artificij mei vitia conſpectiora.

His igitur expunctis conquirendi principij cauſis, alioqui iuſtiſſimis, id exponam ingenuè, quod me potiſſimum impulit, vt auderem cum hoc deſpicatiſſimo donario ad aram iſtius

do-

doctrinæ interioris accedere. Videbam ita te ſolitum eos excipere, qui Muſis hiſce manſuetioribus delectantur, vt exterorum prope nemo Romam ingrediatur, qui te non conueniat: conuentumque ſic admiretur, vt palam pronunciare non dubitet, vnum te eſſe, cui, ſi facultas daretur, voluntas etiam eſſet fugientes literas à ſitu, atque ab interitu vindicandi. Sciebam, aliquam mihi apud te gratiam eſſe: quam mediocritati meæ præclari collegerunt adoleſcentes, affines, cognatiq. tui, quos olim ego eloquentiæ præceptionibus informaui. Itaque animum induxi meum, tibi ſic amanti liberales artes rem haud ingratam, illis tam impenſe mihi ſtudentibus etiam iucundiſſimam fore, ſi cum hoc quãtumuis leui munuſculo intrarem ad te; illamque ſtudio meo fouerem gratiam, quam eorum mihi beneuolentia comparauit. Vale.

IN-

Index Orationũ voluminis primi.

I. DE ſtudijs cognitionis, in ſolemni ſtudiorum inſtauratione Romani Collegij Anno 1600 pag. 1

II. De Encyclopædia, ſiue de multiplici doctrinarũ ſtudio cõtrahendo in ſtudiorum inſtauratione Rom. Collegij. 34

III. De doctrinæ fuco depellendo, in ſolẽni inſtauratione Rom. Collegij, ſub ipſa Comitia Sodalitatis Ieſu ex obitu Claudij Aquauiuæ Generalis. 63

IV. De ſtudio eloquentiæ ad Rhetoricæ Auditores in Romano Collegio, cum Auctor à ſacris concionibus ad eam docendam artem reuertiſſet. 97

V. De Rhetorum ornamentis ab Oratore diuino non abhorrentibus. 118

VI. De Virgilij allegoria vniuersè. 138

VII. De Virgilij allegoria morali. 159

VIII. De contextu Virgiliani operis allegorico. 188

IX. In Philippicas M. Tullij Ciceronis, ſiue de Ciceronis obitu. 213

X. De ſtudijs Humanitatis in Humanitatis Claſſe. 241

XI. De Chriſti Liberatoris obitu, in ſacello Põtificum Vaticano ad Paulũ V 260

XII. De Chriſti cæde ibidem. Ad eundem Paulum V. 266

XIII. In ſacrum diem Paraſceues. Ad eundē Paulum V. anno 1619. 273
X I V. De Chriſti funere, ac ſepulcro. Ad Vrbanum VIII. 280
X V. In funere Cardinalis Doſſati Galli. Cuius obitū alij Cardinales, virique Principes è vita digreſſi anteluerant. 290
XVI. In funere Roberti Card. Bellar. Romæ in tēplo domus Profeſſæ Soc. Ieſu. 305
XVII. In funere Illuſtriſs atque Excellentiſs. Io. Baptiſtæ Burgheſij Pauli V. Pont. Max. Fratris. Ad Cardinales. 339
XVIII. Legato Henrici IV. Galliç Regis Niuernenſiū Duci. in Claſſe Rhetoricæ. 360
XIX. Ferdinando Cardinali Gonzagæ. in Claſſe Rhetoricæ. 364
XX. Alexandro Borbonio Henrici IV. Gallorum Regis filio, Equiti Hieroſolymitano. Cum legatus extra ordinem ad Paulum V. Pont Romam venit. 371
XXI. In Satyram octauam Iuuenalis Præfatio. De Nobilitate. 379
XXII. De morali Philoſophia Præfatio. Cum Autor ab arte dicendi digreſſus Ariſtotelis libros de Moribus explicare aggrederetur. 403
XXIII De Hominis felicitate ab Ariſtotele tradita. Num diſſentiat ab ea quam proponit Chriſtiana Philoſophia. 433
XXIV. Bonum Regem perfici Morali, Ciuilique Philoſophia. 471
TAR-

TARQVINII GALLVTII SABINI

E Societate IESV

De Studijs Cognitionis Oratio I.

In Solemni Studiorum Inſtauratione Romani Collegij Anno M. DC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVAM mihi difficultatem affert propoſita hodierna luce ſapientiæ commendatio, eam ego niſi ratione, atque conſilio ſubterfugere poſſem, eſſet, cur equidem hoc initio dolerē apud vos Religioſiſſimi PP. ornatiſſimi Auditores: quòd cum mihi pro conſuetudine quotannis vſurpata ea materies ad dicendum oblata ſit, in qua ſapientiæ laudes, vt plerique ante me fecerunt, accurata oratione perſequi debeo, tam vberem ſegetem, ita bonam cauſam videam eſſe nonnullorum præiudicio impeditam. Cum enim

huius doctrina vniuerſa Collegij,certè magnam partem, ſola veri perſpicientia contineatur, ſunt,qui ſuſceptam à nobis ingenti labore prouinciam tractari minus vtiliter exiſtiment, quòd ab eà nulla proficiſcatur ad Reipublicæ commodum opportunitas: quæ non otium & quietem, ſed ſolertiam actionemq. poſtulare videatur. Qua igitur die ad tam illuſtre ſapientiæ ſtudium laudibus quantis poſſem maximis exornandum hunc in locum aſcendi, ea die, tanto exornationis fructu mihi carendum eſſet, ſi eos reprehendere vellem, qui huius diſciplinæ magiſtros quaſi rebus ad nullam partem vtilibus intentos, id vnum agere dicunt, vt iuuentutem ad ſtudia magis opportuna contendẽtem otioſa mentis occupatione detineant. Facile tamen ex hiſce cotibus enauigabo, ſi vos, quod mihi pernecesſarium eſſe intelligo, imbecillitatem orationis meæ veſtra humanitate,ac ſtudio cõfirmabitis. Sunt enim præterea multa, quæ me de hoc argumento in hoc conſeſſu dicentem poſſint à dicendo retardare:loci dignitas,atque amplitudo: eorum qui me audiunt,grauia nonnullorum iudicia: eorum qui ante me dixerunt, omnium oratio acutiſſimis inſtructa ſententijs. productum filum, ac tenue ſermonis mei; rei propoſitæ præſtantia, & magnitudo tanta, vt ſi aliqua in re defecero, iure optimo ſit accuſandum ingenium.Quę quoniam à veſtra mihi prudentia, atque humanitate facile credo explanatum

tum iri, iſtius beneuolentiæ vocante iam aura, vela pandam orationi.

Exploratiſſimum eſt, quod modo dicebam Auditores: contemplationis ſtudia nonnullorum vel improbitate, vel errore in inuidiam, & contemptionem adduci: qui haud tanti faciendi viderentur, ſi eius opinionis auctores ipſi, nullum haberent ſuæ ſententiæ ducem. Nam Epictetus homo cæteroqui Stoicus, & ſapientiæ ſtudioſiſſimus in paucis; qui ſola veritatis indagatione contenti fuere, eos ait re vera fuiſſe idiotas: in ſpeciem, & verbo tenus habitos eſſe philoſophos. Euphrates autem vir etiam ipſe ſua memoria ſapiẽs, hanc philoſophiæ partem dicebat eſſe pulcherrimam: agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere, atque exercere iudicium, quæque philoſophi docent, habere ſemper in manibus, atque in vſu quotidiano. Quod vetuſtioribus etiam Iuriſconſultis video mirifice placuiſſe: qui veluti gloriantes, illa de ſua laude litteris conſignata reliquerunt: veram ſe, non fictam; expreſſam non adumbratam, neceſſariam, non inutilem, ſplendidam, non abiectam philoſophiam, vt cæteros, conſectari. vt horum opinione iure optimo ab oratorum maximo dictum ſit, qui Rempublicam gubernent, qui vrbes, aut nouas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur, qui ſalutem, libertatemq. Ciuium, vel legum cautione, vel conſiliorum prudentia, vel iudiciorum grauitate cõſeruent, eos

quietæ philoſophiæ doctoribus eſſe longe anteferédos. Quapropter, quod à Poëta non obſcuro de otioſa virtute dicitur; ſimilem eſſe, vel taciturnæ lyræ, vel naui ad profectionem adornatæ, ſed ſemper in portu conſiſtenti, id iſtorum iudicio videtur in hoc ſapientiæ genus omni ex parte conuenire. Atque haud ſcio, an de huiuſmodi philoſophiæ ratione illud extet Senatuſconſulti decretum: vt Philoſophi, ad quos Iuuentus conueniret, totosq. dies otioſa deſideret, omnino Romæ ne eſſent. Certe Domitianus acerbiſſima voce præconis omnes ad vnū profectionem ab vrbe maturare imperauit: qua tempeſtate nonnulli Philoſophi nobiles in exilium amandati, partim in Lybiæ, Scythiæq. ſolitudines, partim in Hiſpanias, partim in alias oras ignobiliores abierunt. Ac ne horum pœna mitior eſſe videretur, traditum eſt, ab illo Imperatore permultos homines, & quidem claros, capitali ſupplicio damnatos fuiſſe, & interfectos, quòd operam Philoſophiæ dediſſent: quaſi minime ſatis fundari poſſet Reipublicæ ſalus, niſi Philoſophorum, hoc eſt inutilium hominum capite confirmaretur. Quid quòd ante Romanum nomen à Sophocle neſcio quo, decreto publico, ab Attica philoſophiæ parente, atque altrice, quid quòd toto regno à Lyſimacho, alijsq. nonnullis extrema cum ignominia Philoſophos eiectos eſſe accepimus? vt non vnius Ciuitatis, ſed publica gentium confeſſione pronūciatum videa-

videatur, non poſſe Reſpublicas abſolute conſtitui, niſi Philoſophi, deſidioſi homines, atque inertes è ciuitatibus eijciantur. Sed hæc æquius ferenda eſſent, niſi etiam fuiſſent, qui huiuſmodi ſtudia riſu Sardonico, ac Satyris plane Menippæis illuſerint. Scitum eſt enim illud de barone peruicaci, atque inſigni ſannione Icaro Menippo, quem ſcurra pudoris exhauſti Lucianus inducit. Is amore ſapientiæ, ſi Deo placet, incenſus, in Philoſophorum diſciplinam ſe dediſſe, commemorat: à qua denique eum ſe fructum accepiſſe animaduertit, vt multo quàm venerat reuerteretur indoctior: quando ab ijs qui omnia ſe ſcire profiterentur, id vnum didiciſſet, qua ratione de corporatis, atque aſpectabilibus dubitaret. In Deorum adeo concilio Ioui contra Philoſophos ab omnibus acclamatum eſſe confirmat: perde, incende, trucida, exure, in Tartarum, veluti Gigantes, hoc inutile terræ pondus fulminis igne deturba. Quo facilius intelligitis quanta mihi eorum iniurias depellendi neceſſitas impoſita ſit, qui has antiquorum voces, hæc exempla ſecuti, operam noſtram PP. induſtriam veſtram, Adoleſcentes, & aſpere lacerant, & dictis acerbiſſimis inſectantur. Sed mea longe alia ratio eſt, longeq. aliter animum induco meum. Prætermiſſa enim confutatione, quæ in loco requiri videbatur, omnem orationem eò conuertam, vnde facile id poſſit intelligi; ab illa doctrina, quæ in mentis agitatione conſiſtit,

cum ſplẽdorem ad Rempublicam honeſtandam eximium, tum fructus ad omnem opportunitatem vberrimos promanare. ita prætereunda confutatione, neque laudationis fructu priuabor, neque confutationem in ipſa negligentia prætermittam. Vnde vero commodius initium exornandi faciam, quàm à prima huius ſapientiæ laude? quæ tanta eſt, vt ſine tam opportunæ diſciplinæ præſidio abſolutiſſima eſſe non poſſit ea felicitas, cuius cauſa putat Ariſtoteles celebratos à mortalibus eſſe conuentus, & conditas Ciuitates. Nam quæ publica beatitudo eſt, niſi ea ipſa, quæ priuatim ſingulis primum attribuitur, tum in omnem peruadens ſociorum conuentum, cum tota pariter Ciuitate communicatur? Quì vero fieri poteſt, vt priuata ſingulorum felicitas cunctis abſoluta partibus ſine illa Philoſophiæ parte ſit, quæ omnem humanæ intelligentiæ vim in ſola veri cognitione conſtituit? Sunt enim multiplices, & vulgi, & Philoſophorum, & mediorum hominum de felicitate ſententiæ: nulla tamen ea vendibilior habita eſt, in qua ſapientiæ principem, omniſq. doctrinæ architectum fuiſſe accepimus Ariſtotelem. Vt enim ſexcentas illas antiquorum tritas, & peruagatas de beatitudine opiniones prætermittam; eſſe video, qui bonorum finem rebus ijs exiſtiment terminari, quæ omnium cupiditate mortalium expetuntur: valetudine, diuitijs, gloria, voluptate. qui quoniam felicitatem,

rem

rem natura ſua ſolidam, ac firmam in lubrico, atque in ancipiti poſitam volunt, ſic opinioum varietate, pro rerum, ac temporum commutatione diſtrahuntur, vt cum egeſtate premuntur, diuitijs, cum ægrotant, valetudine, cum vitam exigunt acerbiſſimam, ſummum bonum voluptate definiant. Alij, qui ſunt ingenio excelſiori, felicitatem prudentia circumſcribunt, & metiuntur: quæ quoniam actuoſam ciuium vitam moderatur ac regit, credunt etiam, in eadem ſatis idonea beatæ vitæ ſemina contineri. Sunt denique poſtremi, qui omni prorſus actione neglecta, beatitudinis vim ſolitaria veri cognitione comprehendant. Hos enimuero tanquam diuinos homines in hunc humanæ vitæ mercatum, non coronæ, non quæſtus, & lucri, ſed videndi ſolum cupiditate incenſos aiebat venire Pythagoras. Itaque, vt in ſumma dicamus, nemo iſtorum eſt, qui, quantum intelligi poteſt, ſummi boni certam, & propriam ſedem in altera hominis parte, vel animo, vel corpore, ſitam eſſe non putet; quique in ſingulis bonorum generibus, animi, corporis, & fortunæ, ſatis per ſe accommodata præſidia ad bene, beateq. viuendum inueniri non arbitretur. Ariſtoteles autem prudentiſſimus Philoſophorum, is, qui neque nimium ſæpe, neque nimium valde laudari poteſt, cum in vnaquaque illarum opinionum, ſi minus veritatem ipſam videret, vmbram certe veritatis animaduerteret, beatæ vitæ nimium illorum

malignitate contractæ fines, & quaſi pomœrium amplius proferens, ex triplici bonorum ordine compoſitam felicitatem in vtraque hominis parte, tam animo, quàm corpore collocare non dubitauit: ita tamen, vt corpus tanquam incertum beatitudinis tabernaculum, animum vero ipſum, proprium eiuſdem, firmumq. domicilium eſſe pronunciaret. Sed cum in animo duæ illæ ſitæ ſint facultates; appetitus, in quo pleræq. virtutes à recta ratione temperatæ collocantur, & mens, atque intelligentia; quæ tum res mutabiles atque inconſtantes, tum perpetuas, ac neceſſarias intuetur, & cogitat; ſic de animi perfecta felicitate ſtatuendum eſt, vt niſi appetitus honeſtate, ad quam eſt factus, niſi vtraque illa intelligentiæ vis, veritate, in qua vna conquieſcit, expleatur, abſoluaturque, vere beatus omni ex parte animus haberi non poſſit. Quæ vt ita ſint, multo tamen illud exploratiſſimum eſt, eam animi felicitatem, quam intelligendo, cogitandoq. res immutabiles obtinemus, ſic cæteris præſtare omnibus, vt in ea, & prima, & ſumma hominis felicitas reponenda eſſe dicatur à ſapientibus. Eſt enim in omni natura, quæ ſimplex, & ſolitaria non ſit, comparatum, vt vni, quod cæteris antecellat, principatus deferatur. Quo fit, vt ſi omnibus animi facultatibus ea vis, & præficitur, & antefertur, qua rerum immutabilium intelligentias animo, ac mente concipimus, illa profecto beatitudo

ante-

anteponenda ſit cæteris, quam veri perſpicientia, hoc eſt præſtantiſſima muneris functione comparamus. Vſque adeo verum eſt, quod tradunt viri prudentes, perfectam cunctis partibus felicitatem tanquam à capite, atque principio ab illa in primis ſapientiæ parte proficiſci, quæ mentis agitatione contenta, nihil amplius inueſtigat: à cæteris vero tantummodo inchoatam, & quaſi faſtigium à contemplatione requirentem corriuari. Quod ſi ciuilis illa beatitudo, quam omnis hominum cœtus à vago, ferinoq. victu intra oppidorum mœnia concluſus intuetur, & ſequitur, ex priuata ſingulorum felicitate conflatur, quotuſquiſque non intelligit, Ciuitates non poſſe fieri ſumme, perfecteq. beatas, niſi cum omni humanitatis officio, etiam ſolitaria veritatis indagatio miſceatur? Neque vero velim quiſquam exiſtimet, ciuile bonum numeris expletum omnibus, ita in anguſtum à me compelli, vt recte credam à Platone dictum, tum denique Reſpublicas fore beatiſſimas, ſi, aut Philoſophi eas regere inciperent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina, & ſapientia collocarent: cum præſertim ab antiquorum monumentis acceptum ſit, pleroſq. Philoſophos ab vmbratili exercitatione ad publica moderandæ ciuitatis officia digreſſos, non modo beatæ vitæ præſidia ſuis non comparaſſe, verum etiam tyrannidem crudeliſſimo dominatu exercuiſſe. Nam quid attinet hoc loco di-

cere de Critia, deq. ijs, qui cum Critia Philoſophiæ myſterijs initiati ſunt? quid de Tarſenſi Lyſia, quid de Athenione,quid de Demochare? quid de alijs propemodum innumerabilibus? qui ab otio Philoſophiæ ad Reipublicæ negotium promoti, tam acerba dominatione ſunt vſi, vt non Athenis ad omne humanitatis officium inſtituti, ſed in extrema barbarie ad Tyrannidem, atque ad lanienam informati viderentur. Non ergo propterea Sapientiæ diſciplinam tantopere in Ciuitate commendo, quòd putem, oportere vel Ciues omnes, vel omnes Ciuium moderatores philoſophari: ſed quod videam, ex illa Ciuium parte, quæ veri conſiderationem amplexa, actionem non tam contemnit, quam permittit cæteris, neſcio quid ſingulare, atque diuinum ad immortalem Reipublicæ commendationem exiſtere. Immo vero eos ipſos, qui ſicut dixi, veritatis indagationem optarunt, non ita illa contemplatione occupari oportere intelligo, vt quos tueri deberent, eos deſertos eſſe patiantur. Nam, ſi eo impediti ſtudio, ſuis opem ferre recuſarent, in capitale quoddam iniuſtitiæ genus incurrerent, nec ſecus irriderentur, ac Thales ille Mileſius à muliercula deriſus idcirco eſt, quòd in contemplanda ſiderum, cæliq. deſcriptione ſublatis oculis, in foſſam miſerrima prolapſione decidiſſet. Quamquam enim ij, qui non ſolum omni publico munere, verum etiam patrimonio, reiq.

reiq. domeſticæ procuratione neglecta, ad rerum naturam contemplandam in ſolitudines ſeſe receperunt, admiratione vulgi ſuſpicerentur, ab ijs tamen, qui melius, vtiliusq. ſapientiæ ſtudium ſequebantur, deſpicatui ducti ſunt ſemper, & cum irriſione neglecti. Mihi venit in mentem Socratis; qui ſe in ſyluis horum exempla ſecutum aliquando fuiſſe narrabat: in quibus diu, multumq. commoratus, cum nullam ex tot arboribus, ad ea, quæ ipſe interrogaret, reſpondentem audiſſet, domum illicò cum ea ſe opinione reuertiſſe aiebat, vt crederet, qui in ſyluis ætatem agerent, eos non cum feris modo, ſed cum truncis, atque ſtipitibus eſſe conferendos. Minus ergo mirandum eſt, ſi antiqui illi, atque agreſtes philoſophi, homines ſolitarij, nullamq. humanæ ſocietatis partem attingentes, & è Ciuitatibus eiecti ſunt, & multorum maledictis exagitati. Sed nos eum quærimus naturæ, rerumq. cæleſtium contemplatorem, qui non ſui dumtaxat amans ſit, aut ſolitarius, qui non pecunioſis, aut magiſtratibus allatret, ſed qui communitatem etiam diligat, qui modeſtiam, ac moderationem adhibens animi, ea, quæ commentatione didicerit, dicendo, in medium afferat ad publicas vtilitates. Ex hoc vero contemplationis, & ſapientiæ ſtudio, ſic, vt diximus, cum Ciuitate communicato, quæ commoda Deus immortalis, quam felicitatis abſolutionem conten derim hodie ad communem opportunitatem,

ſplen-

ſplendoremq. proficiſci? Nihil dico de agrorum cultura, nihil de medendi arte, quæ tum à Phyſicis, tum à Cæli, ſiderumq. cognitione ſuarum præceptionum cauſas, rationesq. delibant. nihil de re militari, nihil de nautica mercaturæ parente: nihil de ipſa mercatura: quarum artium conſectatores ab auguſto illo Mathematicorum templo quaſi reſponſa petentes, partim Aſtrologiæ, partim Geometriæ, partim Arithmeticæ rationibus erudiuntur. Dicam vnum, in quo fortaſſis vniuerſa comprehendam. Quid enim? non ne videmus prauas opiniones indoctæ multitudinis ab ijs ſolum eripi, qui in accurata naturæ, rerumq. cæleſtium inueſtigatione verſantur? Id vero tanti eſt, vt niſi quæuis Ciuitas hoc aſſequatur, vt ab opinionum portentis multitudinem liberet, non modo cæteris longe ſit inferior, verum etiam cunctis populis irridenda. Qui enim, neque horum doctrina ſunt exculti, neque huiuſmodi hominum vlla conſuetudine vtuntur, ita craſſas, & plumbeas in animo rerum notiones informant, vt ſimiles videantur antiquis illis Theſſaliæ populis; qui, cum forte aliquos tum primum equis inſidentes aſpexiſſent, crediderunt ſemiferos à ſe homines eſſe viſos; quos poſtea Centauros nominarunt. Redigite vobis in mentem antiquorum de Lunæ defectu ſententiam: qui cum cognitum non haberent, ſidus illud terris familiariſſimum luce lucere, aliena; ſi quando ex improuiſo deficeret, vene-

ficia

ficia in illa obſcuritate coarguentes,diſſono aëris crepitu Deæ laboranti opem ferre conabantur. Antiquos ego dico? libet hic ea commemorare, quæ hac ipſa memoria, ab ijs, qui nouum terrarum orbem adiere, certiſſimo teſtimonio ſunt accepta.Hi ergo populi,cum Luna, vt fit,in vmbram terræ inciderit,mortem ſideris pertimeſcunt:atque,vt ſunt opinioſiſſimi,in animum induxere,illo tempore à dracōne prægrādi, atque immani Deam illam maxime fulgentem,clariſſimamq.deuorari. quocirca clamoribus inconditis, terra, mariq. vociferari,ſaxa iacere tormentis exploſa, fores ædium contundere, voraciſſimum animal, vti Deam ſemeſam dentibus amittat, increpare. Cum enim ita natura comparatum ſit, vt homines admirabili cupiditate illa cognoſcendi teneantur, quæ ſemper habent in conſpectu:rerum cæleſtium, quibus neque ſunt oculis vllæ propter claritatem ſuam illuſtriores, neque menti propter hebetudinem noſtram obſcuriores, cauſas, & rationes auidius inquirant neceſſe eſt, quòd niſi veras aſſequātur,ridiculi omnino ſint, opinionum ſumma peruerſitate decepti. Quare,ſi quis in communi hominum cœtu exiſtat,qui labore,curaq. ſua lucem aperiat in illa luce,is profecto incredibilem Ciuitatibus vtilitatem afferre iudicabitur. Nota ſunt quæ ſcriptores de Sulpitio Gallo tradiderunt: qui militum factus Tribunus, cum in Lunæ defectu, quaſi diro minaciq. portento

copias

copias perterrefactas aſpexiſſet, aduocata concione, de Cæli natura, ſiderumq. ratione diſertè, atque appoſitè diſputauit. quare perculſa hominum mente abſoluta, tantos militi ſpiritus, atque animos fecit, vt de Perſe, cuius exercitus, quòd rationem defectus ignoraret, velut ictus ſidere peſtilenti obriguerat, nobiliſſima victoria ſit reportata. Quid vero dicam de Pericle Athenienſi, quid de Dione Siciliæ Rege, qui eius defectus prædicendi ſcientia, mira quadam opportunitate ſunt vſi? quid de Nicia clariſſimo alioquin Atheniēſium Imperatore? qui ex hac ignoratione ad ſideris obſcuritatem exanimatus, cum portu claſſem educere veritus eſſet, ſuæ Ciuitatis opes, & fortunas priuatorum afflixit. quid denique de Druſo? qui ad exercitum imperia detrectantem à Tyberio miſſus, primam noctem acerbitate militis ſane minacem, in ſcelus, ac parricidium ſuo cum exitio vidiſſet erumpere, niſi Lunæ radijs repentino terræ interiectu hebetatis, effuſam in ſe turbam ab incœpto flagitio iniecta religione deterruiſſet. Sed ad res, vel terris impoſitas, vel cælo, terriſq. interiectas à ſideribus ipſis abeamus. Non ne opiniones multo magis irridendas confingent in his imperiti, quorum cognitio eo plus allicere videtur, quo frequentius, & pluribus locis non ſolum oculis occurrunt; verum etiam manibus contrectantur? quid enim illi comminiſci poterūt, aut quid poterunt non comminiſci, cum de perennibus
aqua-

aquarum fontibus, de grandine, de pruinis, de niue, de terræ motu, de mundi figura, de tonitruis, de pluuijs, de ventis, de fulminibus cogitabunt? Accipite quæ de ioculari quadam, incredibiliq. quorundam inſania Græcorum litteræ prodiderunt. Pſylli, Auditores (Libiæ hi populi ſunt) cum Auſtrum aſpiratione peſtifera, campis haberent, ac frugibus infeſtiſſimum, ſic idoneam de huius venti natura opinionem imbiberant, vt dies noctesq. de vlciſcenda tam importuni hoſtis iniuria cogitarent. Quid vero? quid factum putatis? vereor, vt oratio mea fidem ſit habitura: ita tamen hiſtoriæ parentis Herodoti monumenta teſtantur. Coacto ſenatu, in publico cœtu, de bello aduerſus Auſtrum inferendo deliberarunt. Et dictæ quidem ſunt grauiſſimæ in ſpiritum illum ſententiæ: dimiſſoq. concilio, adornata illico expeditio eſt; ductus innumerabilis exercitus, pugnatum acerrimè: ab Auſtro denique ingenti mole pulueris excitata, ineptiſſimi homines ad vnum omnes ſunt occidione deleti: quos ſine dubio retinuiſſent, & Reipublicæ conſeruaſſent Phyſici, ſi eos de Ventorum natura docuiſſent. A permultis accipio, Iaponas, ac Sinas, qui non ita ſuperioribus annis ſalutari doctrinæ conformatione manſuefieri cœperunt, nullam pene diſputationem audire libentius, quàm quæ in huiuſmodi naturalium rerum explicatione verſatur; nec alios ex omni mortalium numero auidius, quàm peritiſ-

ſimos

ſimos doctrinæ Magiſtros in illo genere poſtulare. Quin alias fuiſſe gentes didici ex monumentis aliquorum, apud quas Philoſophi, qui in ſola naturæ quæſtione occupati erant, vel honorabantur quaſi viri cæleſtes, vel tanquam mortales Dij cum veneratione, ac reuerentia colebantur. Ad quos Incolæ, anni principio, velut ad oracula concurrentes, eos de futura ſiccitate, de imbribus, de ventis, de morbis, alijsq. permultis, quorum cognitio eſt humanæ vitæ perutilis, curioſe percontabantur. Quantum ergo de Republica merentur hi, cæli, naturæq. deliteſcentis interpretes, ſine quibus ne illa quidem, quæ ſenſibus experimur; ne nos quidem ipſos agnoſceremus? Sed ſunt alia tamen, in quibus eorum deſudat opera, multo ſane præſtantiora, & grauiora. Illa enim quæ in Religionem virtutum omnium Reginam, ac parentem conferunt, explicari vix poſſunt; cum ſuperſtitiones tollant, cum mortales de Dei natura diligenter edoceant, cum diuina iura, cum omnes populo ſanctitates interpretentur. Tritum eſt illud, atque omnium ſapientium ſermone vulgatum: nullam fuiſſe gentem ita feram, ac barbaram, quæ diuinam aliquam naturam eſſe non fateretur: ſed qualis illa natura ſit, nunquam inter omnes potuiſſe conuenire; adeoq. in ea vnumquemque fuiſſe ſemper hæreſi, in quam ſua ipſe ſuſpicione duceretur. Hanc ergo tam abditam, ac retruſam, ita tectam, atque obuolu-

uolutam diuinæ naturæ notionem cum nobis euoluant ij, qui veritatis capti, ductiq. cupiditate contemnunt cætera, quis obſecro non intelligit, quàm iſtorum opera,non modo Reipublicæ ſit vtilis,verum etiam neceſſaria? eſt enim dictu difficile, quàm varias, quàm errantes, & ementientes opiniones vna ſuperſtitio pariat, vbi ad aliquam naturam diuino cultu venerandam nata nobiſcum lege compellimur;ſed diuina natura qualis ſit,ignoratur.Sint illa leuia,quæ de portentoſis ſuis,& commentitijs Dijs excogitauit antiquitas; cum ne meretriculis quidem, aut ſtabularijs diuinos honores denegatos eſſe ſciamus. Ne ſit abſurda Saporis Perſarum Regis inſana illa, neque ſatis vnquam deriſa gloriatio: qui ſe non modo Deum, ſed ſtellarum etiam familiarem,ac ſocium,Lunæ, Solisq. germanum appellabat. Fuerit parum quod ſcriptum de Mendeſijs eſt: honorem ac reuerentiam, quam præſtare poterant maximam,eam ſuperſtitioſos homines Caprarijs adhibuiſſe. Nihil dicatur de Tonemphoarum amentia: qui pro Rege,hoc eſt pro publicæ tranquillitatis cuſtode, canem eligere ſoliti ſunt, à cuius motu, velut à nutu diuino, munera, magiſtratus, Imperia, quæ vnicuique obtinenda eſſent, ſine vllis Ciuium deliberationibus augurarentur. Sileatur de nonnullis Indiæ populis, quos hac tempeſtate cognitum eſt Amaracum,herbam odoratam, venerari pro Numine; & Deos ſic pro arbitratu fingere,

B ac

ac refingere, ſic habere in poteſtate, vt ſi poſt oracula reddita res non ita ſucceſſerit, vti reſponſum erat, eos quaſi mendaces, atque inuerecundos pueros verberibus acerbiſſimis accipiant. Prætereamus denique quæ de Turcis, Epicureis illis armatis, hoc tempore pluſquam impia circumferuntur. Nulla enim ab illis beata ſecundum obitum vita exiſtimatur eſſe, niſi libidinoſa, & voluptaria, nulla diuinitas niſi concreta, & corporata; nullæ de cæleſtibus informatæ animis intelligentiæ, niſi quæ anicularum fabulæ, ac ſomniantium deliramenta videantur. Hæc inquam, vel ita putida, vel è tam antiqua ducta memoria, tamque remotis repetita regionibus hoc loco, atque in hac, quam hodie ſuſcepimus, diſputatione taceantur. Illud taceri diſſidium non poteſt, quod intra Chriſtiani orbis fines in Euangelij luce, vitio prauarum de religione opinionum, Prouinciæ nobiliſſimæ longo iam tempore perpeſſæ, non modo quæſitam ab omni natione felicitatem non ſunt adeptæ, verum etiam concordiam, in qua beatæ vitæ vis omnis, & natura conſiſtit, amiſerunt: ſic prorſus, vt non dicam vna Ciuitas, vna gens, vna familia, ſed vna plane domus de ſua hæreſi, quaſi pro aris, & focis ipſa ſecum digladietur, & pugnet. Scitè quidem, prudenterq. Ciuitatum, ac legum conditores feciſſe putantur: quòd cum viderent, eſſe perdifficile, populos in officio continere, niſi belli, paciſq. artibus Numinis quoque

que metus adderetur aliquis;ad religionem animis inferendam operam omnem, ac ſtudium ita contulere, vt etiam honeſto, quemadmodum credebant ipſi, mendacio, fidem ſibi conciliarent, familiares cum Dijs congreſſus, & colloquia ſimulando. Itaq. Romæ Numa Pompilius ad Ægeriam, in Scythia Zamolxis ad Veſtam, Carthagine Charōdas ad Saturnum, Zoroaſtres in Bactris ad Oromaſin, in Creta Minos ad Iouem, Draco, & Solon Athenis ad Mineruam, Licurgus ad Apollinem, & quod caput eſt, Mercurius ille ter Maximus ad Mercurium Deorum Nuncium, ſuarum præceptionum inuenta referebant. Prudenter inquam, & hi feciſſe putantur, & qui ex virtutibus, quæ humanam omnem ſocietatem ſartam, tectamq. conſeruant, Religionem principem eſſe dixere, iudicarunt etiam recte: tum quòd homines ad manſuetudinem, & facilitatem illa virtus inſtituit, tum quòd in ea iuſtitiæ parte verſatur, quæ debitum Deo retribuit, cui omnia, & velle debemus, & facere. Niſi caueatur tamen, vt non modo cultus, atque officium illi præſtabili Naturæ tribuatur, Numinis inijciatur metus, aræ, templa, ſacra, ceremoniæ inſtituantur; ſed etiam vt doctrinæ beneficio cognoſcatur impenſius, quæ Deo vis, atque excellentia ſit, quæ attributiones, ac tituli, quæ ſacrorum, aut religionis ad eum rite colendum ratio poſtuletur: niſi denique videatur, vt ſit in his Ciuium omnium vna, & quidem ſumma

conſenſio; tantum abeſt, vt inconſtans,& vaga religio proſit, vt nihil illa varietate fieri poſſit efficacius ad omnem hominum cœtum labefactãdum. Nunquam enim tam obfirmato ad mortem curritur animo, quàm cum de religione certatur: neque vlla tam acerba, tam diuturna, tam capitalia exiſtunt odia, quàm quæ à Religionum varietate naſcuntur. Huc profectò pertinebat illa duodecim Tabularum prudentiſſima ſanctio: vt ne priuatim haberentur Dij, neue ſacra externa,& peregrina reciperentur, quæ antea Reſp. non recepiſſet. Intelligebant enim graues illi legislatores, tam ſumma in eo genere Ciuium conſenſione ciuitatem omnem coagmentari poſſe, quàm ſectarum multitudine, ac varietate diduci. Atque vtinam iſtud ab illo ſuperſtitionis famoſiſſimæ buccinatore Mahometo nunquam prouiſum fuiſſet: qui ex abiecto Camelorum redemptore factus repente buſtuarius gladiator, ex gladiatore diuinus, prouincias orientis Solis vniuerſas, litterarum, ac ſapientiæ ſtudio ſublato, noua religione imbuit, ea lege promulgata, vt qui dogmata illa probaſſet, ſi vnquam poſtea de recepta ſuperſtitione rationibus diſputaret, is ſupplicij capitalis illicò fieret reus, & extrema pati cogeretur. Quid deinde conſecutum ſit, nemo eſt, qui non habeat exploratum. ſublata recta in Deum obſeruantia, profanatus pudor, vulgata viliſſimè corpora, receptum cum flagitioſa doctrina palmare flagitium: in ſuper-

ſtitio-

ſtitionis tamen vnius admirabili omnium conſenſu etiam inter Tyrannicas dominationes regnatum diutius, quàm poſt hominum memoriam ſit auditum. vt hinc demum intelligere liceat, quanti Reipublicæ interſit, in vnam, eamq. rectam, & caſtigatam religionem conſpirare omnes, cum tantum ſit etiam in falſa præſidij ad hominum animos illa cerimoniarum communione conglutinandos. Hoc igitur amplius ijs, qui commentandi ſtudio de Republica bene merentur, adſcribatur, quòd eorum officio, ſuperſtitionum omnia monſtra tollantur, quòd religionum multitudo ad vnum, eumq. certiſſimum Dei cultum, ad vna, eademq. ſacra, & ceremonias reuocetur. Nam quæ ars in qualibet anteacta memoria Dei naturam patefecit antiquis, niſi eorum quieta diſciplina Philoſophorum, qui res obſcuriſſimas accurata cauſarum, effectorumq. contemplatione mortalibus aperuerunt? Quis inquam immutabilem illam Mentem animo percepiſſet vnquam, æternam, abſolutam, ab omni compoſitione ſeiunctam, omnia mouentem, & gubernantem, niſi in tanta rerum obſcuritate Philoſophorum lumen affulſiſſet? Iam in Chriſtiana Republica, cui admirabilia quædam, atque inaudita ipſe per ſe demonſtrauit, ac retexit Deus, quid tandem eſſet, quod ſectas, quod familias, quod opinionum varietatem tollere poſſet, niſi Theologorum ſumma doctrina extitiſſet, bonam partem à quietæ philoſo-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

phiæ fontibus accerſita? qui cum ſanctitate, hoc eſt Dei colendi ſcientia ſint imbuti, & rationem longinqua commentatione didicerint, quamobrem, & quomodo cultus, ac veneratio Numini debeatur, gentes innumerabiles, tam varijs, tam remotis locis ſeparatas acutiſſimo doctrinæ genere ad diuinam naturam rite caſteq. venerandam informarunt. Neque enim audiendi nonnulli ſunt, & quidem ſuo iudicio docti, ac ſapientes, qui hoc tempore aduerſus exquiſitam Theologorum commentationem ea rumoribus, & multiplici ſermone diſſeminant: eſſe ſatis illam eius diſciplinæ partem excolere, quæ ad actionem refertur, cætera, quæ de diuinis traduntur, non ſic exiliter, & exigue reſecanda eſſe, ſed perſtringenda curſim, & quaſi per ſumma capita obeunda. Nam quid iſtud eſſet aliud, niſi Chriſtianam Rempublicam ad eam doctrinæ mediocritatem reuocare, qua leuiter aſperſa fuiſſe dicitur, cum è popinis, & latibulis ſuis emerſere, qui, vt erant ingenio vafro, atque ad omnem temeritatem proiecto, Sophiſtarum præſtigijs principiò plebeculã illiteratam, & ganeones; deinceps etiam eos, qui doctiores exiſtimabantur, ad nouas religionum hæreſes perduxerunt: eamq. in illa ſcientiæ tenuitate opinionum ſuarum fecere ſementem, quam hodie radicibus bene firmatam ſuccidere quidem poſſumus, penitus euellere, atque extirpare non poſſumus. Recordamini, quod ſine lacrymis re-

cor-

cordari non poſſumus, acerbiſſimum illud totius Germaniæ vulnus, quo miſere ab infami deſertore nobiliſſima prouincia confecta, rectum ſalutis iter, à quo ſemel aberrauit, inuenire vix poteſt. Illud ego loquor vulnus, quod non plurimis ante annis Martinus Luterus, fædiſſimi buſti cadauer extremum, Chriſtianæ Reipublicæ grauiter impoſuit, cum noua proſeminata ſuperſtitione, ab auita, caſtaq. pietate plurimorum iudicia voluntatesq. diſtraxit: cum nouam in longinqua prouincia diuini cultus formam, & rationem inſtituit, Romani Pontificis auctoritate non eleuanda ſolum, verum etiam conuellenda: tantosq. habuit in illa peſte circumferenda progreſſus, vt nimium deploranda videantur eſſe, quæ ſunt poſtea conſecuta. Quid enim? in errorem longè perniciosiſſimum implicati etiam viri Principes: ſublatæ, tum Dei, tum Sanctorum effigies: inuolatum repente in opes religione maiorum Eccleſijs aſſignatas: expilatæ aræ: templa, quà direpta, quà diſturbata: rerum ſacrarum procuratio, vel vſurpata vitio, vel neglecta: deprauati mores, atque peruerſi; dubius ſanguis, permiſtum genus: matrimonia vaga: permiſſum iis, qui cælibem vitam Deo cum ſacramento addictam agerent, vxores ducere: ac ne qua res cuiquam in religione venire poſſet, idem ſe tam ſanctæ doctrinæ ſeminator, idem ipſe tam nefaria Tragœdia primarum partium actor, abductam è ſancto cõtubernio Virginem

 ha-

habuit peſſimo publico concubinam. Ne multa. iura omnia tam diuina, quàm humana perturbata: in opiniones ridicule pugnantes diductæ ampliſſimæ prouinciæ; & in eodem cœtu quot capita, tot ſententiæ. Scio nonnullos eſſe, qui omnem culpam in hominis auaritiam ideo conſerant, quòd à Pontifice Maximo adempta ei facultate remiſſionum promulgandarum, quas Indulgentias dicimus, quæſtum, quem illo præconio facere potuiſſet, ereptum ſibi eſſe moleſtiſſime ferret. Non ignoro, eſſe ſcriptores auctoritate longe grauiſſimos, qui principem cauſam tam in Luteri cupiditatem, quàm in aliorum ſordes corriuent; quòd nimirum auariſſimi quidam homines in prouincias profecti, defunctorum animas igne purgante cruciatas Pontificis clementia pretio venditata, eiusq. mercaturæ vectigali etiam feminis attributo, malo cum exemplo ſe liberaturos profiterentur. Video denique alios exiſtimaſſe, non bene ſub initium huic malo medicinam eſſe factam, quòd temerè ac nimium ſubitò ad extrema concurſum eſt. Quæ vtrum verè dicantur, an ſecus, aliorum ego iudicium eſſe volo. Mihi certe illud exploratiſſimum eſt, ab illorum penuria, & paucitate, qui ſtudia rerum diuinarum amarent, totosq ſe ad perquirendam veritatem conferrent, eſſe factum, vt illa peſtis, & impunè vulgaretur, & diuulgata, quo minus ſerperet quotidie latius, vix potuerit impediri. Qui enim res ſacras ea tem-

tempeſtate procurabant, ſi fuiſſent non litteris tincti leuiter, ſed doctrinarum omnium ſcientiſſimi, animaduertiſſent principio, minus ſanas opiniones ab inſaniſſimo Hiſtrione publicari; & hominis amentiæ, doctrinæ, ac ſapientiæ vi facile potuiſſet occurri. Quocirca tandiu illa contagio graſſata libere, ac licenter eſt, quoad viri apprime periti, & callidi quaſi conceſſi diuinitus extiterunt ad tantũ improbi veteratoris malum auertendum. adeo certum eſt, neque mediocrem eſſe debere doctrinam, quæ in rerum diuinarum cognitione verſatur, neque media eſſe illorum in Rempublicam officia, qui mentis exercitatione quietiſſima ſunt occupati.

Sed ne ſolum illa, quæ ab hoc ſapientiæ genere ad Reipublicæ commodum in religionem conferuntur, exornare videamur; vnum ab Vrbium incremento petitum in hac poſtrema parte orationis adiungam argumentum, quod multo poſſit plurimum tantam, tam vtilis diſciplinæ opportunitatem declarare. Eſt enim admirabile, quantum illud commentandi, cogitandiq. ſtudium valeat ad omnem Ciuitatem, non illuſtrandam modo ſplendore nominis, ſed hominum quoque frequentiſſimo conuentu amplificandam. Arbitror adeo doceri veriſſime quod traditur à nonnullis, complures quidem eſſe cauſas, cur Ciuitates alijs aliæ ſint frequentiores: religionem, ac pietatem, qua factum eſt, vt aliquando Hieroſolymæ vicies, quinquies cente-

na capitum millia cenſa ſint:mercaturam,atque opificium, quæ quantum in eo genere poſſint, Italiæ ciuitates nobiliſſimæ innumerabili hominum concurſu teſtificantur: commune multarum gentium forum; quale hoc Pontificium Romæ videmus, in quo velut in ſacro populorum omnium Areopago, vniuerſo terrarum orbi ius dicitur: immunitatem, libertatem, leges priuatas,atque alia ex illo genere permulta,quæ vniuſcuiuſque Ciuitatis non muros tãtum,immoto fine proferre, verum etiam famam poſſint aucta frequentia dilatare. Hæc inquam recte dici puto,& de cauſis amplificandarum Vrbium accommodatè. Sed tamen in liberalium artium publicis Academijs ad eam rem conſequendam tanta poſita vis eſt,atque præſidium, vt hæc ciuitatis augendæ ratio, vel cæteris par, vel omnium potiſſima eſſe iudicetur. Quare, poſteaquam Galeatius ille Vicecomes ſummopere cupidus illuſtrandi Ticini,in ea vrbe, quam frequentiſſimam eſſe volebat regio plane ſumptu Gymnaſium liberalibus artibus excitauit, cauitque ne quiſquam ſuæ ditionis aliò ſe ad diſciplinas comparandas conferret;alij quoque Principes,& quidem plurimi ad eandem incenſi laudem & gloriam,cum ciuitatem aliquam nobilitare voluerunt,conſtituto ibi doctrinarum omnium quaſi mercatu, grauiter edixere, ne quiſquam è ſuis doctrinæ cauſa exterarum gentium Academias adiret. Quod ſi eas tantum diſciplinas,

nas, quæ actione terminantur,in ciuitatibus eſſe voluiſſent,non etiam eas,quæ ſola cognitione circumſcribuntur, compertum habeo, multo minorem illorum numerum futurum fuiſſe, qui ad eas vrbes perdiſcendi ſtudio proficiſcerentur. Nam cum duæ illæ ad gloriam viæ,quarum pro ſe quiſque ingreditur aliquam, tritæ ſint,& proculcatæ; militiæ ſtudium, & ſapientiæ: quæ duas iterum quaſi ſemitas illo duplici quietæ,actuoſæq. genere demonſtrat; dici profecto non poteſt, quantum ille concurſus, & frequentia retardata eſſet, ſi altera via fuiſſet ad laudem intercluſa. fuiſſet autem,ſi eas diſciplinas neglexiſsēt,quæ in veritatis inquiſitione ſunt collocatæ. Vt enim vulgo dicatur, apud nos commentandi ſtudia, & contemplationis artes non ita liberum,ac patentem ad gloriam habere aditum; ſcio tamen apud multas exterarum regionum nationes ad dignitatis gradus excelſiſſimos iter expeditum comparare Quo fit,vt longinqui, ac peregrini facile ad eas adeant Ciuitates,in quibus illud ſciētiæ ſtudium florere intelligunt, quo domi ſuæ vti poſſint ad laudem ampliſſimam conſequendam. Hoc vero quàm pulchrum eſt Deus immortalis? quàm præclarum, quam expetendum? conſuli à nationibus exteris, conueniri,ſuſpici nomine ſapientiæ, & cauſa contemplationis honorari?Nam ſapienter ab Ariſtotele dictum eſt,qui facultatibus illis imbuti ſint, quæ ſua ipſarum poſſeſſione minime

con-

contentæ, aliò referuntur; laudem illos quidem promereri; ſed qui ea ſapientiæ parte ſint ornati, quæ ſe ipſa contenta eſt, ſibiq. ſua tantum cognitione facit ſatis, ijs honorem, ac dignitatem quaſi cæleſtibus viris eſſe tribuendam. Habet enim quiddam, non modo excellens, verum etiam diuinum ea res, quæ nihil extra ſe ipſam expetit amplius, nihil requirit externum. Quid ergo pulchrius, quid honeſtius, quid ad omnem exiſtimationem optabilius, quàm eos habere in Ciuitate, quos & admirentur Ciues, & exteri quaſi diuinos, atque cæleſtes venerentur? Quid beatius, quid magnificentius, quàm ijs hominibus eſſe Ciuitatem inſtructam, à quorum lumine lumen alijs, vt ille dixit, accendatur, à quorum doctrina tanta in alios admiratio peruadat, vt non laudētur modo propter vtilitatem, quam pariunt publicam, ſed cum veneratione, ac reuerentia, propter excellentiam, veluti quædam Numina ſuſpiciātur? Poſſem hic ego Ægyptios hoc nomine feliciſſimos appellare: ad quos à toto ſapientium choro peregrinationes multo longiſſimæ ſapientiæ cauſa ſuſceptæ ſunt. Etenim, vt à poëtis incipiam, quo genere, vt cum oratore diſertiſſimo dicam, nullum exiſtimatum eſt ſapientius, Orpheus, vnus ex antiquis Theologis, Homerus, ac Muſæus poëtæ nobiles, quibus eam artis diuinitatem niſi Ægyptijs referre debuerunt acceptam, quos tum è proximis, tum è longinquis regionibus adierunt? Quid vero

Dæ-

Dædalum commemoro? quid Lycurgum? quid Solonem Athenienſem, quid Platonem, quid Pythagoram, quid eius diſcipulum Zamolxin, quid Eudorum Mathematicum, quid Democritum Abderitem, quid alios; qui ad Ægyptios profecti, eam orbium cæleſtium, terræ, ſtirpium, naturæ denique vniuerſæ cognitionem hauſerunt, qua totus terrarum orbis, atque ipſa demum humana vita omnis eſt illuſtrata? Poſſem Athenas præterea, perbeatam illam Ciuitatem hic excitare: ad quam Romani etiam in ampliſſimo dominatu ſe conferre ſoliti ſunt, vt eos de ſapientia conſulerent, qui à ſe iura petere cogerentur. Sed vt hæc, aliaq. facile prætermittantur, Lutetia Pariſiorum facit: quæ Vrbs, vt omnium liberaliũ artium ſemper habita ſit quaſi dux, & magiſtra, illo tamen tempore, quo dicta eſt florentiſſima, ea maxime ſtudia coluit, quæ in ſola veritatis conquiſitione pernoctant. qua tempeſtate acceptum eſt, ad triginta adoleſcentium millia numerata fuiſſe, eorum, qui ſolo diſciplinarum ſtudio in ea ciuitate commorabantur. Quid iјs tectis, aut ſplendidius, aut felicius dici potuit, ad quæ vſque à poſtremis terræ finibus ſcientiæ conquirendæ cauſa tam auidè concurrebatur? Quid Academia illa fieri potuit honorabilius, quæ tanquam ſapientiæ domicilium, ac veluti Delphicum templum, à tanta peregrinorum multitudine conſulebatur? Quid illa Ciuitate frequentius, quæ ſola liberalium artium do-

doctrina tot homines intra mœnia continebat, vt ſi ſeparati fuiſſent, ac ſolitariè poſiti, non modo iuſtam, verum etiam amplam, copioſamq. ciuitatem ipſi per ſe conſtituere potuiſſent? quorum ego magnam partem idcirco crediderim operam veritatis commentationi dediſſe, quòd eorum plurimos, qui ex illa multitudine ſcriptis litteris etiam nunc apud poſteros nominis immortalitate ſuperſunt, vel in naturalium, vel in diuinarum rerum cognitione peruigilaſſe ſciamus.

Sed vt orationem infinitè fluentem ab effuſo curſu reprehenſam tandem aliquādo referamus in gradum, vos appello, atque obſecro Adoleſcentes, vt quantum Reipublicæ proſit illud ſapientiæ genus, quod in naturæ veritatisq. diſquiſitione verſatur, veſtro ipſi ſtudio, veſtra diligentia, quaſi certiſſimo ſuffragio conſtituatis. Vos præcipue mea ſpectat oratio, qui huc ſapientiæ perdiſcēdæ cauſa conuenitis. Iſtud agite per Deum immortalem: & qua cœpiſtis, cum eadem animi alacritate contendite: rati, non vulgare vos aliquod, aut medium officium patriæ, propinquis, amicis, vicinitati, hominum denique ſocietati vniuerſæ præſtare, cum in ea ſtudia neruoſius incumbitis, quæ opinionū portenta Herculeo prope labore de medio tollunt, quæ ſuperſtitionum, & varietatem, & vanitatem excludunt, quæ tranquillas, quæ admirabiles, quæ amplas, quæ frequentes, quæ honorabiles,

les, quæ beatiſſimas, quod caput eſt, efficiunt ciuitates. Diuinitus dictum exiſtimate: lucis vſuram ita nobis tributam eſſe, vt ex ea partem patria; partem propinqui, partem amici, partem communis hominum ſocietas ſuo plane iure repetere poſſit. Quid ergo? parum ne Reipublicæ, parum patriæ, parum propinquis, atque amicis, parum communi hominum ſocietati retribuetis, cum rerum aſpectabilium naturam è ſuis inuolucris, atque integumentis explicabitis: cum eam hominis partem doctrinæ cultura expolietis, in qua beatitudo principem, ac primariam veluti ſedem habet collocatam: cum opinionum de diuino cultu diſſentientium multitudine, ac diuerſitate ſublata, conſenſionem, mutuamq. Ciuium conſpirationem fouebitis: cum ſummos, medios, infimos, externos, propinquos, alienos in admirationem ſapientiæ veſtræ conuertetis; cum veſtræ ciuitatis amplitudinem, dignitatem, frequentiam, beatitatem pro virili parte ſtudioſiſſime promouebitis? Habet Roma, caput hoc vrbium, innumerabilia, quæ humanum ſupra faſtigium poſſint vnamquamque ciuitatem amplificare. Si poſitum attendas, amœniſſimos vides circa colles, flumen opportunū, quo ex mediterraneis locis fruges, ex maritimis commeatus accipiantur: mare ad commoditates vicinum, ad pericula claſſium externarum ſatis remotum. quid plura? prouinciarum medium, Italiæ vmbilicum, atque ad icteru-

Digitized by Google

mentum vrbis, vt ille dixit, vnice natum locum. Si externa magis, atque adiacentia circumſpicias, quæ agrorum bonitas? quæ frugum vbertas? quæ hortorum pulchritudo? quæ villarum frequentia? quæ celebritas ſuburbiorum? Si magis inſita, intimaq. conſideres: quæ vrbis facies, quæ magnificentia ædium? quæ ſtructuræ templorum? quæ viarum amplitudo? quæ Ciuium humanitas? quæ copiæ? quæ rerum omnium affluentia? quæ iudicia? quæ immunitas, quæ religio? Tecta ipſa, Deus immortalis, ipſæ parietinæ, ac ſaxa, non tam ciuium attrita pedibus, quàm oſculis peregrinorum exeſa, è remotiſſimis terræ finibus Ciuitates, prouincias, regna ad ſe trahere ſua ſanctitate videntur. Declaratum eſt à nationibus illis in orbe tam longinquo poſitis, vt aduerſa nobis veſtigia vrgere dicantur: quæ hac noſtra memoria è ſuis ſedibus excitatæ in hanc vrbium arcem ad diuina iura religioſè petenda conuenerunt. Teſtem appello luſtralem hunc annum, quo tot, tam remotarum gentium huc concurſus eſſe factos, atque adeo fieri ſcimus, vt planè poſſit intelligi, de Romani nominis amplitudine omnium populorum animis hanc eſſe opinionem impreſſam; eos habere ſecundum obitum iter ad cælum expeditiſſimum, quibus antea fuerint horum templorum aditus patefacti. Sunt igitur huic Vrbi permulta præſidia ad bene, beateq. viuendum, ſunt ad omnem amplificationem, ornamentum, digni-

gnitatemq. permulta: quibus ſi liberalium artium ſtudia vniuerſa, florentiſſimasq. diſciplinarum omnium officinas addamus, neſcio quid hac vrbe frequentius, quid auctius, quid nobilius, quid inſtructius, quid admirabilius poſſit, aut beatius excogitari. Sin autem contemplationis artes contemnerentur; verendum profecto eſſet, ne de huius Vrbis frequentia, perfectaq. felicitate plurimum detraheretur: quæ vt in opportuno, commodoq. ſitu, in copia, in opulentia, in omni bonorum genere multum habere præſidij videatur, maximam tamen partem in religione, ac pietate illi quodammodo propria, eſt conſtituta, qua dempta, non video, quid admodum amplum, quid magnificum ei poſſit ex tanto ſplendore, ac gloria remanere. Quod ſi perſuaſum eſt, ſine contemplationis beneficio, nec promoueri poſſe religionem, nec conſeruari, illud quoque certiſſimum eſſe debet, perfectam Romanæ Vrbis, atque adeo terrarum orbis vniuerſi felicitatem ſine illarum artium præſidio retineri non poſſe, quæ rerum contemplatione, veriq. perſpicientia continentur.

C IN

IN SOLEMNI STVDIORVM INSTAVRATIONE ROMANI COLLEGII

Oratio II.

DE ENCYCLOPAEDIA, ſiue de multiplici doctrinarum ſtudio contrahendo.

ANNVS plane tertius, ac decimus eſt, Cardinalis Ampliſſime, viri perilluſtres, Religioſiſſimi PP. Auditores ornatiſſimi: cum è ſolemni litteraturæ noſtræ tyrocinio ad dicendi tradẽdam artem ingreſſurus adoleſcentior, multa ex hoc ipſo loco, de rerum naturalium, diuinarumq. ſcientia differui, multa in eos peroraui, qui philoſophorum damnarent otium, & eam philoſophiæ partem, quæ ſola cognitione circumſcribitur, explodendam è Republica exiſtimarent. Hodie, qui veluti ſartis, ac tectis præſtãdis huius Gymnaſij ſcholis, & iuuenum induſtriæ reparandæ à Maioribus noſtris inſtitutus eſt dies, huc iterum, & veſtris in me ſtudijs, quorum in vultu ſignificatiônes video, & Moderatorum meorum allegatus

gatus imperio, ſtatui nonnullorum, vel inſatiabili doctrinæ cupiditati, vel audaciæ obuiam ire: qui,vt in cæteris humanæ vitæ rebus inueniant finem,in pulcherrimis ingeniorum tractandis artibus modum omnino nullum habendum putant;ſic prorſus,vt perexiguam ijs polliceantur è laboribus animi gloriam,qui nō æquè omnia genera liberalium diſciplinarum adipiſcantur. Nam, quia fieri vix poſſe video, vt humanus animus tam varijs, tamq. diſtractis inter ſe ſtudijs, quibuſdam quaſi fluctibus huc illuc impulſus, vllam veræ, ſolidæq. doctrinæ laudem attingat, illud à me demonſtrari debere intelligo;plus ad nominis famam,gloriamq.parandam in aliqua è multis certa, præcipuaq. rerum cognitione poſitum eſſe præſidij, quàm in omnibus opera tumultuaria, incertoq. labore perſequendis. Quod antequam facere inſtituo, neceſſe habeo, nonnulla pro me dicere; cauſæq. aditus obtrectatoribus, ſi qui ſunt, apertos, & peruios occupare:ne,qui diſciplinarum omnium ſocietatem, & in alijs cum admiratione ſuſpicio, & in me non ſine dolore requiro, videar hodierna die, vel parum intelligere, quid ſit in illa doctrinarum coniunctione laudis, & gloriæ, vel idiotarum more contemnere,quicquid ego propter imbecillitatem ingenij conſequi non potuerim.

Nullus antiquorum eſt, qui ſcientiam illam, & eruditionem è liberalibus conflatam omni-

bus diſciplinis non ſummopere commendet,& ſapientiæ candidatis in trito litterarum campo conſectandam eſſe non putet: ſed non vna omnium eſt huius doctrinæ conſtituendæ ratio, non eadem omnium de liberalium artium partitione ſententia. Alexandrinus ille Clemens eruditiſſimus in paucis, atque doctiſſimus, eas tantummodo priſcos aliquos, eosq. magnos,& ſapientes viros artes liberales appellaſſe confirmat, in quibus quædam eſſet ad philoſophiam, adeoq ad virtutem veluti proluſio, & via. Ex eorum quippe decretis diſerte pronunciat, virtutis procemia quædam eſſe omnes omnino liberales diſciplinas perinde ac ſi dicat, quemadmodum magnæ, peramplæq. fabulæ, longiores, amplioresq. prologos habent, ſic virtutem, & eam, quæ de moribus agit, philoſophiam, quia ſumma, & maxima eſt, artium liberalium omnium præmunimenta, quaſi protaſes, & periochas poſtulare. Septem enim illi faciebant apparentes, & quaſi præcurſorias ſapientiæ diſciplinas: tres, quæ ſermoni moderarentur,& ei, qua beſtijs antecellimus orationi: Grammaticam, Eloquentiam, Dialecticam: quatuor, quæ rerum aliarum numerum conſectarentur & vim; Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, Aſtrologiam. Has inquam artes,& facultates (quia noſtra rudimenta, non opera ſunt) ſubſeruientes vocauerunt, ac præparantes: & quia liberis tantummodo tradi poterant, atque ingenuis adoleſcentibus,

tibus, liberales eſſe, ac dici voluerunt. Quare Vitruuius in Commentarijs illis, quos de Architectura poſterorum memoriæ tradidit, parentibus ſuis, non modo gratias egit, ſed aras etiam poſuit, ac ſacra decreuit, quod ſe iã inde à puero liberalibus imbuiſſent artibus quarum beneficio præmunitus architectandi ſcientiam addiſcere potuiſſet. Sed egere cum liberalibus diſciplinis alij liberalius. qui non eas tantum, in quibus ille præparatus, atque anteceſſio ad ſapientiam eſſet, verum etiam ſapientiam ipſam, & ſapientiæ partes, in quibus eſt meta quædam ſuperiorum, & quies, habendas, dicendasq. putarunt liberales. Nam & Galenus Iuriſprudentiam, ac Medicinam, quarum illæ ſunt adminiſtræ, in liberalibus collocat, & Poſſidonius Panætij diſcipulus, cum omnes philoſophiæ formas, tum eam potiſſimum, cuius cura morum emendatio, & virtus animi eſt, liberaliſſimam nominat. Placuit his de liberalibus doctrinis ita prolixè decernere; quia non ea gratia liberales dictas exiſtimant, quòd earum vſu, & cognitione ſeruis interdiceretur: ſed quòd ijs inſtituti mortales, vitiorum liberarentur mancipio, & veram, legitimamq. manumiſſionem quodammodo nanciſcerentur. Nos vtroſque ſequamur auctores ſapientiæ Auditores; nec dubitemus, non modo ſuperiores eas artes, poſterioresq. ſimul liberales dicere, ſed principem etiam illam Chriſtianorum propriam

Theologiam; qua nec quicquam fieri poteſt homine libero dignius, nec inueniri aliquid ad animum noſtrum à vitiorum ſeruitio vindicandum accommodatius. ita profectò fiet orbiculata illa diſciplinarum ſeries, & veluti quidam ſcientiæ ductus, ex multis aptus, atque conſertus: fiet circulus, orbisq. doctrinæ coagmentatus ex omnibus: fiet tam multiplicis eruditionis tanta, & tam ampla coniunctio, vt eam haud dubiè ſuperatura ſit, quam Græci dicebant encyclopædiam.

Quibus ita conſtitutis, illud hoc orationis ingreſſu, antequàm penitus in cauſam intro, magna voce denuncio, planeq. profiteor, nihil optabilius homini, nihil honeſtius, aut vtilius eſſe poſſe, quàm vniuerſum illud informare quaſi doctrinæ corpus ex omni diſciplinarum varietate compoſitum, & totius eruditionis abſolutiſſimo circulo vincire, atque inſtruere animum: quo multo gloriari par eſt magis, quàm torquibus illis, ac monilibus aureis, quæ vel mollium hominum ornamenta ſunt, vel Imperatorum exhibita militari fortitudini, ac fidei donatiua. Immo vero nullam eſſe putauerim tantam auri, gemmarumq. pulchritudinem, nullum torquium tantum honorem, ac dignitatem, quæ poſſit cum hoc plicatili, atque in omnem partem flexibili diſciplinarum circulo comparari. Fuerunt, qui perſimilem è virtutibus etiam componerent orbem; ſic inquam, vt non tam variæ ijs eſſe viderен-

derentur, ac multæ, quàm vna virtus ex omnibus tanquam anulis innexa catena, margaritis, ac gemmis diſtincta clariſſimis; quarum ſpecie mirificè ornaretur humanus animus, & diuina propemodum luce in ipſa corporis mortali cõcretione perfunderetur. Vt enim ex humoribus, neque nimis acribus, & extenuatis, neque nimis concretis, atque terrenis, ſed ex auctoris præſcripto compoſitis, & naturæ congruenter attemperatis exiſtit in humano corpore valetudo quædam integra, ex valetudine pulchritudo; ſic è virtutum omnium complexione, partium quædam efficitur in animo conuenientia, ex conuenientia dignitas, & pulchritudo tanta, vt quia parem non habet in rebus humanis, diuina dicenda concinnitas videatur. Quæ de virtutum connexarum pulchritudine ſic dicuntur, ea de diſciplinarum omnium abſoluto complexu, & comprehenſione dicta eſſe putatote: quarum venuſtas, & pulchritudo vtinam eo modo nobis occurreret, quo vniuerſi huius mundi facies in conſpectum venit: videremus profecto pulchrius ipſo mundo ſpectaculum, quod nos raperet in admirationem ſui, eaq; relinquere cogeret, quæ admirabilia, & magna maiorum ignoratione iudicamus. M. Tullius, orator in philoſophis primus, philoſophus in oratoribus optimus, hanc artium, & multiplicis doctrinæ conuenientiam, non pulchritudinem dixit, ſed concentum, & diſciplinarum omnium harmo-

niam:quo nec verius eſſe quicquam poteſt,nec ad eam, quæ manat è liberalium artium coniunctione, ſuauitatem exprimendam illuſtrius. Si enim ex interuallis illis numerorum imparibus ea vocum conſenſio, & modulatio naſcitur, quæ incredibili aurium oblectamento, ac propè lenocinio excutit hominibus è manibus gladios, permutatis canendi legibus, reddit, & eoſdem reuocat in aciem armatos:ſi tanta è ſonis illis tam varijs pro rata portione diſtinctis ſuauitas exiſtit, ac dulcitudo, vt ſtirpes, ac ſaxa loco mouere dicatur, ferociſſimas, atque immaniſſimas belluas cicures facere, malum ipſum dæmonem in occupato corpore compeſcere,ac mitigare; an non etiam è variarum artium proportione inuicem ſibi reſpondentium conſenſione mirabili, concordia quædam efficietur ita ſuauis,ac tenera,vt multò magis commouere, ac perfundere animum voluptate debeat, quàm emodulatæ illæ muſicorum voces compleant aures?

Harmoniam canentem ſuauiſſimam Mundum faciebat Pythagoras, & ſuas etiam Cælo Syrenes dabat,quæ orbium conuerſione citatiſſima, cum acutis grauia temperantes, ſeptem emitterent varios interuallis temporum ſonos, & Phrygia,Lydia, Dorica lege callidiſſimè modularentur. Sed nolite putare Auditores, eum philoſophum,cum hæc diceret,nihil de ſeptem liberalibus diſciplinis animo cogitaſſe. Sic enim

decre-

decreuit: nemini licere in illud cæleſtium Syrenum domicilium, vnde homines hauſtos eſſe, credebat, aliquando reuerti, qui, vel citharæ neruis, ac muſica, vel alijs homine libero dignis in vita ſtudijs non eſſet eum concentum, & numeros imitatus. Ne illæ quidem apud Homerum in medio mari Syrenes aliud agunt, cum Vlyſſem hominem ſapientiſſimum eo cãtu pelliciunt, quem latinis, at non ita ſuauibus expreſſit numeris eloquentiſſimus Orator, Poëta non optimus Cicero:

O decus Argolicũ, puppim quin flectis Vlyſſes,
Auribus vt noſtros poſsis agnoſcere cantus?
Hac etenim nemo tranauit cærula curſu,
Quin prius adſtiterit vocũ dulcedine captus:
Poſt varijs auido ſatiatus pectore Muſis;
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.

Scientiam, vt videtis, & doctrinam pollicentur illæ maris Tyrrheni pulcherrimæ Virgines, quæ molliſſimè canunt, & citharas manibus tenent, ac tibias. Quid ſignificant aliud, niſi ex tam varijs, diſtinctiſq. rerum doctrinis, velut ex diſſimillimarum moderatione vocum, concordem effici ſonum ſuauiter ad animum accidentem? quem qui percipiat, nec mortalium fremitu rerum, quaſi Nili Catadupis impediatur quo minus exaudiat, facere nõ poſſit, quin ea ſymphonia capiatur, & liberalibus ſtudijs tanquam Syrenum ſcopulis adhæreſcat. Vultis aliquot enumeremus ex ijs, qui cæleſtem hanc diſciplina-

rum

rum conſenſionem,concentumq́.probè ſe percepiſſe ſignificarunt? Neque enim omnium ita ſemper obſurduerunt aures, quin eam aliquando exaudierit mortalium aliquis harmoniam. Age vero.quo cantu,quo liberalium artium ſono captum fuiſſe dicetis Archimedem? qui defixis in terram oculis, dum formas deſcribit ardentius, ſanguine ſe ſuo artis lineamenta confundere non videt in puluere. Quo Carneadem illum alienis pene iam ſenſibus vtentem, alieno corpore circumſeptum? quippe qui nullum caperet aliquando cibum,niſi quem in os alia omnia cogitanti ſuggereret coniux. Quo Pythagoram, quo Platonem, quo Democritum? qui, vt eum concentum propius exaudirent,vltimas terras incredibili contentione peragrarũt. Quo Solonem ætate iam deuexa confectum, & ſenio?qui vel in ſupremo vitæ ipſius articulo,cum vix corpori ſpiritus ſuperaret, vltimo aliquo eius ſymphoniæ,quemadmodum re demonſtrauit, excitatus ſono, depoſitum iam mortis victoria caput aliquantum è puluino dicitur erexiſſe, vt melius intelligeret quid eſſet, de quo aſſidentes amici voce remiſſiore diſputarent. O diuinam concentus ſuauitatem, quæ abalienat à ſenſibus animos,abalienatos in tabernaculum corporis reuocat, vt aliquid addiſcentes etiam è vita diſcedant. Percurrite, ſi libet, huius harmoniæ ſingulos ſonos,hoc eſt peculiares vniuſcuiuſque diſciplinæ iucunditates:nihil mirum

rum eſſe dicetis,ſi tantam ex omnibus haurirent dulcedinem ſapientiſſimi viri, cum incredibilis quædam ſuauitas ſentiatur in ſingulis. Vt enim ab ijs ordiamur,quæ ſermonem expoliunt, quid iucundius eſſe, aut comprehendi animo poteſt, quàm orationem habere caſtigatam à Grammaticis, à poëtica ſuauem, elegantem, & flexanimam à Rhetorica,probabilem à Dialectica, veram ab ea, quæ Græcis eſt ἀποδεικτική, latinè dici poteſt demonſtratiua? Quid illa,quæ nobis grauiores aliæ diſciplinæ ſuppeditant? quanta ſunt? Ius vnicuique deſcribere,leges interpretari, virtutum, vitiorumq. fines, & limites noſſe, cælum, terraſq. metiri, littoris arenam, ad puluiſculum vſque recenſere, mare, ſidera,ſtelliferos ipſos orbes otiosè percurrere,ſtirpes rerum omnium, & cauſas penitus intelligere, mundum denique,& quicquid vniuerſitatis nomine complectimur,animo,& cogitatione geſtare?Multas ſanè cauſas eſſe comperio,cur homo diuinum animal, à ſapientibus,imprimiſq. à Triſmegiſto,atque ab Hebræo Philone mundus alter, aut mundus quidam anguſtior appellatus ſit. Habet enim expreſſum in capite quaſi cælum: habet in geminis oculis duo illa pulcherrima cæli ſidera, quorum alterum noctu, alterum interdiu terras illuſtrat. habet animum,Dei ſimulacrum,ſenſibus præſidentem, aurigam, & gubernatorem corporis prope diuinum: habet ea rerum initia, quæ vocamus elementa in qua-

tuor

tuor illis humoribus, quorum apta conuenientia hominis ipſa conſtitutio continetur, & vita. habet in ætate tam varia illa quadripartita tempora, quibus diſtinguitur annus. habet in concreta corporis mole terram, in ſpiritu ventos, ac tempeſtates, in venis fluuios, in arterijs, & ſemitis animæ ſubterraneos ductus. habet denique in ipſa membrorum commiſſura, in neruórum omnium, vertebrarumq. compage coniunctionem illam rerum omnium inexplicabilem, quas illigatas, atque implexas incredibili vinculo in hac vniuerſitate ſuſpicimus. Sunt hæc quidem veræ tam amplæ ſimilitudinis notæ, faciuntq. vt cum Aſtrologiæ peritiſſimo Poëta dicam.

——Quid mirum noſcere mundum
Si poſsũt homines, quibus eſt & mũdus in ipſis?

Sed ſunt aliæ veriores. Non tam enim ad corporis illam admirabilem, diuinamq. ſtructuram, quàm ad animi quandam immenſitatem referendam ego ſimilitudinem puto: ſic; vt propterea mundus contractior homo dicatur, quòd illius ex omnibus conciliatæ doctrinæ, & in orbem circumcurrẽtis eruditionis beneficio mundum ipſum animo, ac mente, veluti conceptaculo claudat, atque circumferat. Nam quid homini doctrinarum omnium ſocietate cõmunito peruium expeditumq. non ſit, aut quid ſit, quò ille peruadere animo, & cogitatione non poſſit? mare, terraſq. peruagatur; Ætnam ſuperat, &

Cau-

Digitized by Google

Caucaſum, in cælum penetrat, Deum, Cælites ipſos conuenit; diuina, & à ſenſu remotiſſima velut oculis obiecta contemplatur. Quo fit, vt totidem impreſſas, inuſtasq. ſpecies animo retineat, quot à varia illa, multipliciq. doctrina rerum accepit formas, & notiones. Rectè itaq. vir barbarus Euantes Perſa in libro minimè barbaro, quo Chaldæorum euoluit Theologiam, ſcriptum reliquiſſe dicitur, homini nullam eſſe propriam, & natiuam imaginem, ſed externas, atque aduentitias multas: idq. trita, & planè vulgari apud ipſos voce ſignificare Chaldæos, cum hominem, variæ, multiformis, ac deſultoriæ naturæ vocant, & definiunt animal. Illud namq. ſibi volunt tàm magnificis verbis peregrini philoſophi; hominem multijugis doctrinæ, ac ſapientiæ vi rerum omnium imagines, ac formas ad ſe pertrahere quaſi Protheum, & artium complexione ſingularum ipſius mundi ſimulacrum animo ſuo imprimere, ac ſecum quodammodo res vniuerſas veluti Celetes, & deſultorios perducentem equos, ex alijs identidem in alias, ludentium in Circo, aut in acie pugnantium more, raptim, & callidè tranſultare. Hæc videlicet vis, aurea illa eſt apud Homerum catena, quæ cælo demiſſa, & rebus omnibus innexa mortalium, terras, mare, ſiluas, homines, ac beſtias mouet, impellit, trahit, & quà vocat arbitrium facilè circumducit. Hic eſt ille Stoicorum dominatus, qui Sapientes è priuatorum numero

ſeuo-

ſeuocat, & facit illico Reges. Nam qui ad rationis in animi motus imperium referunt hunc principatum, non malè illi quidem nobilem philoſophorum vocem interpretantur: ſed tamen ego illud ſibi velle Stoicos arbitror, cum ſolos ſapientes appellant, & conſalutant Imperatores; orbis terrarum Imperium animi quadam vſurpatione adeptos eſſe, qui diſciplinarum illum orbem ſint conſecuti. Hanc ergo liberalium artium ego ſocietatem, coniunctionemq. deſpiciam, hunc omnium cœtum diſciplinarum, & nexum; in quo tanta pulchritudo eſt, tanta dignitas, quantam ipſæ mortalium rerum anguſtiæ vix capere poſſint? ex quo tam concinni accidunt ad animum numeri, & modi, vt fidium concentum omnium ſuauitate, ac dulcedine ſuperent: vbi tam ampla ſita poteſtas eſt, atque auctoritas, vt qui doctrinarum hunc orbem occuparint, latius regnaturi ſint, quàm olim in dominatu illo florentiſſimo dicuntur imperaſſe Romani. O me cæcum, atque amentem; niſi rei tantam amplitudinē in tanta luce conſpicerem.

Sed ò vos fortunatos Adoleſcentes, ſi facilè in tam ampli poſſeſſionem Regni venire poſſetis. Exclamare libet hoc loco, non mea, ſed cunctorum ſapientium veriſſima voce, non omnibus contingere omnia, nec cuiuslibet eſſe, clauam Herculis ferre, vel axem torquere humero ſtellis ardentibus aptum. Replicate præteriti memoriam temporis, eosq. percenſete

nume-

numerando quos fama verſatilis extulit ingenij, & eruditio varia nominis immortalitati conſecrauit: inuenietis, aut pauciſſimos, aut neminem planè fuiſſe, qui complexionem hanc diſciplinarum omnium abſolutam, atque perfectam animo ſit, & cogitatione complexus. Antiquos ego tamen excipio, & ex ijs minimè multos; qui nobis auctores ſapientiæ primi fuerunt. Neque enim illa quorundam gloriatio placet, qui oratione parum apud ſapientes idonea, vendibili tamen apud populum, atque imperitis probabili anteferre noſtra conantur antiquis. Occuparunt illi locum Auditores, & aureo ſæculo nati ſunt, primo naturæ partu, cum vis ſeminis eſſet acerrima, & terræ benignitas tanta, vt centeſimis ſemper, & cum anatociſmo reſponderet. Emaciatum videlicet eſt ſolum, quod intactum, & vix nouale tum erat. Deferbuit illa luxuriantis terræ fecunditas, & malignitate demonſtrat, primitiuas fruges tandem aliquando degeneraſſe. Non tamen id ago, vt effœtam iam eſſe naturam, & magnorum ingeniorum ſemina penitus interijſſe credatis: ſed illud vnum contendo; non eſſe conſecutæ memoriæ ingenioſos, & doctos viros cum parentibus illis doctrinæ, magiſtriſq. ſapientiæ conferendos. Vt enim primis illis orbis terrarum conditi temporibus, non omnes omnino homines Gigantes fuere; ſed certi quidam alijs innaſcebantur inſana corporis ſtatura monſtroſe proceri, quorum funditus

tus deletum eſt genus;ita Heroica illa excellentium ingeniorum ætate non quidem omnes eandem æque perſpicacitatem habuerunt,& aciem mẽtis,ſed aliqui tamen ſingulari,ac diuino quodam ingenio in lucem excepti, cum ſapientia cæteris anteiſſent omnibus, degenere relicta, poſteritate, deceſſerunt. quibus cum nos hoc decolorato, ac penè ferreo nati ſæculo ſi comparemur, Pygmæi quidam, aut pumiliones eſſe videamur. In omni planè doctrina, in artificijs ipſis formas illas rerum perfectas excogitauit Plato, quæ neque gignerentur, neque occiderent vnquam: ſed in diuina mente ſemper eſſent velut in viridario conſitæ quædam arbuſculæ, ac plantæ; vnde ad hominum transferrentur animos,vt ad eas imitando referrent ipſi quæ facerent,quæq. meditarentur vniuerſa. Ita profectò res eſt Auditores. Sed huiuſmodi liberalium artium ſpecies, formasq perfectas, quoniam ſub oculos aſpectumq. non cadunt, quaſi traduces ex illo viridario deſumptas certis quibuſdam hominibus inſeuiſſe videtur Deus: vt ſi minus perfectum illud, & excellens, quod in ijs fuiſſe videmus, exprimere poſſumus, eò tamen ſemper artem, manumq. ſtudioſiſſimè dirigamus.

An non ex eo genere fuerit Ariſtoteles,quem ſummum in omni doctrina virum, & immenſæ ſubtilitatis philoſophum, quem politiſſimum, quem acutiſſimum, quem aureum, quem naturæ

turæ prodigium nominant veteres? Quid multis? Auerroem audiamus, eius, non tanquam hominis, ſed quaſi Dei cuiuſdam ad homines delapſi laudes, non oratorio dicendi contexentem genere, ſed Orgijs prope commotum, atque phanaticum Thyaſorum numeris, & Dithyrambo decantantem. Quem virum, inquit, aut Heroa cum Ariſtotele conferamus, quem Deum? cuius ingenio cum tres expoſitæ doctrinæ ſint, logica, quæ diſſerendi rationem tradit, naturalis Philoſophia, quæ complectitur vniuerſitatem; & ea, quæ corporata, atque aſpectabilia omnia prætergreſſa, retruſa penitus, ac diuina contemplatur, nullus tamen vnquam in illis monumentis tanto ſæculorum ſpatio ab acutiſſimis viris, qui ea dies, noctesq. peruolutarunt, deprehenſus eſt error. id vero non ingenij tantum ſingularis eſt, ſed cuiuſdam propè diuinitatis. Hominis eſt aliquando decipi, labi, errare; ſed tamen ea peccatis naturæ lege non tenetur Ariſtoteles. quicquid docet, quoniam is vnus communes præteruectus eſt limites, oraculum eſt. Hic nimirum videtur humanæ finis intelligentiæ, hic abſolutio naturæ poſtrema, hic vmbilicus: nec habet vltra quò progrediatur ingenium. hic ſummo Dei cõſilio mortalibus eſt expoſitus ad intuendum, vt eo duce, ac magiſtro ſcirent quicquid humanus animus aſſequi cogitatione poteſt. Quid plenius, quid magnificentius, quid glorioſius proferri, non dicam à philoſo-

loſopho, ſed ne à poëtis quidem potuit, quorum nomini quædam amplior eſt in eo genere permiſſa licentia? Et tamen in hoc ipſo, quem humanum ſupra faſtigium per contentionem extollunt, ſi quæramus illum artium orbem, & doctrinæ comprehenſionem abſolutiſſimam, erunt quæ poſſint, ac debeant doctiores deſiderare. Nihil hic ego dico de Tertulliano, de Ireneo, de Sidonio Apollinari; qui verboſiorem, & quàm par ſit ſubtiliorem, obſcurioremq. in Ariſtotele reprehendunt orationem. De Attico apud Euſebium dico, de Lactantio, de Gregorio Nazianzeno: qui omnium prudentiſſimè næuos in tanto philoſopho deprehenderunt. Damnant enim, atque improbant hominem minus à naturalibus aſſurgentem, in humilibus, ac terrenis hærentem ſemper, in humanis diſertum, hebetem in diuinis. Plato fortaſſe nullis reprehenſorum obeliſcis confodietur: habet enim is, quia de diuinis etiam auſus eſt dicere, præcones magis validos, & bene vocales. Hunc videlicet Numenius Moyſem vocat Atticè diſſerentem, hunc Auguſtinus Labeonis ſententiam, qui eum inter Semideos collocarat, minus tàm claro philoſopho, & diuina copioſe pertractanti congruentem ratus; Dijs ipſis anteferre non dubitat. Sed ſunt tamen in hoc etiam quæ requirant. quemadmodum enim Ariſtoteli rerum diuinarum cognitionem, & doctrinam deeſſe vident, ſic in Platone naturalis philoſophiæ perfecta

ſtudia non inueniunt. Quod ſi maculas in his quoque duobus philoſophiæ luminibus internoſcimus aliquas, quæ nonnullam in eo diſciplinarum orbe perfecto contaminant partem, quas in alijs oſtendemus lacunas, quibus tantum ingenium, omnium artium comprehenſioni par ipſa natura non dedit? Empedocles, quem Ariſtoteles auctorem, ac parentem Rhetoricæ facit, dicendi facultatem ita tenuiſſe fertur, vt eo nullus haberetur eloquentior: ita poëticam, vt nemo iucundior; ita phyſicam, & naturalem magiam, vt ventos, cum vellet, excitaret ſalubres, peſtilentes depelleret: ita callidè muſicam, vt ſcelus anhelantes, & ſtrictis incurrentes in hoſtem gladijs iuuenes fidibus auerteret, & vocis ſuauitate reprehenſos ad manſuetudinem reuocaret à cæde. Huius diſcipulus Gorgias Leontinus variam præceptoris diſciplinam ſic hauſerat. vt ſubitam illam, improuiſamq. dicendi rationem, quæ conſecutis temporibus appellata eſt à dicendi magiſtris extemporalitas, inſtituiſſe dicatur, ac primus fuiſſe, qui poſcere in conuentu doctiſſimorum hominum auderet qua quiſque de re vellet audire. de omnibus enim, quæ caderent in quæſtionem, copioſiſſimè ſe dicturum eſſe repente, ac de improuiſo profitebatur. Fuerunt his ſimiles alij quoque Philoſophi: Carneades in primis, Diogenes, & Critolaus Athenienſis, qui olim auditi ſunt in Romano Sena-

tu: & quod admirabilius ſit, fuere ſummi Græcorum Imperatores. In quibus Epaminondas ille principatum habet, qui ob inuictum animi, corporiſq; robur in belli periculis, ſtatuam in medio foro ferream à Ciuibus eſt conſecutus. Tantus enim militiæ Dux, & Muſica, & omnibus Philoſophiæ partibus ita fuerat eruditus, vt quantum in acie cum ſummis Imperatoribus de bellica laude, tantum in exedris cum primis Philoſophis de doctrinæ magnitudine, ac dignitate contenderet. Fuerunt inquam hi litteris inſigniti varijs, ac diſciplinis: ſi tamen eæ quantumuis multæ, ac magnæ cum omnibus conferantur, quæ circulum illum doctrinæ conficiunt, haud ſcio, plures ne deſideraturi ſimus, an in eruditione tam varia numeraturi.

Ad Latinos veniamus: quorum videtur aciem ducere M. Varro, vir, vt ait ille, omnium acutiſſimus, & ſine vlla dubitatione doctiſſimus: qui tam multa legit, vt ſcribendis libris aliquid temporis ei ſuperfuiſſe miremur; tam multa ſcripſit, vt ea vix quemquam legere potuiſſe credamus. In hoc tamen, idem, qui eum ex Terentiano tantopere commendat, eloquentiam deſiderat Auguſtinus. Sequitur Portius Cato, cuius eſt apud Romanæ principem hiſtoriæ admirabile quoddam, & inſigne præconium. Huic enim ingeniū ita pariter ad omnia verſatile fuiſſe commemorat, vt natus ad id vnum videretur quodcumque faceret. In bello manu fortiſſimus: idem ſum-

ſummus Imperator. idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus, ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſſimus. Videtis quàm paucas in ingenio verſatili è liberalibus illis inueniat ingenij facultates. vix laudare Iuriſprudentiam poteſt, & eloquentiam. Vbi tripartita Philoſophiæ ratio? vbi cæli, ſiderum, numerorum, rerum ipſa diuinarum cognitio, ſine quibus ea, quam quærimus ex omnibus coaleſcere doctrina non poteſt? Iulius Cæſar omnibus opportunus, atque accommodatus ingenuis artibus, vix vllam, quam non attingeret, prætermiſit. Et tamen dici potius à nobis poterit, quot armatorū millia eius inflammarit oratio, quàm quos aliarum rerum ſcientia clamores fecerit. Nemo nactus ingenium eſt ad omnem doctrinæ rationem, & partem habilius ipſo M. Tull. Cicerone: qui tamen, niſi nobilitatus eſſet eloquentia, vix haberet cur in cæteris magnopere gloriaretur. vt intelligas; etiam eos, qui natura facti putabantur ad omnia, quia videbant fieri non poſſe, vt omnia conſequerentur, multa de induſtria præteriſſe. Vnus in Latinis eſt Plinius, qui non modo ad Græcorum natus encyclopædiam, ſed iam encyclopædiam ipſam tenere videbatur. Nam, vt de hominis taceam monumentis, quorum tantummodo ſeries, & nomina ex infelici naufragio enatauerunt ad nos; vnus ille naturalis hiſtoriæ Commentarius, opere tam ſpiſſo, tam vario, quàm ipſa natura, planè demonſtrat, quantam

Digitized by Google

è ſæculorum omnium memoria, quantam è cælo, quantam è terris, ac mari, quantam ex vniuerſis propè doctrinis hauſiſſet cognitionem. Et tamen inuenti ſunt ad extremum, qui ampliorem in eo Græcæ linguæ requirerent eruditionem: inuenti ſunt, qui cæterarum examinandis rerum ponderibus, nullum reprehendendi finem inueniant.

Veterum ſanè Patrum aliqui, atque inter Græcos quidem Origenes, & Clemens Alexandrinus: in Latinis autem Hieronymus, atque Auguſtinus, quos Chriſtiana Reſpublica religionis auctores, ac magiſtros habuit, videntur ex encyclicis illis diſciplinis omnium minimè multas deſideraſſe: ſed quia nonnullarum exercitationem ſua voluntate contempſerunt, factum eſt, vt illas eorum litteris conſignatas non videamus, quas ipſi callidiſſimè informatas in animo fortaſſe retinebant.

Reſtant poſtremi; quos vel noſtra, vel paulo ſuperior ætas ingenio, & multis artibus claros poſteritatis memoriæ commendauit. è quorum numero Picus Mirandula, qui propter vnicum illud ingenium vulgò dictus eſt Phœnix, incurrit in oculos omnium primus. Quam enim ille ſcientiam non dico neglexit, ſed non omnibus aptam aſſecutus eſt partibus? Quarum gentium peregrinarum ille non didicit litteras, & expoliuit? Quam antiquorum remotiorem doctrinam, deſertam iam, & ab hominum exulãtem memo-

ria

ria non reſtituit,ac veluti poſtliminio reuocauit? Deniquè trium circiter annorum, & triginta per breui,quo vixit tempore,ad tam incredibilis ſapientiæ famam euectus eſt, vt in magiæ ſuſpicionem facile venerit: cuius eum vi criminosè iactabāt aduerſarij,ſubito illam arripuiſſe rerum cognitionem,quæ maior humana videbatur.Sed hunc ipſum exiſtimatis ne vos torquem illum,& monile diſciplinarum, anulis complicatum, & cōſertum omnibus fuiſſe promeritum? Sunt qui non modo in eo requirant aliquas, ſed in ſingulis etiam illis,quarum attigit fines,ſentiant acerbitatem ingenij, & herbeſcentem ſine fruge viriditatem. Ego eloquentiam, elegantem certè,atque expolitam orationem, quæ Rhetoricæ munus eſt proprium,in homine non intueor.Eadem prope memoria inter multos natalibus, & genere claros viros, qui ſe litteris nauiter imbuendos tradiderunt,Matthæus Aquauiuius Hadrianorum Regulus inſigniter, & egregiè floruit: cuius ſapientiæ ſingularis commemoratio claudet hanc orationis partem,quæ lōgius producta, finem iam prope conuitio poſtulabat. Is inquam eruditione varia, ſcientiaq. iam parta multiplici, cum intelligeret tamen, adhuc animum ſuum habere quod diſceret, libellū in publicum dedit, quem inſcripſit Encyclopædiam: vt eius in orbem circumeuntis doctrinæ velut in tabula pulchritudinem oſtēderet,quam omnino in ſe, atque ad viuum exprimere non potuiſſet.

Cum ergo ex infinita ingenioſorum hominum multitudine, tam pauci ſint, in quibus vix vmbram, & poſtremum quaſi veſtigium eius eruditionis, quæ omnium conſpiratione perficitur, intueri poſſimus, dubitabimus ne, vtrum illi omniũm ſapientiſſimè conſulant gloriæ ſuæ, qui ſingulis exploratis, & quantum communis quædam doctrinæ conſenſio poſtulat, delibatis, certum aliquod eximium habent, & ſepoſitum ſibi volunt ſcientiæ genus, quod diligenter, & ſumma cum animi conſtantia perſequantur? Cadit enim in omnes ea Vitruuij, non reprehenſio ſolum, ſed irriſio, qua Pythium illum Architectum antiquiſſimum petijt. Scriptum quippe reliquerat is, nullum Architectum eſſe probabilem, qui non in omnibus artibus, ac doctrinis plus facere poſſit, quàm qui exercitatione peculiari, atque induſtria ad ſummam claritatem ſingulas perduxerunt: nec intelligebat, Architectum, eum quidem eſſe debere, qui neque Grammaticæ, neque Muſicæ, neque picturæ, neque plaſticæ, neque adeo medicinæ, aut aliarum artium ſit imperitus: ſed non tamen eum, qui vincat Ariſtarchum Grammatica, Muſicis Ariſtoxenum, Apellem artificio pingendi, plaſtica Myronem, aut Polycletum, Hippocratem medicina. perſtringit inquam hæc illuſio, non Pythium modo, ſed etiam cæteros, qui velint, omnes omnibus rebus excellere; nec videant, è duobus illis, opere, ac ratiocinatione, quibus vniuerſæ

com-

componuntur artes, opus quidem eorum eſſe proprium,qui exercentur in ſingulis, ſed ratiocinationem communicari quoque cum ijs, qui alia omnia profitétur.Neque vero pertimeſcendum eſt,ne ſic in doctorum hominum reprehenſionem incurramus quemadmodum illeNeoptolemus apud Næuium: cui paucis philoſophari placebat, omnino non placebat. philoſophiam enim ille,non rerum commentationem, ſed honeſtam, & philoſophiæ congruentem vitæ rationem intelligebat. Quam,quia ſemper,atque omnino ſequi oportet,merito reprehenditur is, qui philoſophiæ, virtutisq. præcepta etiam ad tempus deſerere vellet.Sed nunquam accuſabitur à ſapientibus is, qui, quoniam videt, anguſtijs ſuis doctrinarum amplitudinem omnium capi non poſſe, cæteris ſapientiæ ſtudijs, non tam neglectis, quàm permiſſis ingenioſioribus viris, certam, in qua ſe nauiter exerceat, deligit diſciplinam, adeoq. prudenter,& cum temperantia philoſophatur. Eſt profectò, eſt huius etiam deliberationis emporium illud Pythagoræ, varijs mercibus, & ijs propemodum innumerabilibus inſtructum, cum quo mortalium vitam ſapientiſſimè comparabat. Quas enim ille merces intelligebat, niſi liberales artes, quæ tanquam in mercatu quodam explicatæ, ijs,qui pulcherrimam literarum negociationem aggredi volunt, venales, non quidem pretio, ſed labore proponuntur? Quemadmodum ergo mercato-

catorum nullus,niſi planè deſipiat,omnes omnino res è mercatu coëmerit, quas propoſitas videt, ſed eas tantummodo, quas ſuæ tum in numerato,tum in nominibus pecuniæ reſpondere intelligit,ſic nemo ſanus omnibus adiunget animum doctrinis,quas in inſtructiſſimo litterarum videt emporio; ſed ijs tantum,quas ingenij ſui facultatibus,& fortunis cōſentaneas norit,quaſque ſperat in animo tanquam in ſplendida domo liberaliter,& magnificè ſe retenturum. Non enim tanta mercium varietas eſt,quanta liberalium diſciplinarum; non tanta corporum,quanta diſſimilitudo eſt animorum: non tam varius eſt in mercatorum ordine rei nummariæ gradus,ac cenſus, quàm varia ſunt in hominum ingenijs hauſta natura doctrinæ præſidia. Cuius rei permultum oppidò gnarus Plato,in ea,quam animo comprehendit, oculis non videt Republica,magiſtratum cæteris præſtantem omnibus facit; cuius ſit, explorare iuuenum ingenia diligenter, & præcauere, ne cæco ferantur impetu ad eas artes,à quarum poſſeſſione Muſæ illos prohibent, & Gratiæ. Vtinam ea lex, non eius tantum eſſet Ciuitatis, quæ ſola cogitatione deſcribitur, ſed earum omnium, in quibus homini viuendum eſt. non eos in agris, aut in caſtris eſſe videremus, qui ſapientium volumina ſcrutari deberent in vmbra; nec in litterarum exercitatione confici,quos venalitiorum tabernæ, quos agricolarum, & militiæ labor indu-

ctio-

Digitized by Google

ctione naturæ vocabant ad ſe. Vtinam inquam inita iam, & longè promota hominum ſtudia ad eum Platonis magiſtratum recognoſcenda deducerentur. non vnus, mihi credite, inueniretur in triuijs, aut in agris Demades: quem accepimus ex remige, ac piſcatore, ſtudio repente mutato, tam magnum oratorem extitiſſe, vt gloriam Demoſtheni præriperet, & maior haberetur à Theophraſto, quàm vt eius dignitatem Athenienſium Ciuitas, & Reſpublica caperet. Nihil eſt neceſſe veterum monumẽta retexere. nos ipſi permultos hac ætate vidimus ex acie, atque ex armorum puluere in Muſarum hyberna receptos ad nominis celebritatem facilè perueniſſe. Quod ſi reperiuntur in militum arena, reperiuntur in paſcuis ij, quorum ingenia litteris debeãtur, multò profectò plures in certo aliquo litterarum ſtudio inuenientur inglorij, qui ſi aliud ſuo magis accommodatum ingenio deligerent, prodituri eſſent in viuentium lucem, & poſteros in admirationẽ ſui conuocaturi. Quem è medicinæ labore Iulius ille Scaliger, quem Hieronymus Fracaſtorius, quem Paulus Iouius fructum gloriæ capere potuiſſent, niſi receptum in tempore ad politiores litteras conquiſiſſent, ac Muſas? Quam in poëtica laudem Baptiſta Mantuanus non inueniſſet, niſi bonam indolem varijs diſtractã litteris inaniter occupaſſet? Non enim dubitandum eſt, quin ad nominis æternitatem aliquam ſibi fuiſſet expediturus viam, ſi cer-

ſi certa contentus gloria,incertam,& ex alienis petitam fontibus contemptione prudentiſſima neglexiſſet. Sed quia æquè magnus in omnibus videri voluit,cæteris in rebus obſcuritatem habet,in excolendis Muſis remiſſa diligentia,vnum illum poëticæ fructum ingratiſſimum cepit, vt marmore cælatus à ciuibus ſuis, prope Virgilium,deterrima, ne dicam ridenda comparatione poneretur.

Illud igitur in hoc orationis exitu teneamus, & pronunciatum Apollinis eſſe velimus Auditores; nec ex obuio quoque ligno fingi poſſe Mercurium, nec omnem ferre omnia terram. Quare iniquitatis erit,atque audaciæ non ferendæ,fruges illas à ſolo requirere, quarum ſemina non comprehendit. Incredibilem naturæ facit iniuriam,qui plus ab ingenio poſtulat,quàm ferre poſſit: pugnat, vt dixit ille, Gigantum more cum Dijs, qui diſciplinarum omnium chorum è ſapientiæ cælo conuellere, atque ad ſe pertrahere conatur. Quin noſtram ipſorum mediocritatem, quin pectoris anguſtias cum ſeniore illo Democrate profitemur? qui cum arcem aſcendiſſet,& Vrbem,ex edito loco deſpiciens anhelaret identidem,ac ſubinde ſpiritum duceret.facere ſe cauſam rogantibus dixit,quod ab Atheniensium vniuerſa Ciuitate videret fieri; quippe quæ ſpiraret ingentia, pauca conficeret. Nihil poſſet in eos dici ſapientius,qui liberalibus quidem artibus inhiant omnibus, ſed vix vnam, aut

alte-

alteram mediocriter aſſequuntur. Vel ipſæ, quæ publicè ſunt excitatæ in Ciuitatibus Academiæ, planè declarant, neminem vnum ſatis eſſe doctrinis omnibus vel percipiendis, vel tradendis, atque aliorum intelligentiæ cõmittendis. Quorſum enim tam varios præceptores auditis, nec ab vno diſcitis omnia? quorſum illi, quamquam altiſſimo ſunt ingenio, vnam tantummodo profitentur artem, cæteras ne attingunt quidem? niſi vt intelligamus, coagmentatam illam ex omnibus, & in orbem conuolutam doctrinæ rationem in hominum quidem cœtibus eſſe poſſe, in certis & ſingularibus hominibus eſſe non poſſe. Nemo ad hoc vſque tempus locum hunc ad dicendum aſcendit, quin Gregorium illum Pont. Max. neceſſe habuerit aliquo laudis inſigni genere perhibere. Sic enim oratoris cogitationem occupant eius præclara cõſilia, quemadmodum incurrit in oculos hæc ædificatio, Regijs excitata ſumptibus, & cum magiſtris expoſitæ literarum omnium officinæ. Cogor etiam ego hũc actum agere, ſed breuiſſimè faciam. Quid autem? Multa præuidit vir conſultiſſimus cum hæc impendiò præſtitit, multa; quæ me tacente loquitur index, & Epigramma huc ingredientibus in ipſa fronte propoſitum. Sed ſi me tamen argumentum euoluere, atque interpretis hodie partes ſuſcipere iubetis, id conſtituendis, & deſignandis tàm varijs liberalium artium ſedibus in vno Gymnaſio ſecutum eſſe dixerim optimum

illum publicæ felicitatis cuſtodem; vt quoniam nulla debet in beata Ciuitate liberalis doctrina deſiderari, eſſet in Vrbe Roma, atque adeo in Chriſtiana Republica illa diſciplinarum ſocietas, & coniunctio, quæ in ſingulis hominibus eſſe non poteſt. Veſtrum eſt Adoleſcentes, liberaliſſimi Parentis reſpondere beneuolentiæ; & quas habetis in manibus, ardentiſſimè perſequendis artibus, pro virili parte ſymbolam, & quaſi collectam afferre, quæ cæteris adiuncta coagmentet, abſoluatq. numeris ſuis auguſtiſſimum illud doctrinarum omnium in Ciuitate Concilium. Quæ, vt ex animi veſtri ſententia, vt ex huius auctoris Collegij voto tandem aliquando ſuccedant, illud in primis efficite, vt liberum habeat in vobis hoſpitium ſapientia. Cui, niſi ſuperuacanea, & inimica tollantur omnia, ò fruſtra ſuſceptos à vobis, qui diſcitis, ò deploratos labores: ò vigilias à nobis qui docemus, ſine vlla ſpe frugis in veſtra ipſorum inſtitutione collocatas.

DE

DE DOCTRINÆ FVCO DEPELLENDO.

IN SOLEMNI STVDIORVM Inſtauratione Romani Collegij.

SVB IPSA COMITIA Sodalitatis Ieſu, ex obitu Claudij Aquauiuæ Generalis.

ORATIO III.

SI quantum ſupra cæteras in huius Exedræ ſpatijs habitas olim à me cōciones hodiernus hic dies attulit mihi ſplendoris, & dignitatis ab audientia, tantundem ab exercitatione conſecuta iam ætas, doctrinæ dicendiq. facultatis addidiſſet, haberem profectò, cur animo gloriosè geſtirem, mihiq. ipſi nouum hunc, & tàm honorificum Auditorum conſeſſum ſimpliciter, & ſine verecundia gratularer. Video quippe vos, Cardinales Ampliſſimi, Viri perilluſtres, ornatiſſimi Auditores, ſic eam, qua ſepti ſumus aliàs, coronam amplificaſſe, vt ſuperiores in contentionem venire cum hac Panegyri non poſſint, quin vi-

ctæ

ctæ prorſus,profligatæq.diſcedant. Vos autem, Patres, quos Ordinis noſtri Comitiale tempus in hunc Religionis campum euocauit, ita frequentes adeſtis, vt ſub aſpectum habere mihi videar ipſam penè Sodalitatem vniuerſam, & quicquid apud nos eſt auctoritatis, & litterarũ. Atque, vt amplior ex iſto fonte mihi flueret iucunditatis,ac lætitiæ fructus, illi etiam ex nouo terrarum orbe ab Orientis, Occidentisq̃. Solis finibus, euentu quidem fortuito, ſed tempori conuenerunt, quibus ſi careremus, Comitia tamen citrà vitium, ac ſine fallacijs haberentur. His inquam de cauſis mira quædam animo meo ſuggereretur ad dicẽdum alacritas, ſi mihi cum tempore ſuccreuiſſet eloquentia. Sed nimirum ex morbis, quorum ſi minus impetu, atque impreſſione proſternor, contumacia quidem certè,atque obſtinatione debilitor; ex ætate, quæ vergere iam incipit, atque in pronum delabi, ſentio vel omninò deficere, vel paulatim conſeneſcere orationem meam. Quapropter haud ſcio, an poſſim vobis polliceri parem, non dicam ijs quas habitior,atque adoleſcentior elucubrabam, ſed proximè ſuperiori, quam altero abhinc anno ex hoc eodem loco,eodemq.puncto temporis excepiſtis. Conabitur animus tamen,ſicut fortis equus: qui ſæpè non tàm vicit Olympia, quàm luſit ardenter in ſtadio acclamantis frequentiæ ſtudio concitatus, & fauore plaudentium.

Et

Et quoniam in ſupremo ſpatio, quod decurrendum hic à me fuit, admonui quidem multos, ne temere complexum illum diſciplinarum omnium expeterent, qui dicitur Encyclopædia; ſed hortamentum prætermiſi neceſſarium, imitationemq. ad ſingularem doctrinam, quam pro ſe quiſque nominatim adoptat, ſtudioſiſſimè perſequendam, locū hunc hodie relegam, &(quantum mihi tribuetur ab ingenio) quicquid deſideratum eſt, abundè ſatis, copioſèq. præſtabo. Ita fiet, vt in munere ſuſcepto reguſtatio quædam, & Repotia ſint eius orationis, quæ doctiſſimis auribus accidit haud iniucunda; & videant vniuerſi, non ſine conſilio, ac ratione ſic à me contrahi, atque in anguſtum cogi priuata cuiuſque liberalium artium ſtudia, cum intelligent, quantum, ſi bene, diligenterq. tractentur, ſit deſudandum in ſingulis. Sunt enim tam multa in quouis genere perdiſcenda, vt nulla tàm in procliui ſcientia ſit, quin audaciam ſibi depoſcat Herculeam, & conſtantiam nullis rerum difficultatibus exterrendam. Quam laboris patientiam quia pleriq. defugimus, fit, vt ſingulas profiteantur multi, pauciſſimi teneant, & calleant abſolutiſſimè. Hoc igitur hodie, vel eius ſermonis additamentum ſit, vel argumentum noui, vel monitum de integro ſalutare: ijs, qui aberrante, atque infinito illo doctrinarum depoſito ſtudio, certum deligunt, & ſequuntur aliquod ſcientiæ genus, id accuratiſſimè cauendum eſſe, nè partem

tem prætereant vllam earum, quibus ad faſtigium,ſummamq.perducitur: neue ſpeciem potiùs extimam ament,& commentitium eius doctrinæ nomen, quàm vim ſolidam, & ſuccum ipſum intimum ſapientiæ.

Ac nè fruſtra ſuſcipi hanc à me cótentionem putetis Auditores,repetam altiùs orationem, & multa replicabo, quæ oſtendant, hoc tempore, nó artes modo liberales,ſed alia etiam opificum ſtudia, vitæq. ciuilis exercitationes omnes eſſe fucatas. Paulatim enim in noſtram irrepſit ætatem hoc veluti ludibrium,& veneficium artium vniuerſarum, vt perfunctoriè,ac per ſimulationem officij gerantur omnia, nec tam quæratur in artificio perennitas, quàm externa quædam ſpecies,& qualis qualis approbatio populi.

Quatuor quippè potiſſimum artes ſunt, quibus vitæ ratio colitur omnis, & humana ſocietas exornatur.vna,quæ conſulit habitationibus, & tectis,Architectura: altera,quæ coloribus,ac lineamentis voluptatem aucupatur oculorum: tertia, quæ veſtes parat, & ea quibus tegimur indumenta: quarta, quæ Reipublicæ propulſat iniurias,oppida tuetur,& mœnia; diciturq. bellica,& militaris. Quæ profectò vbi cum veteri comparantur memoria temporum, ita ſingularum apparent ementita, deprauataq. opera, vt non tam proſpicere hominum commodis, quorum cauſa olim inuentæ ſunt, quàm hominibus ipſis fucum facere velle videantur.

Or-

Ordiamur ab illa tectorum machinatrice, ſcientia: in quam duplex inuaſit fallacia, duplexque mendacium, vnum ab opere, alterum à diſciplina. Cum enim duo ſint, quæ doctrinam illam omnem, facultatemq. componunt, ratiocinatio, & fabrica; ratiocinationem, hoc eſt de partium conuenientia, quæ ſymmetria dicitur, iudicandi ſolertiam, & multiplicem rerum cognitionem, qua tàm ampla ſcientia prorſus abſoluitur, ita pauci tenent, vt ſi res antiquorum arbitrio permittatur, plerique, nè dicam omnes, ex Architectorum albo, & numero ſint expungendi. Nam quos illi machinatores & architectos nominarunt, niſi ſcientiſſimos viros, & diſciplinis innumerabilibus inſtitutos? Aut vnde petebant eos, qui Templa, qui Fora, qui Prætoria, qui Theatra, qui Thermas, qui priuatorum ædificationes informare, ac perficere deberent, niſi ex ſapientium numero, & ex choro litteratorum? E noſtris autem (videte quid inter vtrorumq. ratiocinationem interſit) è noſtris, inquam, quos demum, & quàm paucos inuenias, qui à lapicidinis, à lignarijs, à fabris, ab operis ipſis accerſiti non ſint? De hac tamen deprauatione partis nihil hic ego dico ampliùs, nè videar artifices potius accuſare, quàm nos. De ipſa loquar fabrica, deq. opere, cuius fraus, & deceptio noſtra ipſorũ eſt, qui decipi volumus, atq. ab arte petimus, nõ tam moles diuturnas, quàm integumẽta rerum ſpecioſa, formasq. ad tẽpus ſanè breuiſſi-

mum apparentes. Quoniam verò intelligi facilè res, niſi per contentionem, & comparando non poteſt, eamus per huius Vrbis vbiq. diſiecta membra, & illa veluti magni cadaueris oſſa, miſeras, ſtoliditatisnè dicam, an ferocitatis Barbaræ reliquias intueamur. Ipſis profectò videbimus oculis huius fallaciam, & fucum artis; illicò vel inſcitiam, vel leuitatem, vel incuriam noſtram intelligemus. Illi nimirum antiquæ probitatis antiquiſſimi ciues, non dicam è ſolido marmore, ſed è montibus aggeſtis olim compoſuere quæ nunc ſegmentis, & cruſtulis integimus ædificia. Quæ nos fundaméta vtcumque demum excauato ſolo, vel ruderibus implemus, vel palis, ſublicisq. fiſtucarum adactis machina ſolidamus, illi depreſſis in ingentem altitudinem foſſis, areis deinde latiſſimis in imo ſtratis, ruderatisque, tùm ſtatumine ſuffultis, & teſta; ad extremum quadrato ſaxo, eoq. magnitudinis immenſæ ad libellam exæquatis, tanquam ad ſuſtinendum orbem terrarū ſine vllo vitij periculo præparabant. Quos ipſi parietes euanidos, & raros, hoc eſt breui caſuros extruimus, illi ſilice pinſo, atque contuſo, illi cæmentis imbricatim diſpoſitis, illi curioſa fartura faciebant ſempiternos. Sed opulentiæ (dicet aliquis) iſta fuere beneficia, quæ nullis parceret impenſis, non artificij ſincerioris, & diligentiæ. quaſi verò vnus omnium ego per inſcitiam crederem, cunctis tum, etiam popularibus ac venalitijs, Luculli cēſum,

aut

aut Craſſi theſauros ad domicilij fabricam, & expolitionem fuiſſe; nec intelligerem, quantum demum inter domum Neronis auream, & Suburræ, Carinarumq. tabernas intereſſet. Non omnes illæ parietinæ, quas cernimus, Baſilicarum excidia ſunt: etiam ædiculæ priuatorum habuere ruinas ſuas. Quarum, cum in repaſtinationibus offenduntur aliqua fragmẽta corroſa iam, & vetuſtate penè detrita, ipſæ ſentiunt operarum manus, & lacerti, quid habuerint olim ſoliditatis, & operæ. Sed nos vniuersè (fatendum enim puto, quod res eſt) nos, inquam, ita ſumus, vt infimi, ſummi, medij frontium ſtructuras amemus creta oblitas, & gypſo; intimas, mediasq. parietum inſtructiones quia ſunt ab oculis longè ſubmotæ, negligamus. Neque verò deſunt hic à Principibus opere magnifico, ſumptuq. Regio perfectæ nuperrimè moles: quibus cum veteres comparare poſſimus. Eſt enim in manibus Vaticanum illud incredibili pulchritudine miraculum, quod longa molitione tributa Ciuitatum, & vectigalia prouinciarum exhauſit. Confer autem cum Pantheo, cuius, & formam, & magnificentiam, vel vicit, vel expreſſit. dices hoc, athletico ſanè habitu toroſum, & lacertoſum mole ſua ſtare tàm multos poſt annos; illud ornatu planè palæſtrico, exquiſitaq. politura læuigatum extrinſecus, & caſtigatum ad vnguem, nutare iam in tholo cœpiſſe, quem noſtra memoria Sixtus impoſuit; atque à ferro

propter periculum poſtulare colligationes, & vincula. Viſuntur oculis aquæ reductæ non ita pridem in Quirinalem collem, atque in Martium campum impendio. quarum ductus, formasq. vbiq. iam rimoſas, ac propè corruptas ſi cum fornicibus illis componas, atque arcuatis antiquorum operibus, pontibusque, quibus tàm multa flumina veluti triumphantia in ſeptem hoſce colles rerum olim dominos deduxere; cenſeas haud dubiè, nos tàm magnis ſumptibus aquas ad aliquot tantum annos expetere, illos æternas fontium perennitates voluiſſe.

Architecturam excipit ars illa pingendi, nobilis olim, & ſummis, non Græcorum modo, ſed Romanorum etiam ingenijs curioſè tractata. cui totidem, quot Architecturæ, atque ex ijſdem planè fontibus accidère mendacia. Nam, quod attinet ad ratiocinationem, atque ſcientiam, incredibile dictu eſt, quàm illi docti, cultiq. litteris eſſent, qui pictores olim apud veteres dicebantur. Id enimuero illa eorum teſtantur expreſſa coloribus rerum ſymbola, quæ non tam artificia picturæ videbantur, quàm poëticæ fœtus, atque abſolutiſſimæ documenta Philoſophiæ. Ecquem nũc ex illa multitudine reperias, qui Amicitiam, qui Calumniam, qui Bellum, qui Diſcordiam expingere commentando queat, aut antiquas rerum hiſtorias additis acceſſionibus exprimere, aut animi noſtri ſenſa figmentis ingenioſiſſimis adumbrare? Poterant hæc, aliaq. id

genus argumenta conformare facillimè Protogenes illi, ac Polygnoti liberalibus eruditiſſimi diſciplinis. poterat Apelles aliquis, qui tonitrua, qui fulgetra, fulguraq. depinxit ex ingenio primus. poterat Timagoras; cuius non tabulæ ſolum eleganter expreſſæ, ſed carmen etiam longe iucundiſſimum circumferebatur vulgò, & canebatur. poterat apud Romanos Pacuuius poëta doctiſſimus; cuius non modo verſus exarati ſtylo auidiſſimè legebantur, verum etiam in templo Herculis efficta penicillo pictura cernebatur oculis, & ſuſpiciebatur ab omnibus. Sed litteras à noſtris, doctrinamq; ne requiramus. Illud videamus potiùs, exquiramusq. diligentius: an omnes artis vniuerſæ ita teneant præceptiones, vt aliorum excogitata ingenijs argumēta, ſi proponantur, & lineamentis complecti facilè poſſint, & coloribus imitari. Nullo iſtam à ſe negotio moleſtiam abigunt, affirmantes, vnum rebus exprimendis omnibus ſatis eſſe non poſſe; adeoque alios eſſe, qui vrbes, orasq. terrarum, alios, qui flores, & poma, alios, qui venationes, & prælia, alios qui cicures beſtias, aut ſiluarum animantia pingant. Ex quo quanta præciſio ſequatur artis, intelligitis. Illud enim fieri neceſſe eſt, vt varium, ac multiplex argumentum, quo illa contineantur omnia, niſi multorum tractari manibus, & expoliri non poſſit. Colores fortaſſe nos addidimus, & varios, & meliores. nunquam enim ita multiplices, aut tam floridos vi-

dit antiquitas,quæ magis auſteris,& ſurdioribus vtebatur. Sed ne iſto quidem nomine fecimus aliud, niſi fucum, atque aſpicientium oculis, vt Iuriſconſulti loquuntur, impoſturam. Illi enim priſcorum artifices hebetiora ſane pigmenta, nec plura, quàm quatuor parietibus, ac tabulis inducebant leuiſſime: ſed tamen immortalia illa fecerunt opera,quibus afferre vitium longiſſima ſæcula non potuerût. Nos chryſocolla,nos purpuriſſo,nos Indico limo, & draconum ſanie tabulas inueſtimus, nec tam coloribus illinimus, quàm medicato tectorio parietes incruſtamus. Sed quicquid agimus interea,quicquid eo labore confingimus,fugaciſſimum eſt,fluxum in horas,& breui tempore permanſurum. Libuit mihi per otium inſpicere picturam antiquæ ſuperſtitionis argumẽtum in pariete vetuſtiſſimo: qui non multis ab hinc annis è Mœcenatis effoſſus ſubſtructionibus in Aldobrandinis repoſitus eſt viridarijs; ea perfectam diligentia,coloribus ita pertinacibus, ac diuturnis, vt neque tanta præteritorum ætas annorum,neque congeſtitiæ rupes quæ ſuperuenerunt in dies,neque ſubterranei ſpecus humida tabes,ſitusq. teterrimus,multum de lumine, ac ſplendore, multum de commiſſura, tranſituque, multum de alia operis dignitate detraxerit. Spirant enim adhuc ea pigmenta, fucusq minime fucatus ſpirat; & in carioſa materie, cæmentisq. corruptis apparet artificium integrum, & lineamenta recentia. Libuit

buit cùm aliàs ſæpe, tum anno ſuperiore Hadriani villam in Tiburtino contemplari; collapſam illam quidem in fruſta, & per oleta, per vineta, per ſaltus ipſos, ac virgeta diſperſam: ſed quæ magnificētiam, & inſaniam operis ita quoque conſepulta demonſtret, vel ex cadauere, vel ex tumulo. Multa ſunt, quæ me ſpectantem inſatiabili quadam admiratione defigant: loci totius ampla deſcriptio; quæ millia paſſuum plus quinque complectitur: fornices ingentes & cameræ, quæ ſuperant incorruptæ, tam magnæ, ſolidæque, vt nō ſolum adnata virgulta, ſed proceras arbores, immanesq. truncos immiſis alte radicibus hucuſque ſuſtineant. Xyſti, Gymnaſia, Porticus, Cryptoporticus, Diætæ, Cœnationes, ſubdialia pauimenta, Sphæriſteria; quorum adhuc aliqua veſtigia remanſere. Placent inquam hæc, & in antiquæ cōtemplatione maieſtatis ſacro propemodum horrore me complent. Nihil tamen ad pictas imagines; quæ iam inde ab eo tempore ad noſtram vſque memoriam ita ſuos retinuerunt colores, & pigmenta omnia, quaſi nuper ijs imbuti parietes, ac diſtincti fuiſſent.

Sequitur lanificium, & textrina: cuius opus ipſam, vel æquat artificio, vel vincit varietate naturam. Iam enim littora, portusque, iam flumina, iam Euripi, iam ſaltus, & ſiluæ, iam pecora, paſtoresq. texuntur. Nihil in floribus eſt, nihil in arboribus, nihil in graminibus, herbisq. terrarum, nihil in nauigationibus, nihil in prælijs,

quod laborioſæ texentium non referant opificio manus. Sed quàm fallax,ſuoq.infecta hæc etiam ars adulterio ſit, in frigore ſentimus, experimur in ſumptu. Nihil enim magis oſtendit,Aracnem hoc artificium inueniſſe, quàm quod textores ipſi tenuitate,ac vanitate operis Araneorum telas imitantur. O etiam in hoc genere innocentiam antiquorum incredibilem, atque apertiſſimam animi ſimplicitatem. Tractaui ego ſæpè manu ſerici fruſtulum, vel paludamenti, vel pallij ex antiquiſſimo tumulo extra portam Capenam propè monumentum Cæciliæ Metellæ à repaſtinatoribus eruti:quod,vt decoloratum aliquantulum eſſet ex tempore, ſincerum tamen illum purpuræ ſuccum, ne in ſepulcretis quidem,atque inter cadauerum cineres omnino dimiſerat. In ſumma, priſcorum ætas,& ratio ita ferebat. quod apud illos holoſericum dicebatur, erat holoſericum veriſſimè. Lanæ illæ Tarentinæ,Tarentini verè pecoris erant, texebantur Tarenti,Tarenti ſuis coloribus imbuebantur. Quæ veſtes aureæ dicebantur,aut argenteæ,aureo verè, argenteoq. ſtamine fuerunt intextæ: quæ purpureæ, concharum verè, ac muricum ſucco tingebantur. Nunc autem, & holoſerici villos lana mentiri didicimus,& alienam tramam aureis licijs interſerere, & herbis tingere vulgaribus, quod Tyrium, aut purpureum appellemus.

Inſpiciamus denique militarem; ipſam quoque

que ſpecioſam tantum extrinſecus, & fucatam. In qua peramplus mihi quidem aperiretur ad dicendum campus, ſi hoc ego contenderem vniuerſe, quod tractatur à multis: militiam illam antiquorum noſtra meliorem videri, eiq. pluribus eſſe partibus anteferendam. Cum enim quinque ferme ſint, quibus bellicæ rei tota ratio conſtat, & vis; delectus, ordo, acies, arma, diſciplina; facillimum eſſet vitium in ſingulis reperire, ſi ea perpendere, & cum nouitio bellandi genere comparare vellemus. Sed quia res infinita eſt, atque id tantum ego ſequor, vt articulatè, diſtinctèq. demonſtrem, quãta in hoc etiam vitæ præſidio quaſi tectorijs abdita ſit, & ametur inanitas; ad hunc internoſcendum fucum, totum antiquorum apparatum bellicum, & noſtrum per comparationem leuiter inſpiciamus. Illis binæ legiones, totidem ſocij, equites mille, & octingenti iuſtum octodecim millium faciebant exercitum armatorum: qui vallum, arma, vtenſilia, cibos mẽſtruos, aut ſemeſtres etiam interdum humeris ferrent; qui pari gradu procederent in itinere, qui gradum eundem æqualiter cõcitarent, qui cum plenis armis, & tãto cum onere decurrerent, qui ſua manu foderent, ligna cæderent, aggeres, teſtudines, turres ſtruerẽt; &, quod caput eſt, qui totum terrarum orbem tam exiguo numero debellarẽt. Nobis colluuio tironum, & multitudo, ſexaginta milliũ copias parat, eorum, qui oneri ſint, aut pompæ, qui ſarcinas illas innume-

numerabiles, atque impedimenta nouæ militiæ cumulent, qui alterum operarum, calonum, lixarum, coctorum, gregum, atque armentorum exercitum ducant: qui ſolidos annos, & quidem plures tanquam circa Troiam ad repetendam Helenam in alicuius angulo prouinciæ ſedeant; & re infecta plerunque digrediantur. Illis pila, & breuia iacula manus armabāt, quæ ex æquo, ex iniquo, ex anguſto loco intorqueri poſſent, in quamcunque partem verſari, & circumferri; noſtris haſtæ illæ, ac ſariſſæ longiſſimæ nuper inuentæ inſtruunt agmen: quæ multum è longinquo militem oſtentent erectæ, quæ confertim diſpoſitæ faciant immobilem aciem, nec ad vertendas illico vires idoneam, aut ad pugnandum inter vepres, & ſaltus anguſtos accommodatam. Illis erant fundæ, quibus iactum colliqueſceret in aëre plumbum; illis ſagittæ, quæ ſcutatum peditem, equitem loricatum ſine ſonitu, tanquam fulmine tacito proſternerent: noſtris ænea illa tormenta pyrico grauida puluere, quibus ictu ſæpè caſſo cæli fulgur effingimus, & tonamus. Illis Equorum crines erant pro iuba, quæ celſiorem faceret militem, atque aduerſarium deterreret: noſtris leuiſſimæ plumæ ſunt, illæq. verſicolores, quæ ad committendos ludos, chorosq. ducendos hoſtem inuitare videantur. Illis erat laneum ſagum, quod frigus depelleret; noſtris ſerica chlamys, quæ oculos oblectet intuentium. Illis erant machæræ, quæ cæ-
de-

derent; noſtris gladióli, qui fulgeant, & capulum habeant ſigillatum. Fidem faciunt antiquæ, quas in Vrbe conſpicimus ſtatuæ, in primisq. Traiani columna triumphalis; cuius in baſi cernuntur enſes capulo puro, ferro latiſſimo; immani pondere, cultu nullo. Sed nos, qui cœpimus oculis noſtris imponere, in his etiam voluimus imponere ſaluti, atque ijs in rebus lucem, & læuitatem exquirere, in quibus ſoliditatem, firmitudinemq. petere debueramus.

Poſſem equidem alias in cæteris humanæ vitæ ſtudijs patefacere deceptiones. Sed ne videar à Cynicis eſſe, qui verſor in eloquentia, ex hiſce ſcopulis enauigabo, & ea, quorum cauſa triſtem hanc, & querulam ſum exorſus orationem, explicatè, breuiterq proponā. Inuaſit Auditores, inuaſit ea quoque ſimulatio, & ementita veritatis ſpecies in ſingulas artes è liberalibus, quas pro ſe quiſque priuato ſtudio tractat, ac profitetur; & quidem ita contumax, itaq. vulgaris, vt veriſſimo dicere prouerbio poſſimus, non omnes citharœdos eſſe, qui citharam habent; & ex ijs, qui docti vulgò putantur, pleroſq. perſonam malle, quàm faciem. In ea namq. tempora delapſi ſumus, vt non tam ipſa placeat ſcientia, quam accerſita quædam, & exotica ſcientiæ forma. Quæ corruptio, vitiumque, quoniam à fonte probatiſſimo fluxit, hoc eſt à diuortio diſciplinarum, ab ipſis incunabulis ſapientiæ antiquum præſentis mali repetamus initium.

Que-

Queruntur enim aliqui ſcriptores apprime nobiles, quòd doctrinæ, ſtudiaq. liberalia, quæ connexa, copulataq. initio fuiſſe dicuntur, diſtracta tandem aliquando fuerint; & diuiſione pernicioſiſſima ſeparata. Ijdem, inquiunt, erant olim ſapientes, ac eloquentes, ijdem dicẽdi magiſtri, ac doctores intelligendi. Ne multa. Pericles ipſe, fulmen, tonitruum, Græciæ terræmotus, ab Anaxagora Phyſico, cuius diu, multumq. fuerat auditor, violentiam illam hauſerat, & turbinem orationis. Demoſthenes verò, ad quem audiendum velut in theatrum fiebant ex tota Græcia concurſus, non præceptore aliquo vſus eſt rhetore, ſed magiſtro Platone. Quin omnes omninò ſciendi artes initio vná complexa eſt Philoſophia: cum illi ipſi, qui eam vel inuenerunt, vel profeſſi ſunt primi, ijdem Aſtrologi fuerint, ijdem planè Iuriſconſulti. Non enim pauci ſunt, qui Triſmegiſtum illum Mercurium, atque Atlantem Philoſophiæ faciãt auctores. Sed idem Atlas inuentor, & princeps Aſtrologiæ dicitur; idem Mercurius legum conditor, & Iuris humani, diuiniq. primus auctór, idem medicinæ compoſitor primus. Ex eius adeo libris, quos ad triginta ſex mille, quingentos vigintiquinque ſcripſiſſe confirmat ex Seleuco Iamblicus, ſua ſe vidiſſe teſtatur ætate Clemens Alexandrinus de vniuerſa Philoſophia tres, & triginta, de ſacerdotibus decem, de Aſtrologia quatuor, ſex de medicina. Quæ quidem ſanandi corporis ars,

quia fuit in illo ſcientiæ totius exortu ab ijs inuenta, qui philoſophandi ſtudio, atque inquieta cogitatione ſibi minuerãt vires, ſine dubio coniuncta cum Philoſophia, & cum reliquis copulata facultatibus eſt. Nec alij ſanè fuere, niſi philoſophi, qui primi non modo cæteros curarunt morbos, ſed grauiſſimam etiam luem per vrbes, agrosq. ſuccenſis ignibus ab Ægypto depulerunt, depellendæq. ſimiliter rationem, ac viam vniuerſæ Græciæ, irriſa veteri ſuperſtitione, demonſtrarunt. Ridiculum quippe ſit exponere, quid ante id temporis ad peſtilentiam abigendam facere ſoliti eſſent Græci nondum exculti moribus, & ſapientes. Hominem vbi lues aliqua graſſabatur intemperãter, ipſi perquirebant maximè deformem, omniumq. facilè turpiſſimum. Quem cum inueniſſent, & deformitate cæteros vincere mortales in Concilio iudicaſſent, ad lanienam in publicæ noxæ piaculum pertrahebãt: ibiq. tenentem manu caſeum, placentam, caricas aceruo lignorum impoſitum, viuum adhuc, ſpirantemq. comburebant in ſcrobe. Quas quidem aniles, & ioculares ineptias medendi primum exploſit ars; ſed ea, quæ à Philoſophia minimè diuulſa, in eam prouinciam ab Ægypto, Chaldæisq. commigrauit. Denique præſtantium vox eſt, & doctrina ſcriptorum; ſapientiæ partem ſemper habitam à veteribus fuiſſe medendi ſcientiam; morborumq. curationem, & contemplationem rerum ſub ijſdem auctoribus na-

[illegible] & [illegible]; nec quempiam [illegible], quam Hippocratem Coum, qui princeps [illegible] a ſtudio ſapientiæ [illegible]. A quo [illegible] ſubinde alij, [illegible] diligentius excoluiſſent artem, in [illegible] vias proceſſerunt varias, & facultatem [illegible] in partes omninò tres; [illegible] quæ victu, altera, quæ medicamentis, tertia quæ ferro mederetur, & manu. Quibus [illegible] quartam, quæ tota me[illegible], hoc eſt eam, quam delegarunt [illegible] in officinis, poſtquam ijs colli[illegible] (vt inquit ille) ad verba garrulitatemq. [illegible] ſedere potius in circulis, quam [illegible] herbas quærere, quarum [illegible] volumina ſunt.

Queruntur [illegible] hæc aliqui, dolentq; quòd [illegible] corpus ſciderit ali[illegible], [illegible] factum eſſe arbitrantur [illegible], vt plures diſciplinæ ſint, quæ con[illegible] olim, colligatæq; velut vno vinculo tenebantur. Sed ſine ratione queruntur, & prorſus [illegible]. Nihil enim [illegible] ingenij noſtri fuit accommodatius, nihil opportunius ipſi ſcientiæ, quam vt in partes, formasq. varias virorum [illegible] diſtingueretur. Actum hic ego non agam Auditores, neque rationes proferam à me alias expoſitas, probatas à vobis: quæ facile vincunt, illud diſciplinarum omnium coronamentum vix eſſe parabile. Sed vnum,

quod

quod huius eſt loci proprium oratione contendo mea, diſerteq. pronuncio: nunquam artes liberales ſuos habuiſſe numeros, ac partes, niſi cum ex infinitate illa, atque indigeſta omnium mole ſeductæ ſunt, & ſeparatæ. Non enim ante partitionem illam eos habuimus præceptores, ac duces, quorum quotidie volumina tractamus, quorum ſequimur auctoritatem, quorum illuſtrati luce aliquid in ſingulis intuemur. Exinde ſuborti videlicet ſunt Ariſtoteles illi, Platonesque, qui cæteris præteritis omnibus, Philoſophiam ex ea ſeuocatam congerie nobis abſolutiſſimam tradiderunt. Exinde Archimedes, & Euclides illi: qui Philoſophiæ depoſito ſtudio, Mathematicas nominatim, ac ſingulariter illuſtrarunt. Exinde Hippocrates illi, & Eraſiſtrati; qui Medicinam electe complexi diuinis poſt ſe relictis eius ſcientiæ monumentis, vitæ nobis, ſalutisq. propemodum fontes aperuerunt. Nam quemadmodum latifundia, & ampliſſima Regna, quæ propter magnitudinem ſuam accurate procurari non poſſunt, tunc profecto coluntur melius, & ſingulis eniteſcunt in angulis, cum varios poſſeſſores, ac dominos nanciſcuntur; ſic illa ſapientiæ totius amplitudo tractari bene, ſplendideq. non potuit, niſi cum in partes diſtributa iuſtas, multis, varijsq. tradita doctoribus eſt; vt priuato ſtudio, & tãquam viritim à ſingulis expoliretur. Habeãt ergo ſibi, qui de pulcherrima, prudentiſſimaq. diuiſione ſapientiæ ſic expoſtulant,

tam eſſe, adultam, & educatam; nec quempiam antiquiorem proferunt, quàm Hippocratem Coum, qui princeps medicinam à ſtudio ſapientiæ ſeparauerit. A quo profeminati ſubinde alij, cum eandem diligentius excoluiſſent artem, in curandi vias proceſſerunt varias, & facultatem illam omnem diduxerũt in partes omninò tres; ſic, vt vna eſſet quæ victu, altera, quæ medicamentis, tertia, quæ ferro mederetur, & manu. Quibus addere liceret quartam, quæ tota medicorum erat, hoc eſt eam, quam delegarunt pharmacopolis in officinis, poſtquam ijs collibitum eſt (vt inquit ille) ad verba, garrulitatemq. deſcendere, ac ſedere potius in exedris, quàm eas per ſolitudines herbas quærere, quarum antiquæ medicinæ referta volumina ſunt.

Queruntur, inquam hæc aliqui, dolentq. quòd ipſum vniuerſæ doctrinæ corpus ſciderit aliquando ſeſe, hominumq. factum eſſe arbitrantur inertia, vt plures diſciplinæ ſint, quæ connexæ olim, colligatæq velut vno vinculo tenebantur. ſed ſine ratione queruntur, & prorſus iniuria. Nihil enim anguſtijs ingenij noſtri fuit accommodatius, nihil opportunius ipſi ſcientiæ, quàm vt in partes, formasq. varias virorum ſapientium auctoritate diſtingueretur. Actum hic ego non agam Auditores, neque rationes proferam à me alias expoſitas, probatas à vobis; quæ facile vincunt, illud diſciplinarum omnium coronamentum vix eſſe parabile. Sed vnum, quod

quod huius eſt loci proprium oratione contendo mea,diſerteq. pronuncio: nunquam artes liberales ſuos habuiſſe numeros, ac partes, niſi cum ex infinitate illa, atque indigeſta omnium mole ſeductæ ſunt,& ſeparatæ. Non enim ante partitionem illam eos habuimus præceptores, ac duces,quorum quotidie volumina tractamus, quorum ſequimur auctoritatem, quorum illuſtrati luce aliquid in ſingulis intuemur. Exinde ſuborti videlicet ſunt Ariſtoteles illi, Platonesque, qui cæteris præteritis omnibus, Philoſophiam ex ea ſeuocatam congerie nobis abſolutiſſimam tradiderunt. Exinde Archimedes, & Euclides illi: qui Philoſophiæ depoſito ſtudio, Mathematicas nominatim, ac ſingulariter illuſtrarunt. Exinde Hippocrates illi,& Eraſiſtrati; qui Medicinam electe complexi diuinis poſt ſe relictis eius ſcientiæ monumentis, vitæ nobis, ſalutisq.propemodum fontes aperuerunt. Nam quemadmodum latifundia,& ampliſſima Regna, quæ propter magnitudinem ſuam accurate procurari non poſſunt, tunc profecto coluntur melius,& ſingulis eniteſcunt in angulis,cum varios poſſeſſores,ac dominos nanciſcuntur; ſic illa ſapientiæ totius amplitudo tractari bene, ſplendideq.non potuit,niſi cum in partes diſtributa iuſtas,multis,varijsq.tradita doctoribus eſt;vt priuato ſtudio,& tãquam viritim à ſingulis expoliretur.Habeãt ergo ſibi,qui de pulcherrima,prudentiſſimaq.diuiſione ſapientiæ ſic expoſtulant,

rudem illum,& brutum diſciplinarum aceruum: ament, quoniam ita facti ſunt, primam illam artium confuſionem, & chaos. Admirabor ego ſemper,& eorum prædicabo iudicium incredibile, qui velut agraria lege, aratroq. circumducto ſuos ſingulis poſſeſſores, certosq.dominos, à quibus diligentiſſimè colerentur, aſſignarunt.

Nihilo tamen minus ab ea partitione aliam ego cauſam conqueſtionis habeo iuſtiſſimam; longeq. veriſſimam. Quæ quoniam vel non videtur ab iſtis, vel certe negligitur, producetur hic à me hodiè,veſtroq iudicio, atque auctoritati permittetur. Dolent, quòd diuortium illud factum diſciplinarum ſit; ſed non intelligunt,id dolendum eſſe multo maximè, quòd qui ex eo numero certas ſibi ſepoſuerunt artes,quas ſeorſim, & ſolitarie ſequerentur, ſic eam amare ſectionem cœperunt, vt ne illarum quidem expleant numeros omnes, quas ſibi ſingulari perdiſcendas opera iudicarunt. Rectè fecimus oppidò, & prudenter, qui ſapientiam diſtribuimus in partes: ſed inertia factum eſt, atque ignauia deteſtabili, vt eam quoque curtam habeamus, præciſamq. ſcientiam,cui ſingulariter, & electe operam damus. Eſt profecto torques ille,atque omnium corona doctrinarum permittenda magnis ingenijs,quorum vix aliqua præteritis olim ſæculis inuenta ſunt. Sed tamen eſt vnicuique ſcientiæ ſuus circulus, atque orbiculata rerum complexio, quæ prætermitti non poteſt. Non

eum

enim ego probauerim Ægyptios: apud quos tanta, & tam putida Medicinæ diſtributio fuit, vt ſingulis morbis ſingulos medicos deſignatos haberent; ita prorſus, vt alij vertiginem in capite curarent, alij delacrymationem, & lippitudinem in oculis, alij tinnitum in auribus, & ſurditatem, alij grauedinem, & diſtillationem in naribus, alij ſtuporem in dentibus, alij vuam in faucibus, alij anginam in tonſillijs, alij lentiginem in facie, alij impetiginem in cute, alij ſtrumas in ceruice, alij ſanguinis reiectionem in pectore, alij lumbaginem in renibus, alij timpanitim in ventre, alij lienteriam in inteſtinis. Non ſunt, inquam, hi nominandi, vereq. dicendi medici, qui capiti medentur, aut oculis, ſtomacho, cæteriſq. corporis affecti membris mederi non poſſunt. Sed multo probandi minus ſunt, qui peculiaris doctrinæ, quam profitentur, aliquam attingunt partem, quæ poſſit vtcumque nomen eruditionis impertiri, cæteras, quibus illa perficitur, pro nihilo ducunt, funditusq. contemnunt. Nos tamen, quia laborem cœpimus extimeſcere vehementer, eius audemus iam vulgo nobis aſſumere doctrinæ nomen, quam multis diminutam, & mutilatam partibus vix comparamus. Non pluribus hic opus eſt verbis. A diſciplinis illis, quæ apud veteres totius ſapientiæ fuerunt elementa, principium capiamus. Ecquis eſt hoc tempore, qui gloriari meritò poſſit, Mathematicæ ſe tenere partes omnes, quibus illa com-

ponitur,& quodammodo coagmentatur? Notiſſima quippe illa eſt eius diuiſio ſcientiæ, vel à Pythagoreis petita, vel ab alijs inuenta, qui Pythagoreos non probarunt. Aiunt videlicet, vniuerſæ Mathematicæ formas eſſe, vel omnino, vel ferme ſeptem. Duas quidem principes, ac præcipuas, quæ res à materia per cognitionem ſeductas intelligentia comprehendant,& metiantur; Geometriam, & Arithmeticam. quinque vero, quæ dominas illas duas veluti pediſſequæ deducant, & comitentur: Muſicam, quæ numerorum conuenientias intelligit: Opticen, quæ videndi cauſas, & deceptiones oculorum varias inueſtigat: Geodæſiam quæ metitur agros, & ſubſeruit Geometriæ: Mechanicam, quæ moles ſtruit, & ponderibus moderatur; Aſtrologiam, quæ cæleſtium orbium, ſtellarumq; curſum, ac poſitum intuetur. Quarum profecto tanta cum principibus illis copulatio eſt, atque coniunctio, vt ne vnam quidem auferre poſſis, quin tota colligatio diſſoluatur. Sed hæc inertia tamen quotidie ſeparat: efficitque, vt multi circinum in puluere callide conuoluant, qui Radium in cælo mouere non poſſint; multi ſurgentia, occidentiaq. norint ſidera, ac, ſi Deo placet, etiam vaticinantia, & litterata, qui decempeda metiri terræ ſpatia neſciant: multi machinationibus aquas ſubigant & montes, qui ne ipſa quidem agnouerunt elementa Geometriæ; multi numerorum proportiones in Muſicis acutiſſimè

mè videant, qui cæterarum menſuras rerum, æqualitates, inæqualitatesq. prorſus ignorent. Et tamen horum pleriq. Mathematici dicuntur, & habentur à nobis; quia cœpimus æſtimare diſciplinarum nomina, ipſas contemnere diſciplinas.

Philoſophia vero quot, & quàm multas habeat partes, ille docuit vniuerſæ doctrinæ artifex Ariſtoteles: qui & calluit exploratiſſimè omnes, & ſingularum ſcripta reliquit exquiſito labore monumenta, quæ diſceremus. Alia diſſerendi rationem tradit; nec tam Philoſophia dicenda eſt, quàm apparatus, & proluſio Philoſophiæ. Alia rerum, quas oculis intuemur, quæq. gignuntur in terris, cauſas penitus abditas, retruſasq. perquirit. Alia venatur ea, quæ ſupra terras, vel ex aquarum reſpiratione, vel ex elementorum conflictu procreantur in aëre. Alia cælum peruadit, & corporata omnia prætergreſſa ſeiunctas à mortali cõcretione Mentes, quodq. ſemper eſt ſimplex, & vniuſmodi contemplatur. Alia demum è cælo digreſſa, ipſas Regum vrbes, ipſas ciuium domos ingreditur. quà Magiſtratibus, & moderatoribus oppidorum iura deſcribit, quà familias, & rem ipſam familiarem attemperat; quà priuatorum mores fingit, refingit, emendat, ad normam, & libellam publicæ felicitatis explorat. Sed ex tanto cumulo quotam ſibi partem exigunt ij, quos vulgò Philoſophos appellamus? Acutos, atque in diſſerendo

verſatiles nouimus multos. Qui capita quædam, locosq. ad diſputandum paratiſſimos, & promptiſſimos habeant, nouimus item multos. At qui veterum placita probe perueſtigauerit vniuerſa, qui in omnes Phyſicæ latebras intrauerit penitus, qui magiſtram illam morum, vitæq. ciuilis opificem diſciplinam ſalutarit à limine, qui ſcripta peruolutauerit Ariſtotelis omnia; etiam ex ijs, qui vel Ariſtotelei, vel Peripatetici dici volunt, vix aliquem nouimus.

Medici ſine dubio ſubiungendi Philoſophis eſſent, quorum ars inexplicabilem habet non modo cum Phyſicis, ſed cum Aſtrologia, cum Eruditione, cum Græca, Latinaq. litteratura coniunctionem. Quæ tamen hoc tempore plerique deſerunt, quia vident pluris æſtimari quæ proferuntur è narthecijs, quàm quæ à remotioribus petuntur litteris, atque à ſapientium officinis. Sed de his indicaui ſupra iam ſatis, & nolim iſtam mihi nationem iratam eſſe. periculoſa quippe cum ijs dimicatio ſuſcipitur, quorum opera continenter vtaris.

Illa mihi conuenienda potius eſt diſciplinarum omnium Regina, & domina Theologia. Vereor tamen, ne apud doctiſſimos viros in hac ego concione ſuboffendam, quorum expolitiſſima rerum diuinarũ ſapientia litteris commendata pulcherrimis, & immortalibus conſignata monumentis in oculis omnium eſt, ac tamquam Sol toto terrarum orbe peruagatur. Sed dabunt

ipſi

ipſi quoque mihi veniam, quemadmodum dedere olim ingenioſiſſimi, ac nobiliſſimi iuuenes aliqui, omnibus plane doctrinis exculti, atque ipſa propemodum Encycoplædia coronat: qui me tamen aduerſus Encyclopædiæ conſectatores ex hoc loco perorãtem non humaniter modo, ſed patienter etiam audiuerunt. Vt enim illi minime mihi ſuccenſendum putarunt, quòd intelligerent, alios à me reprehendi minus ingenioſos, qui diſciplinarum circulum omnium imprudenter affectarent; laudari vero ſe, quòd aſſecuti ſingulariter eſſent coronam illam & apicem ſapientiæ: ſic hodie credituros confido ſapientiſſimos Patres, non ſe deſcribi, ſed commendari, demonſtrariq. admirantium digito, cum audient, pauciſſimos eſſe, qui eam doctrinam aſſequantur, & definiant totam. Et pauciſſimi profecto ſunt, ſi rationem recte ſubducere velimus, qui tam amplæ ſcientiæ, non dicam membra, omnia, & partes, ſed partium articulos abſolutiſſime comprehenderint aliquos. Sunt enim in ea illæ quæſtiones arduæ, nodiq. difficiles à Philoſophia inuoluti, complicatiq. quos ſoluere non poſſint, niſi exercitatiſſimi ab Ariſtotele viri, aut Dialectici ſolertiſſimi. Sunt loci argumentorum omnium, & ſedes in oraculis illis, & rerum ſacrarum monumentis obſcuriſſimis poſitæ: quæ ſcrutari, & noſſe omnia non eſt eius, qui Cleanthis lucernam oderit, aut ſomnum ab oculis non relegarit. Sunt cum religionis caſtiſſimæ per-

duellibus aſſiduæ concertationes:quæ non ſemper emergunt è popinis, ſed exiſtunt ſæpe ab ingenijs, audacibus illis quidem, at acutis, & diu, multumq. in litterarum Gymnaſijs exercitatis. Sunt actuoſæ vitæ, Chriſtianiq. hominis officia, quæ in huius diſciplinæ libris reſecantur ad viuum. Sunt demum exoticæ linguæ, aliaq. permulta, quæ noſſe Theologos oporteret; ſed omnia videmus à plerisq. prætermitti: quia nimirum hi quoque philoſophos imitari, diuiſa, diſtractaq. ſcientia, clamores ſibi diſputationum reſeruarunt, & locos celeberrimos, quos copioſè, ſubtiliterq. tractarent; alijs cætera, velut actoribus ſecundarum partium, & eius doctrinæ ſuccentoribus demandarunt.

Ecce autem qui minus in ſuo peccare videntur genere, mitiorum aſſeclæ Muſarum, atque intelligentes illi, quos appellamus Humanos:ſed omniũ peccant maxime; quia nulla facultas pluribus conſtat, & continetur partibus, nulla tamen hoc tempore requirit, ac deſiderat plures. Græcas aliquis litteras nouit intime; ignorat ſuas. Callet Latinas; in Græcis nihil intelligit. Hiſtorias tenet omnes, atque antiquitatem vniuerſam informauit animo; ſtylum, qui princeps eſt in ea facultate, non conformauit. Stylum ipſum vocauit ad limam; rerum illam cognitionem, quæ dicitur Eruditio, non eſt aſſecutus. Carmen, vel natura fundit graue, vel facit artificio molliſſimum; ſolutam numeris, vel non attol-

lit, vel non mollit orationem. Orationem verbis lectiſſimis inſtruere didicit; varias dicendi notas, & multiplices ſermonis characteres diſtinguere, ac variare non didicit. Dicerem ego de his copioſius, & quidem libentiſſimis animis, ſi per tẽpus liceret. Futurum quippe ſperarem, vt ſi diſſerẽdo in aliarum fortaſſe odium artium, atque offenſionem incurri, in ſuam ipſæ me gratiã facile reciperent, cum viderent, ne mihi quidem hanc orationem parcere, quæ non parcit Humanitati.

Reſtant illi Iuris, legumq. ſanctiſſimarum Sacerdotes: ſic enim ipſi ſe nominant veteres Iuriſconſulti. Quos equidem opinor haud grauate laturos, ſi aliqua etiam ab ijs præteriri dicamus ex tanta ſilua, tantoq. rerum numero, quarum ſane ſcientiam veluti præcurſoriam perfecta Iuris prudentia poſtularet. Nihil hic ego dico de Græcæ, Latinæq. linguæ cultu minime vulgari, huic vni ex omnibus diſciplinis omnium maximè neceſſario: nihil de multijugi totius antiquitatis cognitione, quam ex omni collectam ætate vna legum doctrina traduxit ad ſe. Quamuis enim omnis liberalium artium inſtitutio adminiculum aliquod ab Humanitate requirat, atque ab ea ſuperiorum annorum memoria, quam legendo reperimus ex hiſtorijs, nulla tamen efflagitat magis, quàm ipſa ſcientia Iuris: quæ paſſim non illa tantum offendit antiqua vocabula funerum, ſacrorum, nuptiarum, ludorum, veſtium, Magiſtratuum, conuiuiorum;

ſed

ſed ſemibarbara quædam, aut plane barbara, quæ tranſcriptum in Orientem Imperium, hoc eſt peregrinitate contaminatum in ipſam prope Iuris latinitatem inuexit. Ex eo quippe fonte fluxerunt in Codices illi largitionum, domeſticorum, rerum priuatarum Comites: illi Primicerij, illi Cornicularij, aliaq. nomina priſcorum Latinis auribus inaudita. Quid vero duodecim illæ Tabulæ, à quibus totum plane Ius Ciuile promanauit? Tantam profectò rerum antiquarum, & totius antegreſſæ memoriæ notitiam exigūt, vt ſemper ab ijs interpretes illi Accurſij, profani homines, & idiotæ, alijq. ſomniantes ineptias, tamquam à ſacris abſtinuerint manus. Non enim ridiculos iſtos Frontones, & Capitones infelices ea requirebat interpretatio, ſed quos ad extremum nacta eſt humaniſſimos, & eruditione limatiſſimos viros; Cuiacios, Ræuardos, Pardulphos, Hadrianos Turnebos, & Carriones. Ne de illa quidem dico morum præceptrice Philoſophia: quæ quoniam virtutibus ſingulorum animos erudiuit, domos ornauit, inſtruxitq. diſciplina, Ciuitatibus rationem publicæ tranquillitatis expoſuit; ipſas etiam peperit leges, quæ vetando, iubendo, pœnas irrogando, priuatos tegerent, tuerentur familias, ſartam, tectamq. Rempublicam conſeruarent. Quid igitur eſt, quod in iſtis potiſſimum reprehendis? Id vnum profectò, quod omnium maxime mortalium oculos fallit, quodq. cunctis obuium, & vulgò fre-

frequentiſſimum eſt. Neque enim illam ſolum iſti contemnunt ſocietatem doctrinæ ſine qua neſcio ſane, an poſſit aliquis iure dici conſultus;ſed ex ipſis quoque Iudiciorum legibus vix delibant, & perſtringunt aliquid, quo ſuperne tingantur, reſpergantúrq. leuiſſime. Quo fit,vt quos per vrbes,oppidatimq. laureatos incedere tam multos intuemur, ij,non tam legum Iuriſq. periti dicendi ſint, quam formularum cantores, & leguleì. Sapienter enimuero maiores noſtri grauiſſimas aduerſus hanc licentiam leges eſſe voluere, quæ certa ſtudiorum curricula, certa ætatis ſpatia, certa etiam, & aliorum permiſſa iudicio experimenta doctrinæ præſcriberēt ijs, qui publica vellent auctoritate in aliquo genere dici, atque haberi ſapientes. Hæc enim decreta,quanquam condita nominatim Iuris ſcientiæ ſunt, quia tamen erant omnibus ſalutaria, cum ſpe frugis ad cæteras etiam artes conſecuto poſt tempore tranſiere.Sed inertia iura rupit, & leges vniuerſas;repagula omnia perfregit audacia. In doctorum hominum Concilia irrumpere quotidie videmus indoctos, & eò per cuniculos, & diuerticula facillimè peruadere, quò regia virtutis, & laboris via vix aliquando perueniebant olim naui,ac diligentes.

Næ illi vincunt nos,ipſum prope trans orientem poſiti Solem barbari Sinæ, in hoc prudentiæ genere, vt in alijs longe plurimis minime barbari.Non enim ipſi omnes omninò vitæ cautio-

tiones, prouiſionesq. ita vindicauimus nobis, nullam vt reliquerimus ijs, quos agreſtes natura, & cultu barbaros appellamus. Sed noſtra nos potius auctiora dicendo fecimus, ſcriptisq. libris, ac monumentis, quibus illi carent, ſupra res cæteras mortalium amplificauimus. Hæc adeo cauſa erat vna, quæ Scythas impellebat, vt ſcripta veterum omnia funditus extirpare conarentur, quòd moleſtè ferrent, Græcorum, Latinorumq. non bibliothecas modo, ſed etiam parietes rerum ab ipſis geſtarum memoria completos eſſe; cæteros populos, etſi res magnas, atque immortalitate digniſſimas egiſſent, vel fuiſſe præteritos, quod eſt iniquum, vel aliqua verborum atrocitate notatos, quod eſt contumelioſum. Idem proculdubio dolere Sinæ poſſent, ſi noſtra perlegerent; cum præſertim auidiſſimè ipſi multa exquirant à nobis, nos ne illa quidem probare velimus, quæ apud ipſos ſunt meliora. Age igitur: atque iſtam in depellendo ſcientiæ fuco Barbarorum prouidentiam, legesq. videamus. Haud facile relatu eſt, quanto cum ardore operam nauant litteris, & doctrinæ, ciuili præſertim, & Regni Iura, legesq. pertractanti. Addunt his officiorum aliquam cognitionem, & morum doctrinam illi perſimilem, quam in noſtris Philoſophis quotidie legimus. Quibus qui plenius imbuitur, is habetur in ſapientium ordine doctior, & dignior in Republica magiſtratu. non enim Proceribus alia patet ad honores via:

inter quos eſt ſumma, eaq.perpetua de dignitate contentio. At ne iudicium errore poſſit aliquo labefactari,multos habent, exquiſitosq.delectus,quibus diligenter,accurateq.cuncta ſubcernunt. Sunt igitur in celeberrimis ſingularum prouinciarum Academijs exedræ ſpatioſæ, atque conclauia permulta: in quæ Iuuenes, ſtudiorum emeritis ſtipendijs, ad certam diem eò euocati, mane cum pugillaribus, & palimpſeſtis, nullo præterea codice, ſeparatim à reliquis ſinguli compelluntur. Ibi controuerſiarum de Republica, de Iudicijs, de moribus argumenta tractant, & ſcribunt ex ingenio, quæ Præfecti repente,ac ſubito propoſuere. Excubant interea pro ſingulis conclauibus aſſidue cuſtodes; & ne quis ingrediatur,egrediaturue, cauent diligētiſſimè.Aperiuntur denique ſub noctem fores: ſcripta exiguntur à ſingulis; eaq.per otium ſeueriſſimè perpenduntur. E toto numero, qui propemodum eſt infinitus, tria primum nominum millia,quorum præ cæteris probatus eſt labor,& ingenium ſecernuntur. E tribus millibus deinde trecenta,ad extremum è trecētis nonaginta. cætera tanquam exceptitia,& veluti cribro reſidentia purgamenta repudiantur. Quem ergo putatis eum eſſe doctrinæ florem,qui legitur è tanta ſegete probatorum adoleſcentium, ac poſt tam multas deliberationes, prudentium virorum aſperrimo iudicio,ſententiaq.decerpitur?Nihil à me dicitur ad augendam orationem.

adſunt

adſunt hic hodie, meq. audiunt, qui hæc oculis aſpexere, dolebuntq. multa potius à me prætermitti de veris, quàm falſi aliquid apponi per induſtriam, atque confingi. Quos ego ſæpe dicere audiui; ſic apud Sinas fieri non poſſe, vt aliquis in album relatus ſapientium, eo & nomine ſit indignus, & loco; quemadmodum apud nos paſſim in oculos incurrunt illitterati, qui dolo malo in doctorum hominum ordinem inuaſere. Ita nos oleum in malis, ac lecythum habere malumus: gloriandi ſuper ea re iuſtiſſimam cauſam relinquimus Barbaris; quorum ingenia nobiſcum comparata ſunt plumbea; quorum libri, & ſcriptorum monumenta collata cum noſtris, & pauciſſima ſunt, & adipalia.

Deponamus igitur aliquãdo perſonam iſtam, laruamq. ſapientiæ ſuperadditam Auditores, nec noſtro fieri vitio velimus, vt quam præcipue delegimus, ac peculiari ſtudio profitemur artem, ea vel commentitia ſit, vel iuſto partium numero decurtata. Quemadmodum enim nulla rerum ſpecies honeſtior nobis, aut pulcrior ad intuendum proponitur, quàm aliqua liberalium artium abſoluta, & perfecta diſciplina, ſic nulla deformior eſt, quàm manca, ſuisq. capta membris, & mutilata ſcientia. Equidem ſæpenumero quærendo cogitaui, quid ſibi velit diuinus Philoſophiæ præceptor Plato, cum in delectu Philoſophorum formoſos, membrisq. perfectos omnibus maximè probat, deformes, ac potiſſimum clau-

claudos eos eſſe contendit, qui ſapientiæ ſacris initiari non debeant. Scio enim è ſapiētibus fuiſſe deformes, hodieq. turpes eſſe minime paucos, qui nunquam tamen prohibiti ſint, aut prohibeantur ſtudio Philoſophiæ. Scio non ſemper in fœdo corpore turpem etiam animum habitare: ſed ſæpe mentem aliquam excelſam, & velut è ſapientiæ delibatam ſinu nanciſci ma'e materiatam domum, & tabernaculum vitioſum. Quid plura? nonne Socrates ipſe Platonis magiſter ſimis fuiſſe naribus dicitur, recalua fronte, piloſis humeris, cruribus diuaricatis? Nonne Zeuſippus ceruice fuit curua, Aratus repanda, Epicurus diſtenta cute, Diogenes barba comante, Xenocrates crure collecto, Heraclitus oculis ex fletu ſemper clauſis, Democritus rictu, labriſq. ſemper apertis ex riſu? Quin Epictetum ipſum claudum fuiſſe accepimus, & enormiter ex pedum vitio laboraſſe. Nec ferme alios excellenti fuiſſe forma Philoſophos legimus, niſi Pythagoram, & Zenonem inter veteres, Picum Mirandulam inter poſteriores, & nouos. Quid igitur eſt cauſæ, cur ille ſcientiſſimus, & prudentiſſimus vir in adyta philoſophiæ nolit admittere deformes, & claudos, niſi quia turpe putat, & indecorum, eos ſibi nomen ſapientis aſſumere, quorum curta, & detruncata doctrina fœda eſſe aſpectu, & aliqua ex parte claudicare videatur? Illud ergo prouidere ſedulò, & cauere diligenter Adoleſcentes, qui pro virili

parte

parte certas vobis liberalium artium formas excolendas aſſumpſiſtis; ne vos aditu gloriæ prohibeat is,qui templo ſapientiæ profanos abſiſtere iubet, & à veſtibulo claudos hoſce, deformesq. depellit. Non vnus, mihi credite,clamat aduerſum iſtos doctrinæ princeps,ac prudentiæ Plato, ſed vniuerſi, qui mendacium, qui ludibrium, qui præſtigias, & deceptiones oderunt. Manum vobis, & opem porrigunt viri ſapientes,ac magiſtri doctiſſimi:viam faciunt alieni labores,& hæc, qualis qualis totius noſtræ Sodalitatis induſtria. Ipſa Romanorum Principum, in primisq. Gregorij Maximi liberalitas inuitat: qui ſumptu plane Regio cunctis abſolutas, & perfectas partibus parandas vobis in hoc Collegio propoſuit diſciplinas. Agite itaq.rem veſtram nauiter, & quod ad vos attinet, ſingularum numeros, ſummamq. acerrimo ſtudio, ac perfecto labore complete. Vt enim illam omnium comprehenſionem doctrinarum expetere fortaſſe temeritatis eſt, atque audaciæ nil cogitantis,ita complexum illum partium,qui ſingulis debetur artibus, vel iudicio negligere,vel inertia præterire, animi eſt,vt leuiter dicam,aberrantis à recto,& non ferenda deſidia contabeſcentis.

DE

DE STVDIO ELOQVENTIAE.

AD RHETORICÆ AVDITORES in Romano Collegio.

CVM AVTHOR A SACRIS Concionibus ad eam docendam artem reuertiſſet.

ORATIO IV.

HÆC dies antiqua ſtudia mea multos peregrinata iam annos, veſtro imperio P.P. circumfuſæ coronæ inuitante beneuolentia, longo penè poſtliminio reuocabit. Adeſt in hoc honorariæ concionis conſeſſu, ſordibus, atque illuuie obſita; & velut è longinqua via, vel ruſticana de gleba redux geſtum facere, ſpectante præſertim Roſcio, non audet oratio mea. Sed tamen, quia video hiſce literarijs nundinis agere vnumquemque nauiter, ac ſtrenuè cauſam ſuam, ego quoque mouebo manum, vt potero; & velut in Areopago ſemipaganus; aut in antiquo foro Cethegus ſimpliciter, & candidè pro me pauca præſabor, ac

de me. Cogitabam alia omnia, litteras ab his abhorrentes tractabam, atque in publica panegyri de Deo, de omnium ordinum officijs, de finibus bonorum, & malorum dicere, locos ipſos ſacrorum voluminum vulgò, ac populariter in templis cum aliqua, niſi fallor, audientium approbatione aggreſſus eram interpretari. cum ad hoc docendi, dicendiq. munus Moderatorum autoritate ſum euocatus. Fatebor id, quod res eſt: mecum ipſe perquirere cœpi, quid tandem haberet momenti Rhetorice, vt eius docendæ cauſa demandata mihi prouincia tam honeſta, tam grauis è veſtigio relinquenda eſſet. Neque vero ex Conſule, vt dixit ille, rhetorem fieri magnopere dolebam. id enim ægre ferre non eſt eius, qui faber eſſe non poſſit fortunæ ſuæ. Sed tamen hominum futura de me iudicia non poteram in illa ipſa deſpicientia non formidare. Multa præterea mihi contra veniebant in mentem: eaq ipſa, quæ in hanc artem iactari quotidie ſolent in vulgus ab ijs, qui excellentes doctrina, conſilio prudentiſſimi, auctoritate longè principes exiſtimantur: forenſem illam exercitationem eſſe ſublatam, oratorum nomen, atque honorem eloquentiæ inueteraſſe: hæc inquam ſtudia maximè olim in omni libera ciuitate clara, iacere nunc, atque in tenebris ſuis ingloria deliteſcere; adoleſcentes otium in his fruſtra, miſereq. conſumere: eſſe vbi melius induſtriam collocarent ſuam; vbi ætatis florem ſedulò, vtiliterq.

literq. contererent: vbi opera poſita, pretium operæ facerent. Neque enim id temporis in præſentia ſumus, vt vel bellorum imperia, vel Reipublicæ adminiſtratio, vel reorum defenſio, atque accuſatio, vel rerum grauiſſimarum controuerſiæ diſertis, atque eloquentibus viris committantur. Conticuit profecto Romanum illud forum, & oratorum florentiſſima gloria obſoleuit vetuſtate, ac viciſſitudine temporum. rari ſunt, & quam pauciſſimi, qui languentem iam, ac prope depoſitam huius diſciplinæ facultatem amplecti velint. Nam quæ vulgò dicendi magiſtri tantopere gloriantur; eloquentiæ vi perfici, abſoluiq. principem hominis partem, diſſipatos ante homines fuiſſe principio intra tecta compulſos, & congregatos, inſtituta, legesq. ſanctiſſimas condocefactis efferatæ multitudinis animis eſſe datas; ſpecioſa potius nomina putant, quàm vera pronunciata. Hæc inquam, atque his longè plura in Rhetoricen conuicia reputabam animo; ac propè fuit, vt ex procuratore fierem in recepta iam cauſa præuaricator. Sed poſſum equidem facilè, & Rhetoricæ fidem præſtare, & aliorum negligere dicta ſi contendam, rerum ſacrarum interpretem nullius doctrinæ magis ornamentum decere, quam eloquentiæ, ac litterarum. Scio enim a Hieronymo viro ſanctiſſimo, ac diſertiſſimo dictum, diuinarum cauſarum oratorem humanum, ac litteratum eſſe oportere; ne Gigantes, vallemq. Titanum in Regum libris,

G 2 ne

Digitized by Google

ne Arcturum, ac Pleiadas in Iobo, ne Syrenas, Ænocentauros, ac piloſos ignoret Satyros in Iſaia. Scio, Chryſoſtomum, cui aureum eloquentiæ genus nomen impoſuit, pronunciaſſe, oratori Chriſtiano turpiſſimum eſſe ab ijs eloquentia vinci, quibus ipſe religione, ac dignitate antecellat. Scio, Lactantium verè lacteum, & in quem illud Horatianum cadere poſſit,

———liquidus, puroq; ſimillimus amni
Fundit opes,

de ſe ipſo dicere, ac profiteri, multum ſibi fictarum illam cauſarum actionem, exercitationemq. apud declamatorem à puero ſuſceptam, atque in adoleſcentia retentam contuliſſe, vt Chriſtianus factus maiore copia, & facultate cauſam veritatis perorarer. Hæc inquam, & memini, & ſcio: ſed ijs oratione tractandis illud vnum effecero, vt intelligatis, haud alienam mihi perſonam imponi, cum è templorum ſuggeſto quaſi ad noua progymnaſmata iterum compellor in has Rhetorum officinas. Ego vero cauſam hãc, quæ contra Rhetoricam agitur, putò mihi communem eſſe cum auditoribus meis. Quare, ne me ipſum amare ſolitariè videar, hæc propria prætermitto; ac ſatis meis, ſatis illorum, ſatis rhetoricæ rationibus conſultum putabo, ſi fructum ipſum, quem etiam hoc tempore afferre poſſit eloquentia, commemorauero. Quamquam hic ego ſalebras video, ſubitoq. ſubſiſto, Auditores. Res enim eſt eiuſmodi, vt ſi quid

præ-

præclarè, ac copiosè dixero, vbertati materiæ tribuendum ſit, ſi quid omiſero, ieiunitati, atque infantiæ meæ. Faciendum eſt tamen, quod ſuſcepimus, atque in trita materia Cleanthis lucerna, hoc eſt nouo fortaſſis artificio laborandum. oſtendam enim, certè conabor, hanc eloquentiæ diſciplinam illo potiſſimum nomine complectendam eſſe, quòd collapſa, quod ex omnium animis penè obliterata ſit, quòd à pauciſſimis arripiatur. Ita fiet, vt quam iſti cauſam idoneam putant, cur hæc dicendi ſtudia è medio tollenda videantur, eam vos eſſe vel maximè, cur inflammatiſſimis animis amanda ſint, & fouenda, iudicetis. Hoc animi mei conſilium antequam explico, vnum vobis in mentem redigẽdum eſſe video, quod ſuſceptæ diſputationis firmamentum eſt: Rhetoricæ nimirũ artem hoc tempore non propterea minus à multis amari, quòd inutilis, aut homine honeſto indigna exiſtimetur; ſed quia complures, qui ad eam facultatem nonnullam indolem afferunt, rei magnitudine deterriti, ſtudium liberale illud quidẽ, ſed tamen arduum, ac perdifficilè prætermittendum putant. Scitum eſt enim quod in eam ſententiã eloquentiæ principes tradidere: in cæteris artificijs percipiendis eſſe ſatis, non dico hominem eſſe, ſed ſimilem hominis; vt ſi minus tradita conſignare celeriter animo poſſis, aſſequaris certè quacũque ratione inculcata. non in ijs quæri linguæ mobilitatem, non celeritatem verborum, non ea, quæ nobis

xionem. Tanta eſt enim omnium inter ſe Muſarum cognatio, ac nexus, tanta ſeueriores, manſuetæq. diſciplinæ inuicem ſibi, vt fieri ſolet in fidibus, concordia concinunt, vt ex partibus coniunctam imparibus vnam omnino faciant, ac veluti circino circumductam abſoluant doctrinam, & facultatem: qua qui careat, is iſtorum ſententia dici non poſſit humanus. Eo tempore, quo Philoſophia ſuis egreſſa finibus in magna illa Græcia tabernaculum collocarat, Agrigentinum hominem fuiſſe memoriæ proditum eſt, quo, vt ſcriptum reliquit Satyrus, oratorum nemo fuit habitus eloquentior, nullus Phyſicorum doctior, nemo callidior medicorum. Hunc artis oratoriæ principem, hunc Homericum appellat Empedoclem Ariſtoteles, hunc ita ferunt rerum naturam cognitam habuiſſe, vt ventos aduerſos, ac peſtilentes inhiberet, ſecundas, ſalubreſque aſpirationes adduceret arbitrio ſuo. hunc denique perhibent ita ſcienter, ac temperatè fides pulſaſſe, vt adoleſcentis iram ſtricto gladio in patris accuſatorem irruentis, neruorum dulcedine, ac ſuauitate lenierit. Ex qua liberalium artium tanta vi factum oportuit, vt quæcunque illi res, quodcunque in omni doctrinæ genere argumentum, aut locus proponeretur, de ijs copioſiſſimè diſputare poſſet, quantumuis ſubitò, ac de improuiſo. Tantum igitur, ac talem virum, ne longum faciam, eſſe volunt doctiſſimi ſapientiæ Principes eum, quem

quem humanum dicimus, atque intelligentem: qui videlicet omni de re propoſita conſtituere poſſit, qui omnia doctrinarum genera norit, qui nihil ignoret eorum, de quibus in loco, ac pro re nata ſit aliquando diſputaturus. Quàm igitur arduum ſit, oratorem fieri, ſi artis oratoriæ quaſi ſeges, & ſilua verè dicitur Humanitas, hoc eſt omnium globus, & comprehenſio diſciplinarum? Quam operoſa res eſt, inter artis oratoriæ tàm ampla ſtudia, ornamenta doctrinæ non omittere? Cæteris, ſi eam vnam addiſcant artem, quam profiteri volunt, aliarum omnino rudes, expertesq. ſint, id vero ſine vitio facere licebit; oratori niſi turpiſſimè, non licebit. Numquam medico indecorum fuit neſcire leges, aut Iuriſperito medendi artem, aſtrorumq. ſcientiam non tenere: oratori tam indecorum erit, vt omnis labor, quem in perdiſcenda eloquentiæ facultate ſuſcipiet, ſine vlla ſpe frugis, vtilitatiſq. ſit ſuſcepturus. Neque vero id ea gratia dico, quòd cum videam interdum eo incidere loci oratorem, vt de artibus illis, de cæleſtibus, de terrarum, mariſq. deſcriptione, de alijs innumerabilibus, ac propè infinitis rebus dicendum ſit, putem iſta omnia eſſe illi accuratiſſimè, atque à præceptore ſic accipienda, quemadmodum faciunt ij, qui de his exquiſitè, ac diligenter edoceri volunt. Didici enim à Tullio: ignarum Aſtrologiæ, optimis, atque ornatiſſimis verſibus Aratum de cælo, ſtelliſq.

Nican-

xionem. Tanta eſt enim omnium inter ſe Muſarum cognatio,ac nexus,tanta ſeueriores, manſuetæq. diſciplinæ inuicem ſibi, vt fieri ſolet in fidibus, concordia concinunt, vt ex partibus coniunctam imparibus vnam omnino faciant,ac veluti circino circumductam abſoluant doctrinam, & facultatem: qua qui careat, is iſtorum ſententia dici non poſſit humanus. Eo tempore, quo Philoſophia ſuis egreſſa finibus in magna illa Græcia tabernaculum collocarat, Agrigentinum hominem fuiſſe memoriæ proditum eſt, quo,vt ſcriptum reliquit Satyrus, oratorum nemo fuit habitus eloquentior, nullus Phyſicorum doctior,nemo callidior medicorum. Hunc artis oratoriæ principem,hunc Homericum appellat Empedoclem Ariſtoteles, hunc ita ferunt rerum naturam cognitam habuiſſe, vt ventos aduerſos,ac peſtilentes inhiberet, ſecundas, ſalubreſque aſpirationes adduceret arbitrio ſuo. hunc denique perhibent ita ſcienter,ac temperatè fides pulſaſſe, vt adoleſcentis iram ſtricto gladio in patris accuſatorem irruentis, neruorum dulcedine, ac ſuauitate lenierit. Ex qua liberalium artium tanta vi factum oportuit, vt quæcunque illi res, quodcunque in omni doctrinæ genere argumentum, aut locus proponeretur, de ijs copioſiſſimè diſputare poſſet, quantumuis ſubitò, ac de improuiſo. Tantum igitur, ac talem virum, ne longum faciam, eſſe volunt doctiſſimi ſapientiæ Principes eum,

quem

quem humanum dicimus, atque intelligentem: qui videlicet omni de re propoſita conſtituere poſſit, qui omnia doctrinarum genera norit, qui nihil ignoret eorum, de quibus in loco, ac pro re nata ſit aliquando diſputaturus. Quàm igitur arduum ſit, oratorem fieri, ſi artis oratoriæ quaſi ſeges, & ſilua verè dicitur Humanitas, hoc eſt omnium globus, & comprehenſio diſciplinarum? Quam operoſa res eſt, inter artis oratoriæ tàm ampla ſtudia, ornamenta doctrinæ non omittere? Cæteris, ſi eam vnam addiſcant artem, quam profiteri volunt, aliarum omnino rudes, expertesq. ſint, id vero ſine vitio facere licebit; oratori niſi turpiſſimè, non licebit. Numquam medico indecorum fuit neſcire leges, aut Iuriſperito medendi artem, aſtrorumq. ſcientiam non tenere: oratori tam indecorum erit, vt omnis labor, quem in perdiſcenda eloquentiæ facultate ſuſcipiet, ſine vlla ſpe frugis, vtilitatiſq. ſit ſuſcepturus. Neque vero id ea gratia dico, quòd cum videam interdum eo incidere loci oratorem, vt de artibus illis, de cæleſtibus, de terrarum, mariſq. deſcriptione, de alijs innumerabilibus, ac propè infinitis rebus dicendum ſit, putem iſta omnia eſſe illi accuratiſſimè, atque à præceptore ſic accipienda, quemadmodum faciunt ij, qui de his exquiſitè, ac diligenter edoceri volunt. Didici enim à Tullio: ignarum Aſtrologiæ, optimis, atque ornatiſſimis verſibus Aratum de cælo, ſtelliſq.

Nican-

xionem. Tanta eſt enim omnium inter ſe Muſarum cognatio, ac nexus, tanta ſeueriores, manſuetæq. diſciplinæ inuicem ſibi, vt fieri ſolet in fidibus, concordia concinunt, vt ex partibus coniunctam imparibus vnam omnino faciant, ac veluti circino circumductam abſoluant doctrinam, & facultatem: qua qui careat, is iſtorum ſententia dici non poſſit humanus. Eo tempore, quo Philoſophia ſuis egreſſa finibus in magna illa Græcia tabernaculum collocarat, Agrigentinum hominem fuiſſe memoriæ proditum eſt, quo, vt ſcriptum reliquit Satyrus, oratorum nemo fuit habitus eloquentior, nullus Phyſicorum doctior, nemo callidior medicorum. Hunc artis oratoriæ principem, hunc Homericum appellat Empedoclem Ariſtoteles, hunc ita ferunt rerum naturam cognitam habuiſſe, vt ventos aduerſos, ac peſtilentes inhiberet, ſecundas, ſalubreſque aſpirationes adduceret arbitrio ſuo. hunc denique perhibent ita ſcienter, ac temperatè fides pulſaſſe, vt adoleſcentis iram ſtricto gladio in patris accuſatorem irruentis, neruorum dulcedine, ac ſuauitate lenierit. Ex qua liberalium artium tanta vi factum oportuit, vt quæcunque illi res, quodcunque in omni doctrinæ genere argumentum, aut locus proponeretur, de ijs copioſiſſimè diſputare poſſet, quantumuis ſubitò, ac de improuiſo. Tantum igitur, ac talem virum, ne longum faciam, eſſe volunt doctiſſimi ſapientiæ Principes eum, quem

quem humanum dicimus, atque intelligentem: qui videlicet omni de re propoſita conſtituere poſſit, qui omnia doctrinarum genera norit, qui nihil ignoret eorum, de quibus in loco, ac pro re nata ſit aliquando diſputaturus. Quàm igitur arduum ſit, oratorem fieri, ſi artis oratoriæ quaſi ſeges, & ſilua verè dicitur Humanitas, hoc eſt omnium globus, & comprehenſio diſciplinarum? Quam operoſa res eſt, inter artis oratoriæ tàm ampla ſtudia, ornamenta doctrinæ non omittere? Cæteris, ſi eam vnam addiſcant artem, quam profiteri volunt, aliarum omnino rudes, expertesq. ſint, id vero ſine vitio facere licebit; oratori niſi turpiſſimè, non licebit. Numquam medico indecorum fuit neſcire leges, aut Iuriſperito medendi artem, aſtrorumq. ſcientiam non tenere: oratori tam indecorum erit, vt omnis labor, quem in perdiſcenda eloquentiæ facultate ſuſcipiet, ſine vlla ſpe frugis, vtilitatiſq. ſit ſuſcepturus. Neque vero id ea gratia dico, quòd cum videam interdum eo incidere loci oratorem, vt de artibus illis, de cæleſtibus, de terrarum, mariſq. deſcriptione, de alijs innumerabilibus, ac propè infinitis rebus dicendum ſit, putem iſta omnia eſſe illi accuratiſſimè, atque à præceptore ſic accipienda, quemadmodum faciunt ij, qui de his exquiſitè, ac diligenter edoceri volunt. Didici enim à Tullio: ignarum Aſtrologiæ, optimis, atque ornatiſſimis verſibus Aratum de cælo, ſtelliſq.

Nican-

ne Arcturum, ac Pleiadas in Iobo, ne Syrenas, Ænocentauros, ac piloſos ignoret Satyros in Iſaia. Scio, Chryſoſtomum, cui aureum eloquentiæ genus nomen impoſuit, pronunciaſſe, oratori Chriſtiano turpiſſimum eſſe ab ijs eloquentia vinci, quibus ipſe religione, ac dignitate antecellat. Scio, Lactantium verè lacteum, & in quem illud Horatianum cadere poſſit,

——— liquidus, puroq; ſimillimus amni
Fundit opes,

dé ſe ipſo dicere, ac profiteri, multum ſibi fictarum illam cauſarum actionem, exercitationemq. apud declamatorem à puero ſuſceptam, atque in adoleſcentia retentam contuliſſe, vt Chriſtianus factus maiore copia, & facultate cauſam veritatis peroraret. Hæc inquam, & memini, & ſcio: ſed ijs oratione tractandis illud vnum effecero, vt intelligatis, haud alienam mihi perſonam imponi, cum è templorum ſuggeſto quaſi ad noua progymnaſmata iterum compellor in has Rhetorum officinas. Ego vero cauſam hãc, quæ contra Rhetoricam agitur, putò mihi communem eſſe cum auditoribus meis. Quare, ne me ipſum amare ſolitariè videar, hæc propria prætermitto, ac ſatis meis, ſatis illorum, ſatis rhetoricæ rationibus conſultum putabo, ſi fructum ipſum, quem etiam hoc tempore afferre poſſit eloquentia, commemorauero. Quamquam hic ego ſalebras video, ſubitoq. ſubſiſto, Auditores. Res enim eſt eiuſmodi, vt ſi quid

præ-

præclarè, ac copioſè dixero, vbertati materiæ tribuendum ſit,ſi quid omiſero,ieiunitati, atque infantiæ meæ. Faciendum eſt tamen, quod ſuſcepimus,atque in trita materia Cleanthis lucerna, hoc eſt nouo fortaſſis artificio laborandum. oſtendam enim, certè conabor, hanc eloquentiæ diſciplinam illo potiſſimum nomine complectendam eſſe, quòd collapſa, quod ex omnium animis penè obliterata ſit, quòd à pauciſſimis arripiatur. Ita fiet,vt quam iſti cauſam idoneam putant, cur hæc dicendi ſtudia è medio tollenda videantur, eam vos eſſe vel maximè, cur inflammatiſſimis animis amanda ſint, & fouenda, iudicetis. Hoc animi mei conſilium antequam explico,vnum vobis in mentem redigẽdum eſſe video,quod ſuſceptæ diſputationis firmamentum eſt: Rhetoricæ nimirũ artem hoc tempore non propterea minus à multis amari,quòd inutilis,aut homine honeſto indigna exiſtimetur; ſed quia complures,qui ad eam facultatem nonnullam indolem afferunt,rei magnitudine deterriti, ſtudium liberale illud quidẽ,ſed tamen arduum, ac perdifficilè prætermittendum putant.Scitum eſt enim quod in eam ſententiã eloquentiæ principes tradidere:in cæteris artificijs percipiendis eſſe ſatis, non dico hominem eſſe, ſed ſimilem hominis;vt ſi minus tradita conſignare celeriter animo poſſis,aſſequaris certè quacũque ratione inculcata.non in ijs quæri linguæ mobilitatem, non celeritatem verborum, non ea, quæ nobis

ipſis fingere, ac fabricari non poſſumus, faciem, vultum, ſonum, totius còrporis habitudinem, grauiſſimam oris dignitatem. In oratorem omnes omnium liberalium, aut minus etiam illiberalium artium virtutes cõuenire; Dialecticorum acumen, ſententias Philoſophorum, verba propè poëtarum, Iuriſconſultorum memoriam, Tragœdorum vocem, Actorum denique geſtum, & motum. legendos illi eſſe poëtas, cognoſcendam hiſtoriam, perdiſcendas leges, omnem antiquitatem percipiendam, omnium bonarum artium ſcriptores peruolutãdos: libandum ex omni litterarum genere florem, quo diſtinguatur, atque aſpergatur oratio. Eruditiſſimi ſæculi temporibus, ſcriptorum nobilium teſtimonio quamdam floruiſſe diſciplinam accepimus, quam Græci quidem παιδείαν vocabant, nos eruditionem dicere poſſumus, maiores noſtri Humanitatem appellarunt. Nominis cauſam puto, vel quòd humanum animum ars illa inſigniter expoliret, vel quòd poſtularet homines planè humanos, atque ad omnem morum facilitatem accommodatos: vel quòd vna eſſet, quæ propter excellentiam, atque præſtantiam, ſoli homini tributa videretur. Sed quæ materia eſſet, quam tractaret, & in qua verſaretur ea doctrina; id vero præteritum ab antiquis, à noſtris vix indicatum video; indicatum tamen. Humanitatem quippè interpretãtur quicquid ad hominis pertinet vim, ac naturam: ita prorſus, vt quemadmodum quic-

quid

quid ferarum naturam attingit, feritas dicitur, quicquid immortalis Dei proprium eſt, diuinitas; ſic ea, quæ vni homini à natura ſunt attributa, humanitatis nomine comprehendi putant. Quod ſi ſummam illam ſapientiam, prolixam bonitatem, nullis incluſam terminis poteſtatem, cæterasq. Dei optimi maximi excellentias vno diuinitatis nomine complectimur: ſuum vero ferarum, ad id quod adeſt, quodq. præſens eſt ſenſu moueri, dicimus feritatem, quis dubitet, inquiunt, quin oratio, ac ratio, quibus homo conſtat, & ſeiungitur à feris, Humanitatis notione comprehendi queant? Quare cum omnem expolitionem, ornatumq. dicendi orationis vocabulo intelligamus, ſequitur, præſtantiores quoque diſciplinas, quæ vno rationis fœtu procreatæ ſunt, omnes, omnes in Humanitatis nomine contineri; nec aliud eſſe Humanitatem, niſi rationis artes cum oratione coniunctas. Videtis quantum iſti campum apertant Humanitati, Auditores. Nullam prætereunt ſcientiam, nullum doctrinæ genus: non morum philoſophiam, non Phyſicam, non Mathematicam, non ius ciuile: dicam amplius: nullam in qualibet facultate cognitionem relinquunt, nullum veſtigium antiquitatis. Eum denique faciunt, & appellant humanum, quem peritum neſcio quo loco nominat Ariſtoteles: eamq. volunt eſſe Humanitatem, quam Plato dixit ἐγκυκλοπαιδείαν, hoc eſt omnium liberalium artium circulum, & comple-

xionem. Tanta eſt enim omnium inter ſe Muſarum cognatio, ac nexus, tanta ſeueriores, manſuetæq. diſciplinæ inuicem ſibi, vt fieri ſolet in fidibus, concordia concinunt, vt ex partibus coniunctam imparibus vnam omnino faciant, ac veluti circino circumductam abſoluant doctrinam, & facultatem: qua qui careat, is iſtorum ſententia dici non poſſit humanus. Eo tempore, quo Philoſophia ſuis egreſſa finibus in magna illa Græcia tabernaculum collocarat, Agrigentinum hominem fuiſſe memoriæ proditum eſt, quo, vt ſcriptum reliquit Satyrus, oratorum nemo fuit habitus eloquentior, nullus Phyſicorum doctior, nemo callidior medicorum. Hunc artis oratoriæ principem, hunc Homericum appellat Empedoclem Ariſtoteles, hunc ita ferunt rerum naturam cognitam habuiſſe, vt ventos aduerſos, ac peſtilentes inhiberet, ſecundas, ſalubreſque aſpirationes adduceret arbitrio ſuo. hunc denique perhibent ita ſcienter, ac temperatè fides pulſaſſe, vt adoleſcentis iram ſtricto gladio in patris accuſatorem irruentis, neruorum dulcedine, ac ſuauitate lenierit. Ex qua liberalium artium tanta vi factum oportuit, vt quæcunque illi res, quodcunque in omni doctrinæ genere argumentum, aut locus proponeretur, de ijs copioſiſſimè diſputare poſſet, quantumuis ſubitò, ac de improuiſo. Tantum igitur, ac talem virum, ne longum faciam, eſſe volunt doctiſſimi ſapientiæ Principes eum,

quem

quem humanum dicimus, atque intelligentem: qui videlicet omni de re propoſita conſtituere poſſit, qui omnia doctrinarum genera norit, qui nihil ignoret eorum, de quibus in loco, ac pro re nata ſit aliquando diſputaturus. Quàm igitur arduum ſit, oratorem fieri, ſi artis oratoriæ quaſi ſeges, & ſilua verè dicitur Humanitas, hoc eſt omnium globus, & comprehenſio diſciplinarum? Quam operoſa res eſt, inter artis oratoriæ tàm ampla ſtudia, ornamenta doctrinæ non omittere? Cæteris, ſi eam vnam addiſcant artem, quam profiteri volunt, aliarum omnino rudes, expertesq. ſint, id vero ſine vitio facere licebit; oratori niſi turpiſſimè, non licebit. Numquam medico indecorum fuit neſcire leges, aut Iuriſperito medendi artem, aſtrorumq. ſcientiam non tenere: oratori tam indecorum erit, vt omnis labor, quem in perdiſcenda eloquentiæ facultate ſuſcipiet, ſine vlla ſpe frugis, vtilitatiſq. ſit ſuſcepturus. Neque vero id ea gratia dico, quòd cum videam interdum eo incidere loci oratorem, vt de artibus illis, de cæleſtibus, de terrarum, mariſq. deſcriptione, de alijs innumerabilibus, ac propè infinitis rebus dicendum ſit, putem iſta omnia eſſe illi accuratiſſimè, atque à præceptore ſic accipienda, quemadmodum faciunt ij, qui de his exquiſitè, ac diligenter edoceri volunt. Didici enim à Tullio: ignarum Aſtrologiæ, optimis, atque ornatiſſimis verſibus Aratum de cælo, ſtelliſq.

Nican-

Nicandrum Colophonium, hominem ab agro remotiſſimum de re ruſtica non ruſtico carmine ceciniſſe: nec Marcum Antonium ieiune de naualium opere fuiſſe dicturum,ſi alieni cauſam artificij ab ipſomet artifice cognouiſſet. Vt enim pictor,ſi eloquenter,ac perdiſerte rationem redderet operis ſui, non tam pictoris officio id aſſequeretur,quàm oratoris;ſic orator ipſe,vbi de alienis agendum eſt artificijs, ab illis eorum cognitionem petet,qui ea de induſtria profitentur. Quàm multa præterea in libris humanioribus de Deo, de rebus à ſenſu remotis, de aſpectabilibus, & corporatis, de rerum initijs, quæ vocamus elementa, diſputantur? Quæ ciuilis philoſophiæ pars, quis de Reipublicæ adminiſtratione,aut de Imperatoris officio neglectus à Cicerone ſit locus, de quo ſapienter, accurateq; non dixerit? Iam vero poëtæ ipſi, quantam rerum omnium ſiluam,materiamq; ſuppeditant? quantam is, qui vniuerſo populi ſuffragio Romanus ſapiens eſt appellatus? Quantam Plato,diuinum illud ingenium? qui hac tempeſtate veluti Myſus aliquis,aut Phryx ab exedris Philoſophorum eiectus,apud nos exilij ſui locum reperit opportunum. Nemo, mihi credite, politioribus hiſce litteris eſt commode, ac ſatis imbutus, qui tametſi præceptores aliarum diſciplinarum non audierit,omnes tamen diſciplinas ita non deguſtarit, vt de alienis artificijs opera quaſi vicaria locuturus,princeps eſſe non videatur in ſuo. Ac

ne

ne multo ſuperioris ætatis memoriam replicemus, etiam atque etiam cogitate qui nam habiti ſint hoc tempore diſertiſſimi. Muretum dicetis, opinor, latiniſſimum, vt ita dicam, Tranſalpinorum, Paulum Manutium exquiſitum literatorem, Carolum Sigonium hiſtoriæ ſcientiſſimum, Romulum Amaſæum orationis productæ; Oſorium Luſitanum Aſiaticum, ac redundantem, Iuſtum Lipſium curioſum antiquitatis interpolatorem; hisq. ſuperiores, Chriſtophorum Longolium Belgam, dicacem, atque aculeatum; Angelum Politianum verbis inflatum, ſed ſententijs grauem, Paulum Iouium Nouocomenſem, ſtyli fluentis, ac tracti; Æmilium Veronenſem pinguiuſculum, ac neruoſiorem, Blondum, ac Platinam incurioſos, ſed tamen facilè decurrentes. hos inquam eloquentes appellàbitis, eiusq. generis longè plures; quos non attinet recenſere. hi verò, vt multa ſcienter, eruditeq. tenuerint, multa tamen vix delibarunt, multa curſim attigerunt, multa leuiter adumbrarunt, multa ſtrictim, & quaſi per tranſennam vix aſpexerunt. Hæc igitur, vt dixi, ita ſunt Auditores. Etiamſi cæteras diſciplinas tanquam à magiſtro traditas exquiſito ſtudio, deditaq. opera ſibi non pararit orator, modo omnes attigerit leuiter, eſſe poteſt in multis primus, in paucis non poſtremus. Sed tamen hanc ipſam eruditionem ſic adumbratam, inchoatamque, illa ipſa, quæ domi naſcuntur, in poteſtatem, ac ditionem vindicare, quanti laboris

ris eſt? poſſe de omni arte ornatè loqui, ac ſapienter, deſcriptas animo res omnes antiquorum ſeruare, exigere ad vnguem voces, ac ſyllabas, tornare periodos, & ne minima quidem appareat aſperitas, interpolando limare, verba circumducere, atque in omnem partem verſare, quaſi radium, ac calamiſtrum ſemper in manibus habere, quantum operæ ſit Auditores? Si enim omnia ſimul obtinere, quę oratorem abſoluunt, ita difficilè ſemper eſt habitum, vt dicerent antiqui, nihil in hominum genere oratore perfecto rarius inuentum eſſe, quantum hoc tempore, iſta moles excreuit, quo non illa ſolum præſidia, & aliena, & propria comparãda per induſtriam ſunt, ſed ipſe quoque latinitatis vſus: cuius adeo à noſtra ipſorum cognitione receſſit ſplendor, vt ante conſeneſcere nos oporteat, quàm eius pulchritudinem introrſus, ac penitus inſpiciamus. Quare, vt à curſu, quo huc aberrauit, ad inſtitutum aliquando referatur oratio mea, hanc vnam eſſe cauſam dico cur Rhetoricæ ſtudijs quàmpauciſſimi ſe tradãt, quòd res infiniti propè laboris ſit, non futilis, aut obſcura. adeoq. mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum, dicendi artem enixè, atque ardenter expetendam eſſe, illa potiſſimum cauſa, quòd pauciſſimi ſint, qui ad eam diſciplinam animum, cogitationemq. conuertant. Quotus enim quiſque minus intelligat, cum honeſtiſſimæ aliquæ artes penè ab omnibus prætermiſſæ in tenebris occultantur,

tur, ſi quis tanto exiſtat ingenio,vt eas in lucem educat, atque in bono quaſi lumine collocet, hunc videri debere nimium quantum, neſcio quid immenſum ad vitæ opportunitates adiunxiſſe? Quid eſt quod facilius clamores, atque admirationes efficere poſſit, quàm ſi in ſumma hominum penuria,qui artem aliquam à communi conſuetudine remotam exerceant, adſit repentè vnus earum rerum intelligens, ac peritus, quarum alij turpiter expertes ſint? An non hunc exciperent quaſi diuinitus ad vitam illuſtrandam, ad benè merendum de vniuerſa hominum ſocietate demiſſum? Vt enim ij, qui nouas artes excogitabant, vſque adeo vitæ cultum, & elegantiam amplificare credebantur,vt non ſolum ab omnibus referrent gratiam,ſed Cæleſtes publica ceremonia fierent, & honoribus ornarentur diuinis, ita qui præclara documenta iam ab alijs tradita illa quidem, ſed temporum vetuſtate obſoleta, dignitati, ſplendoriq. reſtituunt ſuo, haud dubiè digniſſimi ſunt, ad quos penè omnis excogitatæ iam artis gloria referatur, perinde quaſi tam vtile mortalibus inuentum ipſi tradidiſſent primi. Declararunt hæc non ita ſuperiori memoria opifices eximij,atque inſignes, quorum alij pingendi, ac fingendi, ſcalpendi alij, alij cælandi rationem longò iam tempore inueteratam tanta cum omnium acclamatione in lucem excitarũt, vt eos in vita quaſi diuinos propter illorum paucitatem, qui eam tene-

tenerent artem, admirarentur. Declarant quotidie ij, qui facultatum, non quidem nouarum, ſed minimè vulgarium ſtudia conſectantur, quibus expoliti, admirationem à multitudine, laudem à bonis, honorem à viris principibus conſequuntur. Quid igitur eſt, cur Rhetoricæ ſtudia per ſe honeſtiſſima complectenda ex animo non ſint, quæ pauciſſimi, rei operoſæ difficultate deterriti, complectuntur? Cur oratoria facultas præ cæteris amanda omnibus & diligenda non ſit, quæ quia poſtulat ingenium verſatile, omnibusq. opportunum diſciplinis, eos admirabiles efficit, ac ſingulares, qui in ſumma tantæ artis ignoratione ſoli tenent, quod aliorum cognitionem, atque intelligentiam fugit? Quantum enim, id eſt Deus immortalis? Sapere in paucis, in multis obſeruari, demonſtrari, vt dixit ille, prætereuntium digito, ac vulgò dici: hic eſt ille. Quo populi elogio tantopere Demoſthenes ipſe delectabatur, vt eam vocem ne à muliercula quidem, aquam fictili vrna ferente repudiaret. Splendida ſunt vniuerſa, quæ gloriæ conficientia ſunt, ſed tamen quæ nobis vnis ſunt honorifica, ea demum videntur eſſe clariſſima. Nihil in natura ſolitarium eſt, ſed tamen in ijs artibus, à quibus honorem ſitienter expetimus, neſcio qua naturæ inductione rari videri volumus, ac ſolitarij. Habet hoc videlicet proprium, ac ſuum ipſa excellētiæ vis, vt res eximiæ, à quibus omnis exiſtimatio ducitur, multæ, & com-

munes

munes eſſe non poſſint. Quid enim in hac vniuerſitate tanta rerum copia, ac multitudine referta, magnopere admiramur, quod rarum, ac ſingulare non ſit? Mundum hunc, tam abſolutum, & læuem, quem Græci ornamentum appellarunt, quaſi nihil in vita dici poſſit ornatum ſi cum hac elegantia conferatur; hunc mundum, vt ſemel dicam, ita cunctis perfectum partibus, niſi vnus tantummodo procreatus eſſet, putatis ne tantam habiturum fuiſſe pulchritudinem, tantam conſenſu gentium omnium admirationem? Sol autem ipſe ſiderum princeps, inditiq. luminis, vt ait ille, fœnerator, qui ſuo, vel ambitu concitatiſſimo, vel ſplendore omnia colluſtrante tantum humano generi ſpectaculum præbuit ſemper, vt non à popularibus modo, ſed à ſapientibus etiam ipſis mundi habitus animus ſit, & perilluſtris Deus; Sol inquam ipſe, niſi ſolus eſſet, quid haberet, cur omnium ad ſe oculos, cogitationemq. conuerteret? Mitto cæleſtia: hæc noſtra, quæ quotidie tractamus, quibus continenter vtimur, quæ ſemper oculis obuerſantur, videamus. Placent animantes ingenio efferatiſſimæ; placent auiculæ à Barbarorum regionibus accerſitæ, quas cicures impensè reddimus, ſtudioſeq. manſuefacimus. Delectant antiquæ tabulæ, numiſmata, vaſa, delectant ſigna, delectant figuris diſtincta pulcherrimis periſtromata; delectat purpura, pretioſa veſtis, margaritæ illæ, quæ, ſi vulgares eſſent, vniones non eſſent. delectant

lectant ex eo genere longè plura, quæ mercatorum vltro, citroque commeantium ſtudio exportantur, importantur, toto terrarum orbe circumferuntur. hæc inquam mirifice placent, Auditores, ſed eo nomine placent, quia rara ſunt. Quid enim eſſet in Regum, ac virorum Principum magnificentiſſimis ædibus, comitatu, veſtitu, ſeruis, epulis; in tota denique apparitione, atque apparatu, quod vehementer admirari deberemus, ſi ea vulgaria eſſent, & cum abiectiſſimo quoque communia? Quam excellentiam, quam in eximijs viris præſtantiam agnoſceremus, niſi haberent vnum in aliquo humano vitæ ſtudio exquiſitum, ac ſingulare, quod vel cum pauciſſimis eſſet commune, vel à cæteris omnibus alienum? Rectè quidem Plato in Eutydemo ſcriptum reliquit; nihil omnino, niſi rarum, in vita magnifieri, & aqua, quæ quidem optima res eſt, nihil eſſe vilius, quia vulgò reperitur. facit enim faſtidium copia, & quemadmodum ingenioſi poëtæ canitur voce,

Rara iuuant: primis ſic maior gratia pomis,
Hyberna pretium ſic habuere roſa.

Quid admirabilius exortu Solis, curſu, acceſſu, receſſu, circumactu, occaſu? at hæc nemo prorſus admiratur, quia ſemper, & quotidie fiunt: defectiones, obſcurationeſq. admirantur omnes, quia rarò eueniunt; & Solis quidem multo magis, quàm Lunæ, quæ accidunt crebriores. Volunt in ſumma quæ admirari ſolemus excel-

excellentiam, volunt in omni vitæ parte ſolitudinem, ac raritatem, amant à vulgari hominum ſtudio ſeiunctionem. Non igitur eſt dubitãdum, quin oratoria facultas præ cæteris diſciplinis optanda, longeq. omnibus anteferenda ſit, ad quam ipſo aduerſariorum teſtimonio ita pauci animum, ac voluntatem adiungunt, vt ex raro hominum genere ſint ij, qui in illa doctrina poſſe aliquid hoc tempore videantur. Nam, ſi optimum & excellentiſſimum quodque, rariſſimum eſt, id vero quod eſt optimum, eſt etiam in primis expetendum, conſequens eſt, hanc dicendi artem per ſe honeſtam, quam in hoc rerum ſtatu dicunt eſſe rariſſimam, in hoc præcipuè rerum ſtatu eſſe vehementius expetendam. Poſſum hic ego commemorare viros excellentes, ac ſingulares, quos vel hac noſtra memoria nos ipſi cognouimus, vel paulò ſuperiore maiores noſtri viderunt harum litterarum præſidio ſplendorem, inſignemq. nobilitatem non ſolum ſibi, ſed etiam poſteritati peperiſſe. Poſſum longè plurimos adnumerare, qui huius doctrinæ vi, non rem domeſticam, non patrimonium, fluxas illas fortunæ copias amplificarunt, ſed ad eum honorem, eamq. dignitatem, quæ ſumma, vel quæ ſummæ in terris proxima eſt, viam ſibi facillimam, atque aditum munierunt expeditiſſimũ. Quibus enim artibus inſtructus erat Æneas ille Siluius ex agro Senenſi, ac paupere parentum domo ad virorum Principum, atque adeo

H ipſius

ipſius Imperatoris Friderici Tertij conſcribendas epiſtolas à ſecretis adſcitus primum, deinde ad Tergeſtinum Sacerdotium, paulò poſt ad ampliſſimum Patrum ordinem, poſtremo ad ſummum Romæ Pontificatum euectus? Quibus Iacobus ille Papienſis, moribus, ac litteris Æneæ perſimilis, ab eoq; propterea in Cardinalium numerum cooptatus? Quibus magnus ille Beſſarion, cui ne Græcum quidem nomen obeſſe potuit, quin Senatorius, ac Pontificis Purpuratus efficeretur? Quibus Sadoletus, ac Bembus, quorum extant ſcriptæ de rebus grauiſſimis epiſtolæ, ac monumenta? Quibus Alciatus eloquentium conſultiſſimus, conſultorum omnium facilè diſertiſſimus? Vt multa ſcienter intelligerent, ac docerent, nullam tamen artem callidius tenuere, quàm eloquentiam. Dicam vno verbo quod ſentio: neminem eſſe, vel otio, vel negotio nobilem, qui non hac arte famam ſibi nobilitatis acquirat. Volunt interdum viri Principes negotiorum mole ſubductum animum doctorum hominum ſocietate, ac colloquio recreare (fert hoc enim humanarum cogitationum viciſſitudo) ac ſæpenumero volunt. quos igitur acceſſent? philoſophos ne aut iuriſconſultos, qui triſtitiam, ac ſeueritatem quandam ipſa nominis notatione præ ſe ferunt? an humanos aliquos, ac diſertos viros, quos ne nomine quidem appellare licet, niſi nominetur humanitas? Scio in nobiliſſimis Italiæ ciuitatibus quoſdam docto-

rum

rum hominum celebrari conuentus, quos vocant Academias. Immo vero in hac ipſa Vrbe bonarum artium paréte,atque altrice noui duos huiuſmodi cœtus, nobilium virorum, grauiſſimorum hominum,ingenioſorum adoleſcentium concurſu ſub Principum tutela frequentari. Ibi de poëtica, de arte dicendi, de officio diſputant;ibi locos tractant è media Humanitate petitos; ibi viros in Republica primos exornant, ibi antiquorum ſcripta cæteris audientibus vnus exponit interpretando. Quæ ſi quis eloquenter, & ex Rhetoricæ præceptis efficere poſſit, in ore totius eſt ciuitatis, omnium acclamatione tollitur in cælum, occurrentium ſuſurro, atque indicio demonſtratur. Diſputat, aut ſcribit de rerum natura Philoſophus, Theologus de Deo, de beatis Mentibus, de religione, de ſanctitatibus,quas vnus omnium ſubtiliter explicat. Tractat Iuriſconſultus tutelarum cauſam, agnationum, gentilitatum,alluuionum: ſed quotus eorum quiſque cum admiratione auditur,aut legitur, qui ſtibium, & calamiſtrum ſermonis omnino contemnat, orationemq. ſtrigoſam, & luridam eſſe patiatur? Age vero. An non in ſingulis Italiæ, cæterarumq. prouinciarum ciuitatibus aliquis eſt ſenatus, aliqua comitiorum ſpecies, aliquod veteris fori ſimulacrum; vbi ſuadendum ſit aliquid, aut diſſuadendum? ſi quis hæc eloquens inter indiſertos cum dignitate præſtet, haud dubiè obtineat in illa Reipu-

Digitized by Google

blicæ forma principatum. An non ſæpenumero eorum, qui capitali diſcordant odio, reconciliandi animi, atque ad pacem, concordiamq. ſunt reuocandi? nihil eſt vſitatius, quia nihil accidit in vita frequentius, quam diſſidere. Si quis ergo eloquētiæ præceptionibus inſtitutus cognitum habeat, quo quiſque modo flecti poſſit: inimicataſque, atque abalienatas voluntates in mutuam dicendo reducat gratiam, næ ille omnium admurmuratione ſit Neſtor: quem ſolum finxit Homerus ſtomachum Achillis implacabilem oratione flexanima componere potuiſſe.

Quæ ſi verè à me dici putatis Auditores, dicuntur autem veriſſimè; quin vos veſtro ſuffragio iudicatis, indigniſſimè facere, qui eam artem quaſi minus vtilem explodere contendunt, quæ cum non nihil hoc tempore ſpiret, non ſolum omninò extinguenda non eſt, verum etiam, ſi planè iaceret, eſſet omni ope, ac ſingulari hominum induſtria ſubleuanda.

Quare vos poſtremò, quorum cauſa in primis inſtituta eſt, mea compellat, atque laceſſit oratio Adoleſcentes. efficite, ne illam contemnere laudem, certè parui facere videamini, quam ab hac facultate parare poteſtis ampliſſimam: diligenterq. curate, ne tantum apud vos præiudicata illa opinio valeat, vt plus inimica litteratorum nomini voce, quàm certiſſima gloria veſtra moueamini. Percipere profectò licet à iuriſprudentia ciuilis adminiſtrationis rationem, ac modum;

à phi-

à philoſophia exquiſitam naturæ, rerumq; cæleſtium cognitionem, à ſingulis diſciplinis vnam aliquam laudem ſolitariam, ac ſingularem. Sed ſi animum eloquentiæ ſtudio ſedulò informandum tradatis, nihil eſſe poteſt in Iuriſprudentia tam vtile, atque frugiferum, nihil in omni philoſophiæ parte ſic luculentum, nihil in cæteris artibus tam eximium, atque admirabile, quod in hac dicendi facultate multo excellentius, multoq. vberius inuenturi non ſitis. De animi mei conſilio diſertè, quidem, atque vt omnes exaudiant, clara voce habeo polliceri; ita me in hoc dicendi munere verſaturum, vt nihil eorum prætermiſſurus ſim vnquam, quæ inchoatam iſtam eloquentiam veſtram Tullianæ facultatis ductio, fluentiq. ſtylo, quaſi nouis quibuſdam copijs facere poſſint auctiorem. Nam contracto illo, vibratoq; dicendi genere, quod ſecundum tempora Ciceronis irrepſit, ita delector, vt parum vtar; hac noua gypſatæ, ceruſſatæque, orationis formã, quæ peregrinis hodie placet, ſic vtor interdum, vt non delecter. Tantum, quod eſt in vobis, afferte docilis ingenij facilitatem, ac diligentiam: voſq. ad eam parandam diſciplinam excitate, quæ admirabiles, quæ raros, quæ ſingulares, quæ homines efficit humano penè faſtigio celſiores.

DE RHETORVM ORNAMENTIS

AB ORATORE DIVINO non abborrentibus.

ORATIO V.

ETSI multas anno ſuperiore diſciplinas, artesq. percenſui, quæ hac etiam tempeſtate, vbi nullus penè Rhetoricæ videtur vſus eſſe relictus, vſum Rhetoricæ ſibi maximè vindicarent; principem tamen locum de induſtria prætermiſi, quò placet hoc honorariæ concionis conuentu hodierna luce recurrere: modo mihi, ſanè quam pro eo, ac veſtra pollicetur humanitas, audientiam faciatis, Viri clariſſimi, Religioſiſſimi P.P. præſtantiſſimi Auditores. Cum enim hoc tempore ita contracti ſint Rhetoricæ fines, vt templorum ſepta parietibus videatur, eorum oratione tractata, qui populari lingua concionabundi de religione diſputant, vitæq. prauitatem vehementi declamatione caſtigant, his omnino perutilem, ac perquam neceſſariam eſſe dicere oportuiſſet artificioſam eloquentiæ facultatem.

Ego

Digitized by Google

Ego verò, ſiue quòd argumentum ab hoc loco alienum putarem; ſiue quòd vulgarem illam in templis declamandi rationem, in qua verſabar, planè, ac prorſus abijcere poſſe me crederem: ſiue quòd eorum vocibus deterrerer, qui pugnaciſſimè contendunt, Chriſtianum oratorem oratoris carere artibus oportere; eam partem volens, prudensq. præterij, quam primam, & eximiam ducere debuiſſem. Cum autem illud populare dicendi genus mihi fuerit hoc ipſo anno non nihil in frequenti virorum cœtu publicè retractandum, viderem q non poſſe omninò negligi, ac deponi; cœpit me pœnitere conſilij mei, meamq ſæpius inconſiderantiam accuſaui, quòd pulcherrimam eius agendæ cauſæ occaſionem non dubitarim voluntaria declinatione defugere. Dabitis itaq mihi hanc veniam Auditores: vt quam ego rationibus meis fraudem, ac damnum per negligentiam feci, noua hodie illius argumenti tractatione compenſem. Vnum in tam expedito tramite obicem video, qui poſſit, aut ingredientem repellere, aut euntem facilè retardare: quòd in eodem campo multorum iam ſcriptorum deſudarit induſtria, quorum hodie voluminibus vſque ad ſatietatem abundamus. Egerunt enim hunc actum permulti: qui, vt Rhetoricam neſcio quam diuinam, ac ſacram excuderent, profanam illam antiquorum non multis ante annis ſedulò recoxerunt; docti cæteroqui viri, ac ſapientes: Ludouicus Granatenſis,

tenſis, Auguſtinus Valerius Cardinalis, Ioannes Boterus, Ludouicus Carbo, alijq. non pauci, ſed nominis obſcurioris. Nullus denique nunc eſt in diuinis tractandis cauſis, vel ipſius inductione naturæ, vel artificio paulò facundior, qui totam, & naturam, & artem ſibi perire non putet, niſi huius artificij præcepta conſignata litteris poſteritati relinquat. Terentianum ergo prologum agere me oportet, hoc eſt, veſtros omnium animos occupatione præparare; ne fieri poſſe credatis, vt vel aliquid hoc tempore dicatur, quod prius dictum non ſit, vel aliquid hodie faciant noui, quod veteres olim non factitarint. Sed, ne ad hanc quidem communem arcem neceſſe habeo recipere orationẽ meam; cum aliquid ex tanta ſilua decerpere poſſim, quod aliorum præterfugerit aciem, atque in ſumma rerum copia, ſcriptorum vel voluntate, vel faſtidio relictum ſit. Quamuis enim oratori Chriſtiano facilè dent, vt quamplurima petat à Rhetorum facultate præſidia, illud tamen omnino, & conſtantiſſimè negant; eumdem ſine vitio poſſe lectiſſima, & luculentiſſima verba, concinnatam dictionum collocationem, conquiſitos numeros, limatam periodum, aliumuè huiuſmodi diligentiorem ornatum ad comendam orationem adhibere. Quorum ſanè vocibus ita concinunt ex omnium penè ordinum numero certi quidam homines incorrupti, ac ſanctiores, vt ſi quem paulò dicentem ornatius audiant, illicò,

licò, atque indicta cauſa, quaſi rabulam, aut ineptiſſimum declamatorem explodant. Contendam ergo, nouo, niſi fallor, exemplo, cultum iſtum, ac ſplendorem orationis eos maximè, inprimisq. decere, qui de Deo, de rebus diuinis, de Chriſtiana religione populariter, vt fit in templis, ac vulgi ſermone declamant. Sed ne cuipiam incredibilis, ac Stoicorum ſimillima pronunciatis hæc mea videatur oratio, aperiam initio fontem, vnde tanta, & tam ſeuera in Chriſtianos oratores animaduerſio fluxit: vt demum intelligatur quale ſit ornamentum, quod in grauiſſimo declamandi genere ſummè requiro. Neque enim popularis huiuſce declamationis ornandæ ita ſum author, quaſi non videam, etiam in hoc ornatu ſectando maximè multos, turpiſſimeq. peccare. Sed ſcio nos ita factos eſſe mortales, vt vbi vitium in maiorem hominum partem contagio quodam irrepſerit, malos reprehendere non poſſimus, quin vnà etiam bonos, quia pauciſſimi, ac malis permiſti ſunt, recti quadam ignoratione vna corripiamus. Quod, vt intelligatur in multis, in eo potiſſimum vulgari dicendi genere cernitur oculis; in quo quia plerique alienis coloribus orationem pingunt, omnes alieno pingimus fuco quicumque tandem aliqua ratione depingimus. In quauis profectò gentium, ac populorum lingua facillimè quidem quærendis ornamentis erratur, ſed in hac populari noſtra, qua fermè de diuinis dicitur, ac publicè

blicè diſputatur, incredibile dictu eſt, quàm in procliui error, ac prolapſo ſit. Multos ego libros peruolutaui,eorum, qui huius linguæ præceptiones exiliter,& exiguè tradunt:Petri Bembi, qui primas in ea doctrina meruiſſe credebatur: Ludouici Caſteluitri,qui,vt erat acutus,næuos in Bembo reperit, ac miniatula cèra notauit: Mutij Iuſtinopolitani,qui glorioſum bellorum titulum ſuis libris inſcripſit: Diomedis Burgheſij,qui omnium poſtremus,omnium omnino ſcriptorum,ipſius quoque Mutij peccata, cenſoria quadā virgula deſignauit. Horum inquam, aliorumq. ſcripta perlegi, ſæpè cum peritis hominibus,accuratiſſimeq. ſermonem habui;ac de illorum ſententia, meoq. ipſius arbitrio ita decreui: multo difficilius in hac lingua eſſe,poëticas loquèndi formas, hoc eſt falſa orationis ornamenta internoſcere, quàm in Latina. Cum igitur eorum plerique, qui ad populariter orandum accedunt, laudabiliter dicere ſe poſſe diffidant, niſi orationem ante diutulè pectant, atque aliquo colorent medicamento; inſalutatis Grammaticis,atque oratoribus ipſis,in penetralia poëtarum inuadunt:à quibus vbi putida quædam adiuncta, vel metaphoras illuſtriores interuerterint, ſententias infuſcant ſuas, obſcurant alienis luminibus argumenta; & quia cupreſſum male ſimulare ſemel didicerunt, peſſimè omnibus locis,ac ſemper eamdem cupreſſum inculcant. Tum enimuero illæ audientium voces ex-

cipiun-

cipiuntur, quæ iſtorum orationem iure quidem, ſed falſo nomine reprehendant: cum quos homines abſurdos, ac ſtolidè debacchantes appellare deberent, eos ſequi dicant rhetoricæ florem orationis. Quos ego cum audio, ſæpè mihi venit in mentem reſpondere, legi quidem ab iſtis flores, ſed flores vulgò, ac paſſim obuios, fætidos, deſpicaciſſimos, in luto ipſo, fimoq. naſcentes. Aliud eſt apiculam eſſe, aliud eſſe fucum, aut ſcarabeum: aliud eſt florem fundere, qui pariat frugem; aliud ſine fructu, ac fœtu inaniter effloreſcere: aliud eſt, ſuis nitentem coloribus, natiuo vegetam ſucco, minimè maculoſis ornatam veſtibus, quaſi virginem, aut matronam ex honeſtiſſima domo orationem producere, aliud ceruſſa oblitam, ac ſtibio, vnguentis delibutam, & medicamentis exoticis, Phrygia palla, vel purpura collucentem Tyria proferre, quaſi de ganea meretricem. Declamaret in iſtos vir eloquentiſſimus, idemq. ſanctiſſimus Hieronymus id, quod in Chriſtianos ſui temporis oratores declamauit. Ad quos velut ad Athenæum conueniri dicebat; vt imperitorum excitaretur plauſus, vt oratio, Rhetorum obuoluta mendacijs, quaſi meritoria pellex procederet in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæſitura. Declamaret Hieroſolymitanus Cyrillus, qui nimium verborum ornatum in Chriſtiani declamatoris ore mel è meretriculæ fluens labijs appellauit. Declamaret Clemens

Digitized by Google

Alexandrinus, qui iſtorum orationem, conuiuium nullis ornatum epulis dixit, bellarijs tantum, & condimentis, quaſi quibuſdam adulterijs epularum inſtructum. Declamaret Baſilius, qui vocum elaboratam poſituram, numerorum conuenientiam, atque ad vnguem exploratam collocationem irridet; negatq. Chriſtianis licere periodorum quaſi fabros eſſe, ac tornatores. Declamaret Gregorius Nazianzenus, qui fucoſam, ambitioſamq. dicendi formam à Theologia, hoc eſt à diuinis cauſis cenſuit omnino, ac prorſus exterminandam. Declamaret Iulius Pontifex Maximus, qui non eloquentiam modo, ſed omnem eloquentiæ formam Chriſtianis hominibus abiudicauit. Quid vero ſanctiſſimorum virorum teſtimonia tanto ſtudio ad ſatietatem vſque conquiro? Damnaret iſtos Pythagoras: qui, vt eſt apud Theodoretum, oratores fucato munitos artificio, Syrenas, vt leuiſſimè diceret, nominabat. Damnaret Quintilianus, qui ſcriptum reliquit, oratoriam artem ita deſinere artem eſſe, ſi appareat, atque ars eſſe videatur. Damnaret ſummus dicendi magiſter Cicero, qui candoris, ac ruboris accerſiti medicamenta à callida prudentis oratoris dictione diſpungit. Dicunt hæc integerrimi, ſapientiſſimiq. viri conſultiſſimè, vt intelligamus, nimio politam ſtudio, circumtonſam, & quaſi manu factam orationem grauiſſimis rebus non conuenire. Sed eorum auctoritate plerique ſic abutuntur, vt vbi con-

cin-

cinniorem numerum, vbi vocem à communi abhorrentem vſu, vbi verba diſpoſita diligentius exceperint, etiam bonum, prudentemq. oratorem quaſi fallacem; ac præſtigijs vtentem inſectentur. Volunt enim iſti ſemiCatones diſcincti pannoſam orationem, pallidam, ſtrigoſam, vix oſſibus hærentem, non quæ matronam vrbanam, ſed quæ ruſticulam; atque agreſtem imitetur aliquam:

Sabina qualis, aut peruſti ſolibus
Pernicis Vxor Appuli.

Bizantinos, aliosq. nonnullos ſolis orientis populos accepi, ſolitos eſſe noſtros homines, qui eò per occaſionem accedunt irridere, vbi eorum viderint veſtes ferro, vt noſtratium conſuetudo eſt, artificioſe conciſas, laciniofas, ſcutulatas, phrygionum elaboratas, ac pictas filo, limbis, faſciolis, inſtitis, ac ſegmentis vndiq prætextas. Exiſtimant enim pannum, ac telam puram additamentis illis obnubi, & quodammodo contaminari. Hos videlicet Barbaros imitari videtur iſti, qui nullum colorem, nullam fimbriam, aut appendiculam in oratione patiuntur; rati, acceſſionibus illis, ac phaleris materiæ ſinceritatem inquinari. Quamquam non omnes ita peregrinos, ac barbaros putò, vt non intelligant, quantum rebus etiam ſacris, ac diuinis argumentis afferat dignitatis figurarum illuſtrium tractatio, & cultura verborum: ſed confirmant tamen, iſtas oratorum fibulas, ac bullas in oratione po-

ni, velut in veſtimento, non ad defendendum frigus, aut depellendum calorem, ſed ad cernentium oculos ea pulchritudine capiendos. Chriſtiani autem hominis orationem non debere ſimilem eſſe Muſis, quæ citharam, ac tibias tenent; ſed Palladi, quæ ferro, ac telis armatur, hoc eſt eam, quæ ſeueritate audientium animos premat; non deliniat, ac molliat voluptate. Ego vero non video, cur tam vehementer timenda, & cauenda ſit ea iucunditas, quæ à rebus diuinis cum ſermonis ornatu tractandis hauriri poteſt. Scimus enim in Epidictico dicẽdi genere, quod eſt ad delectationem inprimis inſtitutum, grauiſſimos, & ſanctiſſimos Patres eſſe verſatos: Hieronymum qui Paulam; Ambroſium, qui Romanam Agnetem; Leonem Pontificem Maximum, qui Chriſtianæ religionis Principes Apoſtolos; Tertullianum, qui patientiam ipſam oratione magnifica, ornatiſſimaq. commendarunt. Quid quod etiam carmine, quod ad delectationem fingitur, & componitur totum, Iuuencus Euangelium, Arator Apoſtolorum acta, Sedulius, Paulinus, Prudentius alia quædam ex eo genere noſtræ religionis argumenta cecinerunt? Si delectationem repudiabant, vnam vtilitatem tantummodo requirebant, quid erat cur emodulatis ſonis, ac numeris ea canerent, quæ paſſis verbis, ac liberè diſputare potuiſſent? Age vero. magnificentiſſima quotidie templa, Deo, Cælitibuſq. facimus. baſilicas ampliſſimas, atque

vt

vt loquitur de antiquis Romanorum ædificijs Ammianus,in modum prouinciarum extruimus, non ad vſum tantum rerum ſacrarum,ſed ad iucundiſſimam etiam oblectationem oculorum. Addimus ingentes coronarum proiecturas,quas marmoreis,aut æneis cancellis terminamus, addimus mutylos,atque interpenſiua,addimus columnas, quæ parietem non modo fulciant, ſed etiam ornent; quadratas, teretes, à ſummo ad imum ſcapum ſtriatas, turbinatas in ſpiram, in Cariatidum, aut Plateenſium captiuorum ſpeciem efformatas. Epiſtyſtilia columnis ipſis imponimus, quà Dorica leuiſſimo ſupercilio, guttis, tænijſq. per oram, & marginem flexis, quà Ionica orbiculis diſtincta creberrimis, volutis, inuolucriſq quaſi capillamēto quodam vtrinque concriſpata: quà Corinthia, calathum Virginis acanthi folijs interplicatis,ac per ambitum paſſis referentia: quà compoſita,hoc eſt,ex illo triplici capitulorum ordine artificiosè confuſa. Collocamus in fronte antes, atque paraſtatas, quæ marmoream trabem ad ſpeciem, & quaſi perfunctoriè ſuſtineant. Scalpimus ſupra denticulos,metopas,triglyphos,taurorum capita,lances,arbuſculas, floſculos tortuoſos, atque intra floſculos ipſos,puerorum,aut mutarum animantium luſus. Parietes non modo mundiſſimo tectorio,ſed etiam peripetaſmate conueſtimus:nihil denique prætermittimus eorum, quæ poſſint aſpicientium oculos opere, artificioq. tenere.

Ne

Ne longè abieris. in manibus eſt, & continenter vrgetur illud Vaticani miraculum, quod per centum iam amplius annos conſumpſit quicquid eruitur omnibus terris, neque vllum tamen finem, aut modum abſumendi facit. Nihil eſt, quod à me pluribus explicetur. æſtimationem rei à Barbaro petam; vt intelligatur tantæ magnitudinem, ac pulchritudinem ædificationis, non tam facilè prudentium iudicio, quàm peregrinorum admiratione perpendi poſſe. Perſarum Legatus, qui luſtrali anno, Clemente Pontifice VIII. Romam venit, eam Vaticani molem cum primum aſpexiſſet, diu, multumq. magnificentiam, & deſcriptionem operis dicitur ingenti cum admiratione contemplatus. Qui hominem deducebant, expectabant auidè, quid nam de tanto, tamq. ſpectabili pronunciaturus ædificio eſſet. Quia tamen admirabundus iam ſilentio diſcedebat, rogatus eſt, ecquid de lapidum illa ſtructura, deq tota ædificatione ſentiret. Enimuero, inquit ille, tantum, & tam affabrè ductum opus, vel Angelos finxiſſe autumo, vel elaboraſſe Gigantes. Quorſum ergo moles excitata eſt talis, ac tanta, vt Barbarorum iudicio, vel Gigantum opus, vel beatiſſimarum Mentium artificium, ac labor eſſe credatur, niſi ad rerum ſacrarum ornamentum, atque ad religioſos animos ea ſpecie recreandos? Neque enim minus ſanctè res diuinæ colebantur à maioribus noſtris, cum exigua, & curta ſacrorum ſupellex

eſſet,

eſset, cum ſpecus, & gurguſtia pro templis haberentur, cum ligneis ſacèrdotes ad aras vterentur poculis inter libandum. Immo verò libẽtiſſime traxerim ad noſtram, quod de religione ſua cultiſſimus ille poëta concinuit.

Tunc melius coluere fidem, cũ paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Quorſum inquam holoſericæ nunc veſtes, argenteæ, aureæ; vndulatæ, opere Phrygio, Damaſcenoq; contextæ? quorſum redimicula, & vela, quibus Sacerdotes ipſi, quibus arę, quibus parietes veſtiuntur? quorſum pulcherrima vaſa, cruſtis, bracteolis aureis, & compactibilibus argumentis obducta? Quorſum modulantium vocum, & cithararum concentus, quibus hodie templa perſonãt, tam artificioſus, & multiplex, vt neque pares tibias, atque impares, neque dextras, aut ſiniſtras, neque modum Æolium ſimplicem, neque Aſium varium, neque Lydium querulum, neque religioſum Phrygiũ, neque Doricum bellicoſum habeamus neceſse magnopere inter ſacrã deſiderare. Quorſum denique, tam amplus, & locuples Eccleſiæ antiquorum abolita paupertate, theſaurus, vt hunc ẽt verſum aduerſarijs noſtris eripere poſſimus.

Fictilibus creuere Deis hæc aurea templa.

niſi ad eam Chriſtianorum animis afferendam, infundendamq; voluptatem, quæ religionem ipſam, non modo nihil minuat, ſed etiam faciat auctiorem? Cadit in hanc ſententiam meam,

quod aliorſum à Seneca dictum eſt. Non ſi voluptatem prẹſtatura eſt virtus, ideo propter hāc petitur; non enim hanc præſtat, ſed & hanc: neque huic laborat, ſed labor eius, quamuis aliud petat, hoc quoque conſequitur. Sicut in aruo, quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur; non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis, inſumptum eſt; aliud fuit ſerenti propoſitum: hoc ſuperuenit; ſic voluptas, non eſt merces, neque cauſa virtutis, ſed acceſſio, nec quia delectat placet, ſed quia placet, delectat. Conueniunt inquam hæc in eam voluptatem, quæ ab rerum diuinarum ornatu percipi ſolet. Quamquam enim illæ non propter voluptatem, ſed propter ſe maximè ſunt expetendæ, non tamen ea repudiant ornamenta, quibus quaſi floribus inter ſegetes enatis etiam ad iucunditatem, atque ad delectationem animus alliciatur. Itaque ſi cætera quantumuis ſancta, diuinæq; obſeruantiæ dedicata, cultum, ornatumq; non patiuntur modo, ſed requirunt, ac poſtulant; ſi ab ea voluptate abhorrendum non eſt, quẹ à templorum, aliarumquè religioſarum rerum pulchritudine, quæ à modulis ipſis, atque à muſicæ ſuauitate percipitur; cur oratio de diuinis inſtituta cauſis inficienda illuuie ſit, & ſqualore deformanda? cur ea fugienda iucunditas, quam ſacri ſermonis elegantia poſſit afferre? Fingite difficilem aliquem antiquæ ſimplicitatis virum, aſperum, ſemipaga-

num, religioſum tamen, ac bonum è ſiluis, magalibuſq; digreſſum, in Vrbem ingredi, ac Vaticani templum, de quo dicebam per partes exquiſite conſiderare: quadratas opere lateritio pilas, quibus tholus, ac totum ædificium incumbit, ingentes ſupra pilarum abacos fornices impoſitos, concamerata tecta roſis aureis collucētia, lunulatum hemiſphærium muſiuo pulcherrimo interpictum: aras, ac ſacella Numidico, Lucullæo, Punico marmore contecta cruſtulis, ac teſſellis inſititijs pene vermiculata, lithoſtratum pauimentum, nunc quadrata, nunc orbiculari figura, nunc varia, ac propemodum infinita coagmentatione diſtinctum: externum templi proſpectum perpetuo Tiburtino lapide definitum, veſtem, ac ſupellectilem ſacram, lucernas æreas, argentea candelabra, aulęa, periſtromata, ſigillata vaſa, Corinthijs, Deliacis, antiquis omnibus æſtimatione, ac pretio longe maiora. Putatote, nunc ita eum vos querentem, & expoſtulantem audire. ò mores inuerſos, atque corruptos: hem illa maiorum parſimonia, quò recidit aliquando? quid neceſſe fuit, tam ſuperuacaneo cultu ſubſtruere, exædificare, oblinere gypſo, incruſtare marmore, inaurare etiam omnia, ſerico, ac purpura conueſtire, inſtrumentum Attali templis inferre, Pontificum opes, populorum manus vno in opere laſſari? Parum erat patrimonia priuatis delicijs perdere, niſi etiam luxu inter communia ſacra difflueremus.

Hæc iſtum eo modo clamantem, ac permiſcentem omnia pateremini vos, Auditores, ac non potius ad eas Inſulas, & ſolitudines deportandum curaretis, vbi oculis ſine collyrio mederi poſſet? Et eum feretis, qui concionem in templis hiſpidam velit, qui ſacris declamationibus omnem ornatum denegandum, atque auferendum putet? An non hoc ſimile videatur, vt ſi quis coronulas, ac ſpiras à columnis, columnas ipſas, & zophoros è templorum frontibus auferret, refigeret è valuis argumenta, & bullas, adſutas Pontificum veſti faſciolas detraheret: reſtitueret pro Coa, & byſſina leuidenſam? Cęterum nihil hic ago, niſi ſanctiſſimorum virorū exemplo planè demonſtro politiſſimas, atque ornatiſſimas eſſe oportere Chriſtianorum declamationes. Vtinam quomodo forenſibus Ciceronis orationibus abundamus, ſic eiuſdem, aut antiquorum illius ætatis haberemus aliquas, in quibus de ſuis ipſorum ſacris perpetuo ſermone dixiſſent. Etenim ſæpe mecum ipſe cogitare, & quærere ſolitus ſum, quid cauſæ fuerit, cur Romani in ſumma religionis cura, quam, & Pontificales libri, & Faſtorum tabulæ declarabant, cur inquam in tanto ſuæ religionis ſtudio illud officij genus ita prætermiſerint, vt ne ſuſpicari quidem poſſimus ſtata, & certa apud eos tempora fuiſſe, quibus de religione, de cerimonijs ſuis publice, ac de induſtria Pontifices, aut Flamines concionem haberent. Nam ſi aliquod

huiuſ-

huiuſmodi veſtigium ab antiquis impreſſum videremus, inde profecto poſſemus orationum noſtrarum, quæ veteribus illis proportione reſponderent, exempla mutuari; planeq; ſtatuere quanta cum temperantia, licentiaue concionibus ſacris, eſſet quaſi color inducēdus ornatus. Sed placet nullum huiuſmodi antiquorum eſse monumentum, cum plurimos habeamus duces, noſtræ religionis Antiſtites, ſapientes oppidò, & graues viros: quos quia veluti locupletes ſuæ doctrinę teſtes iſti producunt, contenduntquè, omnem eos abieciſſe ſermonis elegantiam, curamq; verborum, oſtendam ego genus dicendi cultiſſimum, atque ornatiſſimum adamaſſe. Neque vero de quibuſdam eorum declamationibus penè ſubitis loquor, quas exceptoris alicuius fuiſſe potius autumo, quam auctorum, cuius nomen, ac titulum ferunt; ſed de ijs, quas ſanctiſſimi viri cogitatas, ac meditatas domi, publicè dixerunt, litterarumq; beneficio tradidere poſteritati. Harum igitur auctores confirmo fuiſſe in dicendo elegantiſſimos, ſi eorum temporum habenda ratio ſit, quibus ſua eos monumenta feciſſe cognoſcimus. Nam cū elegantiſſimos dico, non ita caſtigatos, & emunctos intelligo, vt M. Tullium, alioſq; primi nominis, & notæ ſcriptores eloquētia vicerint. Non indiget, mihi credite, illorum laus iſto mēdacio; ſed ſi cum profanis ijs oratoribus conferendi ſint, qui eodem planè tempore, hoc eſt

corrupto iam Latinitatis flore, floruerunt, tùm enimuerò perpolitos, mundiſſimos, ac lautiſſimos, fuiſſe contendo. Neminem quidem è Latinis habeo Tertulliano parem ætate, habeo tamen longe plurimos, quos cum alijs conferre, & componere poſſim. Vixerunt enim ijſdem penè ſæculis, certe non ita inter ſe diſtracta, remotaq; memoria Nazarius, qui Conſtantinũ, & Conſtantini filium pro concione laudauit; Latinus Pacatus, qui Auguſto Theodoſio panegyricum dixit; Mamertinus, qui Iulianum, Maximianum, ac Diocletianum Imperatores oratorijs aſſentationibus extulit: incertus ille, qui Flauienſium nomine Conſtantinum eſt alloquutus, Eumenius Rhetor, qui pro ſcholis inſtaurandis coram Galliҫ Prҫſide declamauit; Auſonius Burdegalenſis, qui Gratiano in publica panegyri gratias egit. Hi, quoniam declamatores erant, quoniam Imperatores rerum dominos exornabãt, atque oratoriam artem de induſtria profitebantur, haud dubie quantum ipſis per facultatem licuit, tantum orationes ſuas lectioribus verbis illuminarunt. Sed creditis vos elegantiores iſtos fuiſſe Lactantio, Cypriano, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Arnobio, Paulino, Chriſtianis hominibus, ac ſanctis, qui eodem, aut non ita diuerſo tempore ſcripſiſſe, atque ad populum dixiſſe perhibentur? Conſulantur, vtrorumq; litteræ, ac monumenta; orationes cum orationibus, artificium cum artifi-

cio or-

cio, ornatus cum ornatu conferatur. Inuenientur hi caſtiſſimi viri non modo pares, ſed diligentiores etiam, ac mundiores. Ne multa, cum in Capitolio reſtituendam putaret Symmachus aram Victoriȩ, quam Chriſtiani olim Senatores demoliti erant, idque ſummis precibus, atque adeo compoſita, callidaq; oratione à Valentiniano Imperatore contendiſſet; vnus Ambroſius inuentus eſt, qui eius eloquentiæ ſeſe obijceret, itàque hominis fregit audaciam, vt victa cauſa, de acerrimo Chriſtianæ religionis hoſte triumpharet. Extant vtriuſque in illo argumento contrariæ declamationes, quas ſæpiſſime lego, & confero. dicam quod ipſa res eſt: vbi depoſito Symmacho, ad Ambroſium venio, non in ea tantum declamatione, ſed in omnibus penè ſcriptis Ambroſius ipſe longe mihi videtur ornatior. Video me, dato ſpatio, ſic in altum excurriſſe, vt facile regreſſum inuenire non poſſim. Sed inueniam tandem aliquando neceſſe eſt, niſi velim auram iſtam beneuolentiæ veſtrȩ in orationis ſatietate, velut in malacia deſiderare. Tantum igitur intelligi volo; ſapientiſſimos illos, atque integerrimos viros perdiligenter, & quantum ea tempora patiebantur, ſplendide orationes ſuas exornauiſſe. Quod ſi florentiore, ac puriore latinitatis ætate vixiſſent, ne Cicerones quidem ipſos, aut Hortenſios magnopere in noſtra cauſſa requireremus. Prȩclara enim illa Romanorum libertate ſublata, atq;

in vnius dominatu, nullo iam eloquentiæ relicto loco, extitere peregrini quidam, & ſemibarbari declamatores, qui ſtylo in adulationem compoſito, translatis inuerecundis, periodis, ac numeris orationis infractis, breuibus ſenteтiolis, ac ſubtilibus clauſulis virorum Principum gratiam occupare cœperunt. Cum ergo ſecundum hęc decoloratæ, inquinatæq; Latinitatis tempora, quibus ipſi quoque dicendi magiſtri lutulenti fuebant, ſucceſſerint ij, quos Chriſtiana Reſp. Patres colit, ornatiſſimi ſanè, vel eo nomine putandi ſunt, quòd non minus ornatè, vel etiam ornatius dixerint, quàm dicerent ea tempeſtate publici, atque profani declamatores. Exiſtat ergo nunc aliquis, qui verborum ornatu contenendo omnem Chriſtianæ declamationis dignitatem elidat, cum videat ſummo conſilio, ac ratione, ſummo caſtiſſimorum virorum exemplo poſſe, atque adeo debere ſacras orationes luculentiſſimis, ac lautiſſimis verbis expoliri. Nemo damnat Muſicas modulationes, ac numeros, quibus diuinę laudes in templis moliſſimè decantantur. Nemo damnat artificioſiſſimè factas, pulcherrimiſq; coloribus depictas tabulas, ſplendidiſſimam ſacrorum veſtem, appendices, & parerga parietibus addita improbat nemo: vna tantum oratio de Deo, deque religione diligenti perfecta opere, & ſuis expreſſa coloribus è templis ipſis eijcietur? An minus ad diuinas celebrandas laudes in oratione, quàm in

fidi-

fidibus, in veſte, in ſaxis poſitum eſse momenti arbitrantur? Placuit antiquiſſimis, & ſanctiſſimis viris perelegans, ac perpolitum dicendi genus; nouis Cenſoribus nullæ ſermonis lautitiæ, nulli verborum ambitus, nullæ vnquam orationis munditiæ placeant? Cogor iniquitate ſententiæ ad incorruptum animi veſtri iudicium prouocare, Patres: voſque etiam, atque etiam obſecrare; vt ſtatuatis, ita ſe iſtos amare, vt ſpreta maiorum auctoritate, poſthabito ſummorum hominum conſilio, ſoli inter ſapientes ſibi ſapere videantur.

DE

Digitized by Google

DE VIRGILII ALLEGORIA VNIVERSE

ORATIO VI.

QVANDO Rhetoricæ patrocinium ſuſcipere non poſſum, quin aliqui ſibi ipſis bellum inferri putent; ego, qui numquam turbas amauerim, argumentum hoc anno tractare inſtitui ſuſpicioſis iſtis dicendi magiſtris minime litigioſum, gratiſſimum, niſi fallor, vniuerſis. Cum enim animo penderem, neque prouidere ſatis, aut ſtatuere poſſem, quam demum ingrederer viam, vt non ſolum re ipſa dicerem innocenter, ſed etiam innocens haberer à vobis, Religioſisſimi P. P. ornatiſsimi Auditores, mihi commodum legenti occurrit Donatus, ille litterator inſignis, Hieronymo potiſſimum diſcipulo, tam diſerto, ſanctoq; viro, nobilitatus, qui vt multa de Virgilio ſplendide, magnificeq; prædicaret, id ex adyto quodam penetrali mihi pronunciare videbatur: tantum hunc, talemq; poëtam eſſe, vt par ſit diuinum eius poëma non à Grammaticis,

ticis,

Digitized by Google

ticis, ſed ab oratoribus ipſis explanari. Placuit hominis dictum, & Grammaticos, quaſi verbo Prætoris, à veteri poſſeſſione deturbari mirifice gauiſus ſum. Recordabar enim, ab Auguſtino, auguſtisſimo illo Chriſtianæ Reipublicę Principe, diuinarum cauſarum oratore clarisſimo, Virgilium non eloquentem modo, ſed authorē, & parentem eloquentiæ nominatum. Legeram in Hieronymo, tùm poëtam ingenioſum eſſe, tùm elegantiſſimum oratorem. Sciebam, appellatum à Quintiliano ſummum in eloquentia virum, diſertiſſimum à Seneca, oratorum omniū à Macrobio validiſſimum; ab ipſo etiam Abulenſe, ſi tamen huius auctoritas aliquid ad rem pertinet, habitum eſſe totius eloquentiæ ornamentum, ac decus. Quid multa? Inueni apud eumdem Macrobium authores minimè pœnitendos, qui eloquentia, dicendiq; artificio Ciceroni Virgilium anteponant, quàm iuſtis de cauſis, non dico, ſed anteponunt tamen. faciūt enim eloquentiam quadripartitam: copioſam, in qua Cicero licenter excurrat, breuem, in qua Saluſtius regnet, ſiccam, quæ Frontoni, cū viueret, adſcriberetur, pinguem, ac floridam, in qua iunior Plinius, ac Symmachus molliter, & delicate luxurient. In tanto, ac tam vario ſcriptorum numero vnum extitiſſe Virgilium aiunt, qui eloquentiam ex omni genere dicendi conflauerit, qui grauia cum acutis, acuta cū grauibus, inflexa cum vtriſque componens, ad-

mirabilem

mirabilem in oratione concordiam fecerit. Hūc vnum oratione multiplici, numeris diſſimiliter emodulatis exprimere potuiſſe illum cœleſtium orbium concentum à Pythagora olim excogitatum, & imitari dicendo infinitam prope varietatem aſpectabilis Vniuerſitatis: vbi terra hæc mortalium altrix, in media mundi parte collocata, quà læta ſegetibus eſt, quà dumetis, ac rupibus hiſpida, quà ſalebris, atque arenis arida, quà proximis fontibus vliginoſa; qua ſiluis obducitur quà circumiectis clauditur montibus, quà vaſto, patentiq; aperitur mari. In Cicerone vnū eſſe tenorē perpetuū, atq cōſtantē, affluentē, rapidū, torrentē, volubilē, copioſum.

Delector equidem hoc elogio; ſed permoleſtè fero, communem cum Virgilio, Ciceroni gloriam eripi. Errant enim iſti, quòd vnum Virgilium, ipſo quoque ab hac laude Cicerone depulſo, plura ſimul dicendi genera temperaſſe putent: quòd putant admirabili modo tēperaſſe, profectò non errant. Quid eſt obſecro cur etiā Cicero non ſit breuis, & parcus in loco? quia non eſt, vt oratores illi, quos admirantur, fœde mutilus, ac turpiter abruptus? Cur non ſit gracilis, ac preſſus vbi res, & cauſa id poſtulare videatur? quia non eſt, vt eorum quidam exſuccus, non aridus, non exſanguis, non ieiunus, ac pene fame conſumptus? Cur non varius, cur non pictus, ac floridus in rebus pro dignitate comendis? quia non duras, & è longinquo pe-

titas metaphoras omnibus interſerit locis, quas iunior ille Plinius, ac Symmachus, quas hac etiam tempeſtate noui Logodædali fabricarunt? ſed innocentiam argumenti mei horum ego reprehenſione non violabo: quin etiam habeo gratiam arbitris iſtis, non quòd à Cicerone tantam gloriam abiudicarint, ſed quòd honorifico iudicio, Donato ſubſcripſerint, ac veluti ſanctiſsima lege decreuerint, ſummi oratoris eſse, Virgilium interpretari, non literatoris, & Græculi. Neque vero id ea gratia dico, quòd diuinum poëtam ſatis eo præconio laudatum exiſtimem. Excelſiora quædam, ac maiora de Virgilio ſentio, quàm vt ea iſtorum commendatione circumſcribi queant. Rem dicam alicui fortaſſe nouam: vocem proferam confidentem, atque audacem, ſed tamen veram. Quid enim? non Grammaticos ſolum ab aliena poſſeſſione velut ex iure manu conſertos voco, ſed oratores etiam ipſos tam opulentã hęreditatem adire veto ex interdicto. Confirmo inquam conſtantiſſime, neque Grammatici, neque oratoris eſſe Virgilium explanare interpretando, ſed doctiorum hominum, atque, vt verbo dicam vno, Philoſophorum. Riſum hoc loco fortaſſe tollẽt noui Philoſophi, quorum eſt ſuperba, & faſtidioſa fortuna. fundum ſuum fieri poetas nolent, & patrimonium iſtud facile permittent occupanti. Permittant, vt libet: permittant autem non nobis mediocriter doctis, ac ſemilatinis, ſed ſum-

ſummis viris, antiquiſſimis Philoſophis, imprimiſq; Ariſtoteli, cuius longo tempore lecti ſunt de locis Homeri perplexis, atque ambiguis, libri ſex: permittant Anaxagoræ Clazomenio, qui ſaluberrimam philoſòphiam in Homero velut in ſapientię breuiario relegebat. permittant Archeſilao medię Academię authori clariſſimo, qui numquam in cubile ſe ſe recipere ſolitus erat, niſi ante aliquid ex Homero ſomni conciliandi cauſa, tamquam è philoſophiæ narthecio delibaſſet. quin etiam diluculo, ac bene mane, vbi primum è grabato ſurrexiſſet, Homerum iterum lecturus, ad amaſium ſuum itare ſe dictitabat; vt remotis arbitris cum eo familiariter, ac libere philoſopharetur. Permittant Platonico Proclo; qui totum Homerum locis è media philoſophia petitis illuſtrauit. Permittant ipſi omnium magiſtro Platoni; cuius illa vox eſt in eo libro, quem de ſummo bono ſcriptum reliquit: in Homero contineri diuinam omnem, humanamq; philoſophiam. Nihil attinet omnes ducta ſerie percenſere: ſed permittant Zenoni, Chryſippo, Heraclito; permittant quod grauius eſt, Chriſtianis philoſophis, doctiſſimis, atque ſanctiſſimis, Cyrillo, Fulgentio, Baſilio Magno, cæteriſq; ſapientibus viris, & multis, & nobiliſſimis; qui omnes epicum Homeri poëma ſplendidum philoſophiæ ludum, ac virtutis officinam ampliſſimam exiſtimarũt. Sentio, vos expectare dum aperiam aliquando ſapientiam hãc

in ipſo

in ipſo Virgilio deliteſcentem: ſed non nihil in ea Philoſophorum natione commemoranda, immorandum fuit; vt intelligant iſti, qui poëmatum opes aſpernātur, eſſe populū Romanū, qui adeat repudiatam ab ipſis Attali hæreditatē.

Equidem, neque tanti ſum, neque ita me ipſum ignoro, vt non videam, quam arduum ſit huiuſmodi philoſophiam ex abditis poëticæ latebris explicare: ſed illud præterea ſcio; non modo rerum magnarum, atque pręſtātium perfectionem probari, ſed conatum etiam in ijſdē, atque aggreſſionem eſſe laudabilem. Huic adeo ſpiſſi, operoſiq; operis magnitudini, atque aſperitati, ita facile occurrere poſſe me video, ſi nō omnia hodierna die vna concione ſimul effundam, ſed multa mihi per partes alio tempore tractanda reſeruabo. Cum enim ſint neque pauci, neque imperiti, qui nullam in epica poëſi philoſophiam abditam eſſe pugnaciſſime contendāt, ſic partiri neceſſe habeo rationes meas, vt quæram initio, ſit ne aliqua, & in poëtarum fabulis vniuerſe, & in Virgilio nominatim penitus abſtruſa ſapientia. Deinde, ſi qua ſit; quænam ex triplici genere philoſophiæ pars eſſe videatur: ad extremum, ſi certa ſapientiæ forma in Epico illo continetur opere, certa ne ratione, ac via euolui, atque inueſtigari queat. Sed quia tàm multa, tamque difficilia in vnam hanc orationem compelli non poſſunt; cæteris in aliud tempus, otiumq; ſepoſitis, illud vnum

habeo

[illegible] , ali-
[illegible] philoſophia ſcien-
[illegible] poetaru
[illegible] Virgilij fabula
[illegible]

[illegible] quàm
[illegible] excita-
[illegible] , acturiq; ſcri-
[illegible] , vel [illegible] ſuperiori
[illegible] poetarum ſen-
[illegible] , quaſi delira-
[illegible] etiam &
[illegible] tempori-
[illegible] Græcia
[illegible] Anſarchus;
[illegible] poſterior
[illegible] eſt in rebus
[illegible] , nullus v.
[illegible] , & ve-
[illegible] : is in-
[illegible] quæſtio,
[illegible] allegoria
[illegible] ab eo dici-
[illegible] longeq; plu-
[illegible] concerta-
[illegible] Neque enim eos in-
[illegible] aliquid ad conten-
[illegible] , quem
[illegible] , ut ne minimè
[illegible] , & cum vm-
bra,

bra, ventiſque fortiſſime digladiantur. placet inquam veriſsimum mihi bellum eſſe cum iſtis, ac potiſſimum cum Ariſtarcho, cuius arbitrium ipſæ pene litteræ reformidant. Habet ſane, habet vnus hic Grammaticus Alexandrinus infinitam prope Grammaticorum turbam contra pugnantem, habet Philoſophos multo grauiſſimos, habet authores omni doctrinæ genere præſtantes, ac nobiles, qui ſancte confirment, Homerũ hauſtam ab Ægyptijs philoſophiam, vt auguſtior eſſet, atque admirabilior, excogitatis fabulis, quibuſdam veluti notis arcanis, quæ hieroglyphica vocantur, adumbraſſe. Quod Homeri, cæterorũq; comminiſcendæ fabulæ conſilium, ſapienter, ac docte Palephatus explicauit, affirmans, pleraſq; mortalium vere, certeq; res geſtas veteratoriè poëtas fabularum fuco, & commentis incredibilibus inuertiſſe, vt legentium animos, & admiratione tenerent, & voluptate perfunderent. Veriſſima ſane vox, & quæ inſitum poëtis ab artificio morem, non tam dicendo aperiat, quàm ob oculos ponere videatur exprimendo. Intelligit enim vir eruditiſſimus, ſuis ipſorum præceptis admonitos poëtas illud omnino agere, ac ſequi, vt in mortalium animis excitent eam, quæ delectationem, ac voluptatem pariat, admirationem. quod quia rerum cõpoſitarum, fictarumq; beneficio facilius, quàm vere geſtarum conſequi ſe poſſe confidunt, res veras, atque adeo ſaluberrimas vitæ leges, non

K præce-

præceptione tradunt,ſed fabulis, & commentis inuoluunt. Quid autem eſt rei veritatem, ac morum doctrinam fabularum inuolucris obducere, niſi eas perſequi, quas iſti è poëtarum ſcriptis expungunt allegorias?

Recte ſane interpres Heſiodi Zezes initio Theogoniç quatuor eſſe confirmat omnino res, quibus epicorum poëtarum omne nomen, ac vis contineatur: heroicum verſum, allegoricam fabulam, hiſtoriam perantiquam, aptam, accommodatamq; materiæ dictionem: ſed in his principem obtinere locum allegoriam, eamque proprium eſſe poëtæ characterem, ac notam. Quid planius, quid ſapientius dici potuit, quid accommodatius ad iſtorum iugulandam audaciam, qui ſpiritum ipſum, ac vitam poëtarum extinguunt? Si enim proprius eorum character, ac nota, & eſt, & vere dicitur allegoria, quotus quiſque non videt, hanc vnam eſſe partem, cuius beneficio, ac vi poëtica conſiſtat, moueatur, & viuat? Haud certe ſine ſummo conſilio nuper clariſſimus Italici nominis poëta, Epopoeiã velut animantem abſolutam, atque perfectam eſſe aiebat, cuius corpus ipſa rerum imitatio ſit, animus allegoria. Nam quemadmodum animo corpus obtemperat, ſeruitq; rationi, ſic imitatio, quaſi rerum corporatarum ſenſibus obiecta figura, vtilitati obſequitur, ac tamquam in animantis corpore animus, ſic ipſa in toto poëmate continetur, & funditur. Nullus hæc,

mea

mea quidem ſententia, neque melius vidit, neq; prudentius docuit, quàm philoſophus inter Platonicos honoratus, ac nobilis Proclus: qui Steſichorum, doctum illum alioqui hominem, ac perſpicacem, cæcum tamen, ac nihil videntem appellauit, quòd Helenæ raptæ, belloq; repetitæ fabulam, veluti rem præteritis geſtam temporibus, ac veram hiſtoriam canere non dubitaſſet: neque intellexiſſet, eo figmento ſignificari, noſtras ipſorum animas poſt decem annorum millia, quæ illa decenni Troianorum obſidione comprehenduntur, vbi diu multumque circa terram varia naſcentium, intereuntiumq; rerum viciſſitudine fluctuarint, eorum inſtar Græcorum, qui Troia ſummo diuturnoq; labore deuicta, domos remigrarunt ſuas, eſse tandē aliquando ad eum locum, vnde ſunt hauſtæ, ac delibatæ, quaſi longo poſtliminio reuerſuras. Quod ſi tantus philoſophus eum, & cæcutientem, & orbum oculis iudicat, qui nobilem Helenæ fabulam, hoc eſt narrationem cæteroqui credibilem, neque vehementer abhorrentem à vero euoluere, atque interpretari allegoricè, non potuerit, quid nos de alijs, fabulis exiſtimabimus, quæ non incredibilia modo, ſed etiam execranda impudicitiæ, impietatiſq; portenta comminiſcuntur? Homerum ne, alioſque primi ordinis poëtas, qui ea finxerunt, illicò damnabimus, inauditos, dicemuſq. homines acutos, ac lynceos non vidiſſe, quod poſtea pronuntiatum

eſt à ſapientibus, cum plane, diſertèq; dixerũt, poëtas ita oportere fingendo prudentes, & callidos eſſe, vt niſi credibilia, veroque ſimilia fingant, e poëtarum choro depellendi ſint? Dixerũt hæc audaculi quidam Ariſtarchi, quorum videtur, & queri, & ali gloria reprehenſione bonorum. quorum eſt moderatum, integrumq; iudicium, ij non modo ſummos auctores non reprehendent, verum etiam pro ipſis acerrime, conſtantiſſimeq; pugnabunt. Sed fieri, qui poteſt, vt huiuſmodi prouinciam ita ſuſceptam ſuſtineant, niſi receptum habeant, confugiantque ad allegorias? In ſpeciem ſane, quæ dicuntur à poëtis incredibilia ſunt, indecora, atque ab ipſa ratione prorſus aliena: ne ficta ſine ratione dicamus, haud dubie confirmabimus, ea quædam eſſe veritatis integumenta, quæ imperitorum oculos fallant, ſapientium iudicium fallere, ac doctrinam decipere nullo modo poſſint. Sapienter enim ab Euſtathio dictum eſt, fabularum turpitudinem eſſe quoddam poëticæ vulnus, quod allegoria quaſi delibutis medicorum faſciolis obligatur. Quin placet etiam hoc loco Proclũ illum philoſophum, Homeri tutelam aduerſus magiſtrum ipſum Platonem, & ſuſcipientem, & pro dignitate tractantem, audire: Sed altius repetenda res eſt, vt omnis ſuſcepti patrocinij cauſa facilius intelligatur. Menſam Homerus in cœlo, & epulis exquiſitiſsimis, & conuiuis longe lectiſsimis ornat. adeſt Iuppiter, nõ Deo-
rum

rum modo, ſed etiam conuiuij Rex. aſsidet iuxta Iuno, prope Iunonem Venus: cæteri Dij, Deæque toto triclinio circumfunduntur. Res agebatur, & iucunde quidem, & grauiter, vt decebat in cœlo: ſed tamen, cum Iuno, vt eſt feminarum genus ſuſpicioſum, & maxime querulum, intempeſtiua quadam expoſtulatione Ioui ſtomachum repente mouiſſet, epulas diuinas amariſsimo reſperſerat felle, accumbentium hilaritatem in ſummam triſtitiam, mœroremque conuerterat; menſam illam fecerat è Deorum conuiuio ſilicernium funeſtorum, cum ecce tibi Vulcanus, ſellularius, & deſpicatiſsimus Deus, qui ea die poculi magiſter à Ioue creatus fuerat, enormi illo, diſtortoq; crure tanta cum turpitudine claudicare cœpit, hac, illac impigre, velociterq; nectar adminiſtraturus excurrens, vt ſtatim excitato cachinno quodam inſolenti, atque, vt loquitur Homerus, inextinguibili, vt haud minus in cœlo riſerint Dij, quam ridere ſoleat infimæ ſortis populus in togata, vbi ſcurram, & ſannionem iocantem videt, aut egregiè partes agentem ſuas Gnathonem aliquem è paraſitis. Hæc igitur incuſat, reprehenditque grauiſsimè Plato, ſummus, & intelligendi author, & dicendi magiſter; quòd intemperantiſsimus ille riſus, qui ne homines quidem mediocriter prudentes deceret, multò maxime alienus eſse videatur à Dijs. Quam Proclus criminationem ita depellit, ac diluit, vt dicat, Vulcano illo mo-

litore, ac fabro, Vniuerſitatis molitionem, mundique totius, quam Dij ſuſcipiunt, adminiſtrãdi curam ſignificari. ſummo propterea conſilio, ac ratione Vulcanum irridentes induci Deos, quia mundum hunc, reſque mortalium affabre factas cum riſu, hoc eſt cum voluptate contemplantur, & temperant Dij. O poëtas verè ſapientes, ac doctos, ò fabulas, minime fabulas, ſed admirabilia pulcherrimæ, veriſſimæque ſapientiæ documenta. Haud ſcio, an hæc à ſacris religionis noſtræ voluminibus hauſerit Proclus; in quibus quotidie legimus, opificem Dei ſapientiam, & in orbis terrarum molitione luſiſſe, & ſuas habere delicias poſitas inter mortales. Euſebius certe Pamphili teſtatum reliquit, pleraque Platonicos ex Hebræorum monumentis, quæ ſtudioſe perlegerant, in ſuam ipſorum ſententiam pertraxiſſe.

Poſſem hic equidem infinita propemodum poëtarum commenta, quæ de induſtria videntur ad corrumpendos mores excogitata, eadem plane ratione, & quidem ex anctoritate maiorum interpretari: ſed cum modeſtiæ meæ, tum tempori conſulendum eſt, cuius certis, iiſq; non ita latis finibus ſentio circumſcribi orationem meã. Vnum aduerſarij ſuo credo iure à me requirunt, quòd iis debere diutius nolim. Si enim, dicent iſti, eum in Epopoeia locũ occupauit allegoria, vt tam pulcri corporis animus, ac vita putanda ſit, mirum ſane videri

debet,

debet, cur eam Ariſtoteles toto illo libro, quem de poëtica ſcripſit, in aliqua ſaltem Epopoeiæ parte non collocarit. Quibus ego primum ſic habeo reſpondere breuiter, & ſine fallacijs, eũ Ariſtotelis libellum inchoatum, & curtum eſſe; neque hominis docti abſolutum opus haberi, ſed apparatum quendam, atque adumbratam, leuiter operis faciendi deſcriptionem: vnde cõſequens eſſe poſſit, allegoriam non tàm à cæteris depulſam fuiſſe partibus, quàm cũ alijs præterea multis in opere minus abſoluto deſiderari. Quia tamen hoc ad euadendum periculum alicui videbitur induſtria, & caliditate quæſitum effugium, confirmo diſertiſſime, partem hanc, neque caſu ab Ariſtotele prætermiſſam, neque voluntate reiectam eſſe, ſed in loco planè poſitam, traditamq; cum cæteris explicatè. Vnum demonſtrabo, quod nullus ad hoc vſque tempus interpretum vidit, mirorq; perſpicaces alioqui viros in ſole meridiano clariſſimam Epopoeiæ partem videre non potuiſse. Neque tamen idcirco mihi ſtatuam in Curia poſtulo, quod faciunt noui literatores, vbi ſcripturam, aut etiam in ipſa ſcriptura correxerint apicem, ac literulam mendoſiorem; quaſi Tygranem bello cæperint, aut Romanam Remp. diuturna tyrannide liberarint. Non ea confidentia ſum, vt ab Apelle pingi, aut à Pyrgotele ſculpi me velim, quòd in Ariſtotele viderim vnum, interpretum incuria præteritum, fortaſsis etiam voluntate negle-

ſummis viris, antiquiſſimis Philoſophis, imprimiſq; Ariſtoteli, cuius longo tempore lecti ſunt de locis Homeri perplexis, atque ambiguis, libri ſex: permittant Anaxagoræ Clazomenio, qui ſaluberrimam philoſòphiam in Homero velut in ſapientię breuiario relegebat. permittant Archeſilao medię Academię authori clariſſimo, qui numquam in cubile ſe ſe recipere ſolitus erat, niſi ante aliquid ex Homero ſomni conciliandi cauſa, tamquam è philoſophiæ narthecio delibaſſet. quin etiam diluculo, ac benè mane, vbi primum è grabato ſurrexiſſet, Homerum iterum lecturus, ad amaſium ſuum itare ſe dictitabat; vt remotis arbitris cum eo familiariter, ac libere philoſopharetur. Permittant Platonico Proclo; qui totum Homerum locis è media philoſophia petitis illuſtrauit. Permittant ipſi omnium magiſtro Platoni; cuius illa vox eſt in eo libro, quem de ſummo bono ſcriptum reliquit: in Homero contineri diuinam omnem, humanamq; philoſophiam. Nihil attinet omnes ducta ſerie percenſere: ſed permittant Zenoni, Chryſippo, Heraclito; permittant quod grauius eſt, Chriſtianis philoſophis, doctiſſimis, atque ſanctiſſimis, Cyrillo, Fulgentio, Baſilio Magno, cæteriſq; ſapientibus viris, & multis, & nobiliſſimis; qui omnes epicum Homeri poëma ſplendidum philoſophiæ ludum, ac virtutis officinam ampliſſimam exiſtimarũt. Sentio, vos expectare dum aperiam aliquando ſapientiam hãc

in ipſo

in ipſo Virgilio deliteſcentem: ſed non nihil in ea Philoſophorum natione commemoranda, immorandum fuit; vt intelligant iſti, qui poëmatum opes aſpernãtur, eſſe populũ Romanũ, qui adeat repudiatam ab ipſis Attali hæreditatẽ.

Equidem, neque tanti ſum, neque ita me ipſum ignoro, vt non videam, quam arduum ſit huiuſmodi philoſophiam ex abditis poëticæ latebris explicare: ſed illud præterea ſcio; non modo rerum magnarum, atque prçſtãtium perfectionem probari, ſed conatum etiam in ijſdẽ, atque aggreſſionem eſſe laudabilem. Huic adeo ſpiſſi, operoſiq; operis magnitudini, atque aſperitati, ita facile occurrere poſſe me video, ſi nõ omnia hodierna die vna concione ſimul effundam, ſed multa mihi per partes alio tempore tractanda reſeruabo. Cum enim ſint neque pauci, neque imperiti, qui nullam in epica poëſi philoſophiam abditam eſſe pugnaciſſime contendãt, ſic partiri neceſſe habeo rationes meas, vt quæram initio, ſit ne aliqua, & in poëtarum fabulis vniuerſe, & in Virgilio nominatim penitus abſtruſa ſapientia. Deinde, ſi qua ſit; quænam ex triplici genere philoſophiæ pars eſſe videatur: ad extremum, ſi certa ſapientiæ forma in Epico illo continetur opere, certa ne ratione, ac via euolui, atque inueſtigari queat. Sed quia tàm multa, tamque difficilia in vnam hanc orationem compelli non poſſunt; cæteris in aliud tempus, otiumq; ſepoſitis, illud vnum

habeo

habeo dicere, ac ſeorſum hodie diſputare, aliquam eſſe petitam ab intima philoſophia ſcientiam rerum vtilium, quam in Epica poëtarum omnium, atque adeo in ipſius Virgilij fabula contineri neceſſe ſit.

Vide dixerit aliquis etiam, atque etiam, quàm graues, quàm magnos in te aduerſarios excitaturus ſis; non ex ijs modo ſcitis, acutiſq; ſcriptoribus, qui vel noſtra, vel non ita ſuperiori memoria huiuſmodi tectiores poëtarum ſententias, quas Allegorias vocamus, quaſi deliramenta ſophiſtarum irrident; verum etiam ex antiquiſſimis illis, qui Heroicis pene temporibus in altrice diſciplinarum omnium Græcia floruerunt. Nam apud Euſtathium Ariſtarchus; is, qui commentarios ſupra mille poſteritati reliquit, & tam graui ſemper habitus eſt in rebus diſcernendis, diſtinguendiſq; iudicio, nullus vt putaretur Homeri verſus eſſe germanus, & verus, quem ſuo ille calculo non probaſſet: is inquam talis, ac tantus Homericæ cauſæ quæſitor, ac iudex omnes omninò ab Homero allegorias ablegauit, negauitq; diſerte, aliud ab eo dici, aliud intelligi oportere. Placet hos, longeq; plures aduerſarios eſſe, quibuſcum iure concertandum, ac dimicandum ſit. Neque enim eos imitari neceſſe habeo; qui, vt aliquod ad contentioſè dicendum argumentum inueniant, quem in foro non vident aduerſarium, in re minimè controuerſa ſibi deſignant animo, & cum vmbra,

bra,

bra, ventiſque fortiſſime digladiantur. placet inquam veriſsimum mihi bellum eſſe cum iſtis, ac potiſſimum cum Ariſtarcho, cuius arbitrium ipſæ pene litteræ reformidant. Habet ſane, habet vnus hic Grammaticus Alexandrinus infinitam prope Grammaticorum turbam contra pugnantem, habet Philoſophos multo grauiſſimos, habet authores omni doctrinæ genere præſtantes, ac nobiles, qui ſancte confirment, Homerũ hauſtam ab Ægyptijs philoſophiam, vt auguſtior eſſet, atque admirabilior, excogitatis fabulis, quibuſdam veluti notis arcanis, quæ hieroglyphica vocantur, adumbraſſe. Quod Homeri, cæterorũq; comminiſcendæ fabulæ conſilium, ſapienter, ac docte Palephatus explicauit, affirmans, pleraſq; mortalium vere, certeq; res geſtas veteratoriè poëtas fabularum fuco, & commentis incredibilibus inuertiſſe, vt legentium animos, & admiratione tenerent, & voluptate perfunderent. Veriſſima ſane vox, & quæ inſitum poëtis ab artificio morem, non tam dicendo aperiat, quàm ob oculos ponere videatur exprimendo. Intelligit enim vir eruditiſſimus, ſuis ipſorum præceptis admonitos poëtas illud omnino agere, ac ſequi, vt in mortalium animis excitent eam, quæ delectationem, ac voluptatem pariat, admirationem. quod quia rerum cõpoſitarum, fictarumq; beneficio facilius, quàm vere geſtarum conſequi ſe poſſe confidunt, res veras, atque adeo ſaluberrimas vitæ leges, non

præceptione tradunt, ſed fabulis, & commentis inuoluunt. Quid autem eſt rei veritatem, ac morum doctrinam fabularum inuolucris obducere, niſi eas perſequi, quas iſti è poëtarum ſcriptis expungunt allegorias?

Recte ſane interpres Heſiodi Zezes initio Theogonię quatuor eſſe confirmat omnino res, quibus epicorum poëtarum omne nomen, ac vis contineatur: heroicum verſum, allegoricam fabulam, hiſtoriam perantiquam, aptam, accommodatamq; materiæ dictionem: ſed in his principem obtinere locum allegoriam, eamque proprium eſſe poëtæ characterem, ac notam. Quid planius, quid ſapientius dici potuit, quid accommodatius ad iſtorum iugulandam audaciam, qui ſpiritum ipſum, ac vitam poëtarum extinguunt? Si enim proprius eorum character, ac nota, & eſt, & vere dicitur allegoria, quotus quiſque non videt, hanc vnam eſſe partem, cuius beneficio, ac vi poëtica conſiſtat, moueatur, & viuat? Haud certe ſine ſummo conſilio nuper clariſſimus Italici nominis poëta, Epopoeiā velut animantem abſolutam, atque perfectam eſſe aiebat, cuius corpus ipſa rerum imitatio ſit, animus allegoria. Nam quemadmodum animo corpus obtemperat, ſeruitq; rationi, ſic imitatio, quaſi rerum corporatarum ſenſibus obiecta figura, vtilitati obſequitur, ac tamquam in animantis corpore animus, ſic ipſa in toto poëmate continetur, & funditur. Nullus hæc, mea

mea quidem ſententia,neque melius vidit, neq; prudentius docuit,quam philoſophus inter Platonicos honoratus, ac nobilis Proclus: qui Steſichorum, doctum illum alioqui hominem, ac perſpicacem, cæcum tamen, ac nihil videntem appellauit, quòd Helenæ raptæ, belloq; repetitæ fabulam, veluti rem præteritis geſtam temporibus, ac veram hiſtoriam canere non dubitaſſet: neque intellexiſſet, eo figmento ſignificari, noſtras ipſorum animas poſt decem annorum millia, quæ illa decenni Troianorum obſidione comprehenduntur,vbi diu multumque circa terram varia naſcentium, intereuntiumq; rerum viciſſitudine fluctuarint, eorum inſtar Grecorum, qui Troia ſummo diuturnoq; labore deuicta, domos remigrarunt ſuas, eſse tandē aliquando ad eum locum, vnde ſunt hauſtæ, ac delibatæ, quaſi longo poſtliminio reuerſuras. Quod ſi tantus philoſophus eum, & cæcutientem, & orbum oculis iudicat, qui nobilem Helenæ fabulam, hoc eſt narrationem cæteroqui credibilem, neque vehementer abhorrentem à vero euoluere, atque interpretari allegorice non potuerit,quid nos de alijs,fabulis exiſtimabimus, quæ non incredibilia modo, ſed etiam execranda impudicitiæ, impietatiſq; portenta comminiſcuntur? Homerum ne, alioſque primi ordinis poëtas,qui ea finxerunt,illicò damnabimus, inauditos, dicemuſq. homines acutos, ac lynceos non vidiſſe, quod poſtea pronuntiatum

 eſt à

eſt à ſapientibus, cum plane, diſertèq; dixerũt, poëtas ita oportere fingendo prudentes,& callidos eſſe, vt niſi credibilia, veroque ſimilia fingant, è poëtarum choro depellendi ſint? Dixerũnt hæc audaculi quidam Ariſtarchi, quorum videtur, & quęri, & ali gloria reprehenſione bonorum. quorum eſt moderatum, integrumq; iudicium, ij non modo ſummos auctores non reprehendent, verum etiam pro ipſis acerrime, conſtantiſſimeq; pugnabunt. Sed fieri, quì poteſt, vt huiuſmodi prouinciam ita ſuſceptam ſuſtineant, niſi receptum habeant, confugiantque ad allegorias? In ſpeciem ſane, quæ dicuntur à poëtis incredibilia ſunt, indecora, atque ab ipſa ratione prorſus aliena: ne ficta ſine ratione dicamus, haud dubie confirmabimus, ea quædam eſſe veritatis integumenta, quæ imperitorum oculos fallant, ſapientium iudicium fallere, ac doctrinam decipere nullo modo poſſint. Sapienter enim ab Euſtathio dictum eſt, fabularum turpitudinem eſſe quoddam poëticæ vulnus, quod allegoria quaſi delibutis medicorum faſciolis obligatur. Quin placet etiam hoc loco Proclũ illum philoſophum, Homeri tutelam aduerſus magiſtrum ipſum Platonem, & ſuſcipientem, & pro dignitate tractantem, audire: Sed altius repetenda res eſt, vt omnis ſuſcepti patrocinij cauſa facilius intelligatur. Menſam Homerus in cœlo, & epulis exquiſitiſſimis, & conuiuis longe lectiſſimis ornat. adeſt Iuppiter, nõ Deo-
rum

rum modo, ſed etiam conuiuij Rex. aſſidet iuxta Iuno, prope Iunonem Venus: cæteri Dij, Deæque toto triclinio circumfunduntur. Res agebatur, & iucunde quidem, & grauiter, vt decebat in cœlo: ſed tamen, cum Iuno, vt eſt feminarum genus ſuſpicioſum, & maxime querulum, intempeſtiua quadam expoſtulatione Ioui ſtomachum repente mouiſſet, epulas diuinas amarisſimo reſperſerat felle, accumbentium hilaritatem in ſummam triſtitiam, mœroremque conuerterat; menſam illam fecerat è Deorum conuiuio ſilicernium funeſtorum, cum ecce tibi Vulcanus, ſellularius, & deſpicatisſimus Deus, qui ea die poculi magiſter à Ioue creatus fuerat, enormi illo, diſtortoq; crure tanta cum turpitudine claudicare cœpit, hac, illac impigre, velociterq; nectar adminiſtraturus excurrens, vt ſtatim excitato cachinno quodam inſolenti, atque, vt loquitur Homerus, inextinguibili, vt haud minus in cœlo riſerint Dij, quam ridere ſoleat infimæ ſortis populus in togata, vbi ſcurram, & ſannionem iocantem videt, aut egregiè partes agentem ſuas Gnathonem aliquem è paraſitis. Hæc igitur incuſat, reprehenditque grauisſimè Plato, ſummus, & intelligendi author, & dicendi magiſter; quòd intemperantisſimus ille riſus, qui ne homines quidem mediocriter Prudentes deceret, multò maxime alienus eſse videatur à Dijs. Quam Proclus criminationem ita depellit, ac diluit, vt dicat, Vulcano illo molitore,

litore, ac fabro, Vniuerſitatis molitionem, mundique totius, quam Dij ſuſcipiunt, adminiſtrādi curam ſignificari. ſummo propterea conſilio, ac ratione Vulcanum irridentes induci Deos, quia mundum hunc, reſque mortalium affabre factas cum riſu, hoc eſt cum voluptate contemplantur, & temperant Dij. O poëtas verè ſapientes, ac doctos, ò fabulas, minime fabulas, ſed admirabilia pulcherrimæ, veriſſimæque ſapientiæ documenta. Haud ſcio, an hæc à ſacris religionis noſtræ voluminibus hauſerit Proclus; in quibus quotidie legimus, opificem Dei ſapientiam, & in orbis terrarum molitione luſiſſe, & ſuas habere delicias poſitas inter mortales. Euſebius certe Pamphili teſtatum reliquit, pleraque Platonicos ex Hebræorum monumentis, quæ ſtudioſe perlegerant, in ſuam ipſorum ſententiam pertraxiſſe.

Poſſem hic equidem infinita propemodum poëtarum commenta, quæ de induſtria videntur ad corrumpendos mores excogitata, eadem plane ratione, & quidem ex auctoritate maiorum interpretari: ſed cum modeſtiæ meæ, tum tempori conſulendum eſt, cuius certis, iiſq; non ita latis finibus ſentio circumſcribi orationem meā. Vnum aduerſarij ſuo credo iure à me requirunt, quòd iis debere diutius nolim. Si enim, dicent iſti, eum in Epopoeia locū occupauit allegoria, vt tam pulcri corporis animus, ac vita putanda ſit, mirum ſane videri

debet,

debet, cur eam Ariſtoteles toto illo libro, quem de poëtica ſcripſit, in aliqua ſaltem Epopoeiæ parte non collocarit. Quibus ego primum ſic habeo reſpondere breuiter, & ſine fallacijs, eũ Ariſtotelis libellum inchoatum, & curtum eſſe, neque hominis docti abſolutum opus haberi, ſed apparatum quendam, atque adumbratam leuiter operis faciendi deſcriptionem: vnde cõſequens eſſe poſſit, allegoriam non tàm à cæteris depulſam fuiſſe partibus, quàm cũ alijs prætera multis in opere minus abſoluto deſiderari. Quia tamen hoc ad euadendum periculum alicui videbitur induſtria, & calliditate quæſitum effugium, confirmo diſertiſſime, partem hanc, neque caſu ab Ariſtotele prætermiſſam, neque voluntate reiectam eſſe, ſed in loco planè poſitam, traditamq; cum cæteris explicatè. Vnum demonſtrabo, quod nullus ad hoc vſque tempus interpretum vidit, mirorq; perſpicaces alioqui viros in ſole meridiano clariſſimam Epopoeiæ partem videre non potuiſse. Neque tamen idcirco mihi ſtatuam in Curia poſtulo, quod faciunt noui literatores, vbi ſcripturam, aut etiam in ipſa ſcriptura correxerint apicem, ac literulam mendoſiorem; quaſi Tygranem bello cæperint, aut Romanam Remp. diuturna tyrannide liberarint. Non ea confidentia ſum, vt ab Apelle pingi, aut à Pyrgotele ſculpi me velim, quòd in Ariſtotele viderim vnum, interpretum incuria præteritum, fortaſſis etiam voluntate neglectum.

ctum. Sed tamen audeo, vel ſolus, vel cum pauciſſimis dicere, Ariſtotelem planiſſime de allegoria diſputare: diſputare autem eo loco, vbi de fabula, deq; multis apud Homerũ incredibilibus epiſodijs, ita loquitur. Etenim fabulæ iam inde ab antiquiſſimis conſtitutæ temporibus, vulgoq; probatæ, etiam ſi aliquid rationi minime conſentaneum continere videntur, immutandæ non ſunt: nam illa ipſa, quæ de Vlyſſe in portum expoſito dicuntur ab Homero, abſurda ſunt, adeoque ferenda non eſsent, niſi ea poëtarum optimus, ita finxiſſet, vt alio bonorum genere, id quod incredibile videtur, obliteret, & quicquid abſurdum eſt, quibuſdam quaſi medicamentis aſpergat. Hæc Ariſtoteles: quo loco paululum hærere neceſſe habeo, ac primi Philoſophi verba breuiter, & curſim interpretari. Fabulas antiquas quantumuis incredibiles, & cum ratione pugnantes, neque mutandas, neque improbandas eſſe confirmat: ex eo genere Vlyſsẽ videri apud Homerum ab Alcinoo Rege digreſſum, & in Ithacæ littus eiectum: quem præter fidem, & rationem tota via, difficili, ac bene longa dormientem in naui facit, appulſum in terram illo eodem ſomno penitus occupatum; relictum à Phæacenſibus etiam grauiſſime ſopitum, ac ſomniantem. denique in Nympharum pulcherrimam ſpeluncam introducit, quæ in Ithacæ portu, quemadmodum Cronius ait, nulla erat. Sed tamen hæc ſomnia, fidei, rationiq;

con-

contraria, illigatis, inuolutiſque in ea fabula bonis deleri ait, & ſuppoſitis quaſi medicamentis tanta illa vanitate liberari. Quę nam verò ea bona eſſe putemus, quę vanitatem ab illo figmento depellere poſſint, niſi pulcherrima eius fabulæ documenta, quorum acceſſione mendacium ſic euaneſcit, quemadmodum inductis coloribus obliteratur linea, quæ tabulā occupabat? Quid ea medicamenta ſignificant, niſi vtiles vitæ præceptiones, quæ ſplendido illo mendacio conteguntur? Vt enim ipſius medicamenti amaritudinem, atque aſperitatem ſuauiſſimo aliquo liquore medicatis poculi labris occulimus, ita ſalutaria vitæ documenta iucundo fabularum commento tegere ſoliti ſumus, vt deguſtata mendacij dulcedine, quicquid amarū eſt, facilius hauriatur. Eſſet operę prætium quid Vlyſſes ille tamdiu ſopitus, ac dormiens, quid Phæacenſium incuria, quid Muſarum antrum, quid res cæteræ abhorrentes à fide ſibi velint, ex Cronio, ex Numenio, ex Euſtathio dicere. Sed quoniam hæc vacuum omnino poſtulant tempus, & mea iam ad exitum inclinat oratio, longiſſimam allegoriæ interpretationem facile prætermitto, modo maneat id, quod præcipue contendebam; eum Homeri locum abſurdum prima ſui ſpecie, longeq; à ratione remotum, rationi conſentaneum fieri beneficio philoſophiæ, quæ fabulis illis incredibilibus illigatur. Sequitur, vt quæ vniuerſe de poëtarum allego-

ria di-

ria diximus, ea de Virgilio, cuius cauſa hæc eſt à me inſtituta diſputatio, confirmentur. Neque enim eos imitamur, qui tam ſolute, atque oſcitanter hunc poëtã legunt, vt nihil in eo videant aliud, niſi Æneæ Troiani hominis in Italiam aduentum, & Homeri diligentem, accuratamque imitationem. quanquam iſti ipſi, qui hoc vnum egiſſe Virgilium dicunt, vt Homerum imitaretur, magnum aliquid dicunt, ſi etiam illud ſecutum intelligunt, vt ad Homeri ſimilitudinem manu directa, pulcherrimas allegorias, quod eſt in Homero præcipuum, adumbraret. Nam quid eſt, cur tantum, ac ſapientem virum inertes ſecutum pictores exiſtimemus? qui aperta quædam, atque illuminata ſolum in alienis artificijs imitantur, abdita, obſcura, recedentia longe, atque retruſa, in quibus artis eſt plurimum, non imitantur. An vir omni diſciplinarum genere cultiſſimus, ſummo, ſingularique iudicio præditus Homerici operis quaſi corpus diligentiſſime vidit, animũ, quo mouetur, ac regitur corpus ipſum, in ſui poëmatis molitione non vidit? longe de illo aliter, & loquuntur, & ſentiunt nobiliſſimi, doctiſſimique ſcriptores antiquitatis. Video enim à Macrobio dictum, eum oportere acutiſſima oculorum acie præditum, atque inſtructum eſse, qui ad abſolutam penituſque abditam in Virgilio ſapientiam poſſit aliquando penetrare. Video ſcriptum ab Honorato Seruio Virgiliũ è ſciẽtia Philoſophorum intima canere.

Didici

Didici à Hieronymo, inter Philoſophos, ab Auguſtino inter doctos habendum, à pleriſque veterum inter liberalium artium ſcientiſſimos viros adnumerandum eſſe. Sed nemo de Virgilio iudicaſſe videtur honorificentius, quam Gordianus. Hunc enim non maieſtate tantum, ac ditione, ſed vita, doctrinaque venerandum planè Imperatorem tradit Capitolinus, ita veterum lectione Philoſophorum fuiſſe delectatum, vt Platonem, Ariſtotelem, Virgilium numquam ſibi è manibus elabi pateretur; quaſi vellet ea ſcriptorum ſocietate ſignificare, nihil à Platone, nihil ab Ariſtotele tradi ſimpliciter, quod à Virgilio verſibus, & numero non caneretur. Sed vnde cognitum habent hi, Virgilium ita ſcientem fuiſſe philoſophiæ, niſi ex abditiſsimis illis, obſcuriſſimiſque ſententijs, quas aſpectabilium, notarumque rerum imitatione à legentium oculis ingenioſus poëta porrò ſubduxit? Quorſum ea philoſophia ita commendaretur à doctis, niſi ab ipſis in eo, quòd vulgò legitur opere, pene oculis cerneretur; Quorſum, tam vario diſciplinarum genere Virgilius diceretur inſtructus, niſi variam illam doctrinam, ac ſcientiam plane multiplicem verſibus ſuis, clam, & quaſi diſſimulanter illigaſſet? Næ ille, quë paulò ante laudaui, ſtudioſiſſimus poëtę patronus, propugnatorque Macrobius egregiè, ac præter cæteros hæc docuit excellenter, cum de Virgilio confirmauit, ampliſſimam eum, iucundiſſimamque

namque philoſophiam ſuo ipſius operi laudabiliter aſperſiſſe. Quid enim eſt operi philoſophiam aſpergere, niſi varia philoſophiæ documenta fictis in opere fabulis occultare? Nemo profecto, neque Philoſophus, neque aliarum liberalium artium ſcientia eruditus hunc vnum poëtam legerit, quin in eo fuſa, atque aſperſa ſuæ doctrinæ præcepta recognoſcat. Cæterum intelligo, me nihil agere, niſi vos, quod in Homeri cauſa iam feci, velut in rem præſentem ducam; oſtendamque aliquid etiam in Virgilio eſſe, quod ab incredibili, atque ab indecoro ſine allegoria vindicari non poſſit. Ne multa. Macrobius factus ex procuratore præuaricator, Homerum ſumme commendat, quòd in nulla ſui operis parte trium illarum Dearum, de pulchritudine certantium, iudicijque Paridis mentionem aliquando fecerit: contraque Virgilium grauiter accuſat, quòd ab ira Iunonis impotenti, atque implacabili auſus ſit poëma tam amplum, atque magnificum exordiri. Scio equidem, hoc loco Scaligerum virgulam illam cenſoriam ſuam in Macrobium intendiſſe, admirabundum, quòd tantus vir, tam inſigniter eruditus non viderit in Iliadis fine fabulam hanc aliquot verſibus ab Homero perſtringi: ſed in authorem regerenda virgula eſt, quòd non legerit apud Plutarchum, eos verſus non Homeri proprios, ſed ſpurios, atque ſuppoſitos à veteribus habitos eſſe. Vtcumque controuerſia ſit;

repre-

reprehēſum à Macrobio Virgilium video, quòd fabulam incredibilem, & decoro minime ſeruientem commemorarit. Neque enim ſimile vero videatur, aut deceat, leuiſſimis de cauſis altercari Deas, & ad litem dirimendam, componendamue, mortalium, atque adeo paſtorum ſubire iudicium velle. Iure ne dicantur hæc, an iniuria, non diſputo. Sed fac tamen iure, ac meritò reprehenſa. Si qua Virgilius, aut ab incredibili, aut ab indecoro videtur labe reſperſus, eam ego Fulgentij Placiadis, hominis docti, & Chriſtiani authoritate detergam. qui fabulam hanc ſapienter interpretatus, tres illas Deas humanæ vitæ rationem dixit eſſe tripartitam: contemplantem Palladem, actuoſam Iunonem, Venerem voluptariam. Has Deas propterea iudicari à Ioue non debuiſſe, quòd Deus liberam homini deligendæ vitæ optionem dederit, vt quam velit è tribus, ſuo arbitratu, ac iudicio complectatur. Addit, neque prudentem aliquem, neque doctum eius cauſæ Iudicem fuiſſe delectum; quia cum eſſet illo figmento ſtultorum conſilium exprimendum, qui contemplationis, actioniſque, hoc eſt virtutis, ac doctrinæ poſthabita præſtantia, voluptati corrumpendos ſe tradunt, tam praui, peruerſique authorem iudicij non acutum hominem eſſe oportuit, non eruditum, ac doctum, ſed paſtorem imperitum, ac rudem hominem; belluarum pene conuictu ſic vtentem, vt parum ab ijs differ-

differre videretur. Multa præterea ſunt apud hunc etiam Latinum Homerum, quæ petito ab allegoria patrocinio egent. Sed prouidere me oportet, nè vos ante patienter audiendi finem faciatis, quàm ego putide, moleſteque dicendi. Tantum orandi mihi etiam, atque etiam eſtis; vt quoniam hoc ad vos hodie iudicium à me delatum prudentius eſt, quàm illud ad Paridem, gregarios à Virgilio interpretes, velut ab interuerſo fundo deijciatis, conſtituatiſque, Philoſophorum eſſe in tam amplo, ſplendidoque ſapientiæ regno dominari. Quod ſi plane de re non liquet, ac Iudicum ſẽtentiæ variant, ampliari per me licet, & comperendinare; vt actione altera, & dicatur à me copioſius, & à vobis de tota cauſa facilius decernatur.

DE

DE VIRGILII ALLEGORIA MORALI

ORATIO VII.

QVOD votum eſt Comicorum omnium poëtarum, palam, ac libere profitentium, ea ſe gratia, conſilioque adieciſſe ad ſcribendum animum, vt populo placerent, quas facerent fabulas, id me votum iam ſæpe damnauit, ac reum fecit apud vos, Auditores: quorum humanitate factum video, vt numquam ex hoc loco dixerim, quin ea, quæ dicerentur à me, oculis, vultu, nutu, ipſa etiam, quæ vendibiles excipere ſolet orationes, admurmuratione ſecunda comprobaretis. Licet ita hodierna die, non tàm de me glorioſe, atque inuerecunde prædicare, quàm de veſtris in me promeritis amplè, magnificeq; ſentire. Nam cum ſemper hic mihi vigiliarum mearum extitit fructus, vt à vobis accurate, ac libenter audirer, tum vero maxime anno ſuperiore, cum explanationem Virgiliani operis à Grammaticorum vulgo ſic vindicaui, vt contenderem, Philo-

Philoſophorum eſſe, Philoſophum illum poëtã, aut poëtarum verius Platonem, quemadmodum eum nominabat Alexander Seuerus, auditoribus interpretari. Acclamaſtis inquam orationi meæ, atq; arcanam in eo poëta Philoſophiam occultari aliquam, veſtro quoque ſuffragio decreuiſtis. Nunc, quoniam ita placere omnibus hanc ſententiam animaduerti, & à Philoſophis, quorum fines intraueram, neque faſtidioſe reiectus, neque poſtulatus iudicio, aut appellatus ex Tribunali ſum; intelligo mearum eſſe partium, cõſtituere certam philoſophiæ formam, quam in opere, veluti myſterioquodam videatur allegorijs poëta ſolertiſſimus obduxiſſe. Cum enim à Platone omnis] philoſophiæ ratio tres in partes tributa ſit, quarum prima ſubtilitate diſputandi, ac differendi, altera moribus, & vita, tertia naturæ ipſius obſcuritate contineatur; niſi etiam dico quam tandem è tribus hiſce formis appoſitam Æneidi, atque obuolutam illo poëmate, putem, fidem meam, quàm tum, vobis Iudicibus obligaui, non liberabo.

Principio igitur, vt ab incertis explorata, & certa ſecernamus, illud ponendum exiſtimaui, quod turpiſſimum eſſet in dubium, quæſtionẽq; venire: eam philoſophiæ partem, quæ genera partitur, ac ſpecies, quæ conſequentia, & repugnantia videt, quæ diſtinguit ambigua, non fuiſſe optimi poëtæ conſilium in grauiſſimum illud opus includere: niſi eos fortaſse audiẽdos puta-

putatis, qui paulo ſuperioribus annis, tàm acute, atque ſubtiliter de poëſeos vi, ac natura diſputabant, vt eam non modo Dialecticæ, ſed etiam Sophiſticæ ſubiungere non dubitarent.

Vnum igitur eſſe video, quod diſputando inueſtigare, ac quærere minime puduit prudentiſſimos viros: naturalem ne, an eam, quæ de moribus agit, philoſophiam in toto poëmatis curſu perſequatur Virgilius, & occulat allegorijs. Quæſtionis vero cauſam eam eſſe dicunt, quòd nihil in diſputationibus illis acutis, aut docetur à Phyſicis, aut à morum doctoribus explanatur, quod à poëtis ipſis implicitum fabulis, & cõuolutum non ſit Nam, vt a naturalibus ordiamur, ea primum initia in oculos ipſos, ne dum in animum, ac mentem incurrunt, quæ ab Empedocle radices, & rerum omnium fontes appellantur. De quorum altercatione, atque inimicitia, quam exercent, antequam ex ijs aſpectabilia corpora coaleſcant, ſuperuacaneum eſt apud doctos, & ſapientes viros multa commemorare: illud breuiter, & curſim repetere memoria ſatis ſit, ex illo elementorum conflictu, velut ex bello, iam profligato exiſtere naturaliũ rerum; atque adeo ipſius vniuerſitatis admirabilem conſenſionem, ac pacem. Hanc ergo genitalium corporum pugnam, in qua naturalis philoſophię primordia, & quaſi rudiměta poſita ſunt, nolite putare, aut ignoraſſe poëtas, aut in ſuis ipſorũ fabulis præterijſſe. Vetat enĩ nos

ita ſuſpicari Græcorum facile princeps Homerus, qui Deorum in cælo ſimultates, & ciuile prope diſſidium ſtudioſè depingit, cũ videlicet.

Contra neptunum flauus confligit Apollo
Tela tenẽs pẽnata manu, cũ Pallade Mauors
Congreditur. iacit arcitenens Diana ſagittas
Iunonem contra: pedibus talaria geſtans
Latonã aggreditur ſumptis Cyllenius armis.
Parte alia ignipotens magno, cum flumine pugnat
Mulciber, etherei Xanthũ, ꝙ nomine dicunt
Cœlicolæ.

Ego ne ita cæcus ſim, vt Homerum, qui tam multa ſine oculis vidit, intelligere non potuiſse credam, quàm hæc à Dijs aliena diſcordia ſit, atque in fouendis mortalibus inteſtinum ipſi cœlo, ac planè domeſticum bellum: neque ſuſpicer potius, immo prorſus in animum inducã meum, tectiorem aliquam, & remotiorem ab oculis pugnam illo Deorum prælio voluiſſe deſcribere? Sequar Alexandrinum Cyrillum, non ſapientiſſimum modo, verum etiam ſanctiſsimũ ducem: qui abditos, ac penetrales Homeri locos face prælata colluſtrat, & cæteris intuẽdos, tanquam interpres, ac myſtagogus oſtendit. Is igitur in eius libri procemio, quem cõtra Iulianum Cæſarem perfidioſum Chriſtianæ religionis deſertorem promulgauit, hæc Homeri figmenta, cum ijs contulit, quę corporis actione, quæ voce, ac geſtu ab hiſtrionibus, aut mimis red-

redduntur in ſcena quemadmodum enim poëtæ, qui Theatro ſeruiunt, minime ſatis habent, aut ira percitum hominem, & cupiditate, aut contentione, atque ambitione diſcordem, aut æſtuantem inuidia, aut ieiunio enectum, & fame verbis effingere; ſed ipſam quoque iram, & cupiditatem, illam ipſam inuidiam, diſcordiam, ac famem, corporatam, aſpectabilem, ſpirantē etiam, & loquentem faciunt: ſic Homerus naturalis Philoſophi partes acturus, haud ſibi ſatis eſſe putauit, ipſa rerum naturalium initia, quæ vocamus elementa, verbis retexere, niſi etiam quibuſdam quaſi perſonis induta produceret in medium, & legentium oculis ſpectanda per otium, ac contemplanda proponeret. Itaque varia illa partim in Troianos, partim in Græcos bellantium Deorum, & digladiantium ſtudia, variæ ſunt, aduerſæq; qualitates elementorum, quibus inter ſe continenter, ac ſemper bellum gerunt, continenter intereunt, ac renaſcuntur: quæ videmus; ſenſuq. tractamus corpora conformant, ipſam ſeruant, & cōtinent rerum omnium vniuerſitatem. Quam quidem elementorum pugnam, quia diuinam exiſtimabat Homerus, non hominum illud prælium eſſe dixit, ſed dimicationem Deorum, non mortales inter ſe certantes, & concurrentes induxit, ſed bellum vnà committentes, & ferro decernentes Diuos. Quid enim eſſe cauſæ putatis, cur Apollinem igneum illum, & radios vibrantem Deum, cum

Neptuno, maris, & aquarum, quæ ab illo naſcuntur omnium præſide congredientem faciat, niſi quia calidum, & ſiccum elementum humido, ac frigido, qualis aqua eſt, aquarumq; moderator Neptunus, aduerſatur? Cur Iunoni aëris dominæ, Dianam, quæ Luna etiam dicitur, opponit in prælio, niſi quia flabilis, & ſpirabilis aër a Luna, quæ in ſubiecta, & ſuppoſita omnia non tam ditionem, quàm maleficium exercet, agitatur ſemper, ac permouetur? Cur Vulcanus Scamandrum, ſiue Xanthum, illum nobilem Troiæ fluuium bello premit, ac ſequitur, niſi quia feruens, & maxime calidus ignis, quem habet in poteſtate Vulcanus, humidis, ac frigidis rebus, vt de Apolline dicebamus, eſt inimicus?

Sed in ea pugnantium Deorum congreſſione illud mihi mirandum eximie videri ſolet: quòd, quem diſcordias componentem, atque adeo auctoritate, ac maieſtate bellum inhibentem eſſe oporteret, eius pugnæ cum animi oblectamento ſpectatorem, & digladiatione illa gaudentem Deorum omnium Principem, ac dominum Homerus facit, & conſtituit Iouem. Quantum enim aſſequi cogitatione poſſum, id ſignificare videtur, quod nec à vero, nec à recta religione abhorret: elementorum pugna, & quæ ab elementis ita pugnantibus exiſtit, omnium procreatione rerum, deſpicientem è cælo Vniuerſitatis molitorem, atque opificem Deum ſum-

ſummopere delectari. Ab hiſce rerum initijs, ad ventos, quorum eſt incredibilis vis, atque in omni vitæ parte admirabilis vſus, veniamus. Multa quidem de his implexa fabulis, & commentis ſunt; ſed illud longe pulcherrimum, & rationibus noſtris accommodatiſſimum iudico, quod Vlyſſi, homini maxime gnaro, ac ſcientiſſimo accidiſſe commemorat idem Homerus. Cum enim diu, multumque aduerſa ventorum tempeſtate iactatus, & circumactus in mari fuiſſet, Aeolum, illum procellarum dominum, gubernatoremque ventorum conueniſſe, ac rogaſſe dicit, vt aliquem tandem, & turbinibus incommodis, & errori ſuo modum, ac finem imponeret Ne lōgum faciam. auditus illicò à Rege ventorū eſt, & tam diuturna calamitate temporis puncto leuatus. Accipit ab humaniſſimo procacis populi Deo ventos omnes, atq; anhelitus terræ folliculo inſutos. & culleo, quaſi parricidas; vt eos in officio cōtineret ſemper, & ſecūda in poſterū nauigatione vteretur. Quid vobis hęc fabula videatur, haud ſane ſcio. Equidem non ita ſtultum putarim Homerum ingenioſiſſimum poëtam, vt tam pingue mendacium credibile ſe facere poſſe conſideret. Aliquid profecto ea dignum ſapientia, qua præditus erat, tam impudenti vanitate docere, atq; exprimere voluit. Docuit ſane feliciter, expreſſitq; non id modo ſignificās quod Euſtathius interpres affirmat; Aſtrologū ea memoria fuiſſe præſtātiſſimū,

qui ventorum quorundam exortus, occaſuſq; diuinarit, & Vlyſſi prædixerit; ſed naturæ miraculum abditiſſimum adumbrans, eorum, qui Phyſicam tractant quandam remotiorem, quam naturalem magiam appellant, teſtimonio comprobatum, hoc eſt, ventos habere inſitam illam, impreſſamque natura cum vtribus ſimultatem, quam Græci ἀντιπάθειαν vocant: ſic prorſus, vt nunquam in eam cæli regionem aſpirent, vbi certi quidam folles ex edito, ac ſublimi loco de ligati ſuſpendantur. Intellectum id primum eſt Empedoclis beneficio, quod teſtatum reliquit in duodeuiceſimo hiſtoriarum libro Timæus: vbi confirmat, eum Philoſophum incredibili quodam modo, ac ſingulariter attuliſſe mortalibus admirationem. Nam cum aliquando immoderate, inſolenterque flarent Eteſiæ, ſic, vt vrbium turres, & tecta quatefacerent, corrumperent ſegetes, ipſas etiam arbores, ac ſiluas extirparent, aliquot deglubi aſinos, & vtres è pellibus factos in collib. atq; in altiſſimis montiũ verticibus, ad vehementiſſimos illos ventorum inhibendos, & comprimendos flatus, ſuſpendi, ac collocari iuſſit. Qui cum occidiſſent ſubitò, & confeſtim in ea prouincia ſpirare deſiiſſent, eorum more, qui victis, debellatiſque populis, ac Regnis, nouum ſibi cognomen inueniebant, κωλυσανέμας à Græcis, hoc eſt ventorum depulſor, ac profligator, honorifico ſane vocabulo dictus eſt.

Sed

Sed quia leuiſſima hæc, & tenuiſſima ventorum corpuſcula ſubterfugiũt viſum, præſtat ad ea, quæ magis oculos, & ſenſum cient, inprimiſq. ad cœlum orationem conuertere: quo nihil pulchrius, nihil ornatius, nihil quod Philoſophos ipſos ad ſui contemplationẽ vehementius rapiat, inueniri, aut cogitari animo poteſt. Quid ergo de hoc altiſſimo Dei Opt. Max. domicilio, tam graphicè facto, aureis illis circulis quaſi balteis, vndique comprehenſo, creberrimis aſtris, tanquam bullis, gemmiſq. artificioſè diſtincto, ipſi quoque poëtæ philoſophantes imperitæ hominum multitudini tradidere? tàm varia, tàmq. à vero in ſpeciem aliena, vt pigeat relegere animo fabulas, atque hoc loco ad ſatietatem, vſque recenſere. Vnum tamen haud præteribo tacitus, quod inſtar omnium eſſe poſſit. Quid tandem? dicam breuiſſime. Cœlũ incudis filium facere poëtę non dubitarũt. duram oppidò illi matrem dederunt, & quæ parere nõ poſſit, niſi tonitru, ac fulmine perterreatur. Næ ipſi plumbei, aut etiam incudes putandi ſunt, niſi prudentiſſimam aliquam ſententiã, tam magna ſtultitia tegere voluerunt. Cur enim cœlum incudis potius filius ſit, quàm, aut mallei, aut ſcalpri, aut etiam officinæ? Liberat nos ea quæſtione, ac dubitatiõe Phurnutus: qui propterea ex incude parente natum eſſe cælum à veteribus dictum autumat, quòd ſignificare doctiſſimi viri, ac demonſtrare mortalibus vel-

lent, perpetuum cæleſtium orbium vltro citroque meantium ſine vlla comminutione colliſum & materiam omnis immunem interitus, omnis omnino vitij, atque corruptionis expertem. Vt enim illa ferrea fabrorum maſſa, quam incudem dicimus, noctem, diemque malleis aſſidue tunditur, neque corrumpitur, aut comminuitur tamen: ita cœleſtes illæ rotæ, quarum citimę inuolutæ ſunt extimis, perpetuo quidem curſu circumaguntur in orbem, ſed tamen neque detritæ ſunt vnquam, nec in futurum vlla ratione deterentur. Probare videtur hæc Platonis amātiſſimus, ac ſtudioſiſſimus Proclus: qui cælum ab antiquorum multis appellatum æneum arbitratur ad illam eandem opificij pulcherrimi perennitatem, æternitatemque declarandam. De naturalibus, ita diximus.

Sequitur, vt de ijs, quæ moribus, aut multiplici hominis officio continentur, aliquid etiā in medium proferamus: quæ quoniam in præceptis verſantur, partibus ſingulis humanæ vitę ſalutaribus, ab obſcuriſſima illa Heſiodi fabula initium faciam, quam inuolucris explicatam ſuis propoſuit nobis antiquiſſimi temporis Philoſophus apud Galenum Chryſippus. Canit igitur Heſiodus, Iouem vetulum illum Deum, & tàm multarum nuptiarum, Metim virginem pręclaro ſibi coniugio deuinxiſſe. quam cum eximie muneribus ornaſſet, ac mundo: cum præter cæteras coniuges blanditia conſueſeciſſet, &

gra-

Digitized by Google

gratia; in ipſo thoro, atque complexu commanducauit totam, atque in ventrem penitus abſtruſit ſuum. Quid deinde factum putatis? fingite hoc ipſo commento, quod accepiſtis ex me, fabuloſiorem fabulam: vincenda tamen eſt expectatio veſtra mendacio. Meti grauidus, ac fœtus Iuppiter: iamque ad pariendum vicinus, ſic dolere, ac diſcruciari capite cœpit, vt à Vulcano ſecuri aliqua, vel cuneo ſibi diffindi vellet, & cuperet cerebrum. Ita prorſus id factum eſt, vt Iuppiter imperarat: qui confeſtim periculo puerperij liberatus, in lucem è bipartito capite Palladem, doctiſſimam diſciplinarũ, & conſiliorum omnium moderatricem effudit Deam. Ridetis, tàm palmare mendacium; nec iniquè ridetis. Sed riſum in hac fabula iubet tenere Chryſippus. Ait enim Metim nihil aliud eſſe, niſi prudentiam, artemque vitæ ſapienter, ac moderate degendæ; adeoque traditum ab Heſiodo, eam Virginem conſilio, ac ſapientia Dijs, hominibuſque antecelluiſſe vniuerſis. Hãc videlicet prudẽtiam vorare quodammodo nos, hoc eſt diligenter, & quam citiſſime comparare, atque in capite condere ſapientes iubent. Nam ingenioſe Galenus ipſe ita fabulã hanc ſecundum Chryſippum enodat interpretaturque de ſuo: meritò primum in ventrem ab ore detruſã Metim, deinde conceptam in Iouis capite Palladem. quia prudentia ortum quidem ducit à ſenſibus, habetque in ipſo rerum experimẽto incu-

incunabula quædam: ſed tamen in capite adoleſcit, maximeq. perficitur in vertice, vbi medius,& præcipuus cerebri folliculus eſt. Sic ille philoſophatur:ad veritatem quidem non omnino recte, ad ſenſum Heſiodi ſapienter. Quid vero nobis etiam fiet, vbi hanc moderandæ vitæ rationem, ac viam didicerimus? id omnino, quod accidiſſe Ioui comminiſcitur fabula. Quemadmodum enim Iuppiter exhauſta iam, voratàque Meti, conſultiſſimus euaſit, & Palladem peperit, ſic vbi veram nos prudentię ſpeciem informauerimus animo, non modo nihil in vita peccabimus, ſed noſtra ipſorum cogitata, quæ veluti fœtus ex capitè proferemus in lucē, non cogitata mortalium eſſe, ſed ab ipſa Pallade profecta conſilia videbuntur.

Cæterum hanc, quæ de moribus agit,philoſophiam, nihil eſt, quod habeat, & contineat magis, quàm dari hominum criminibus apud Inferos Iudices, & certa certis ſceleribus, ac pecca tis excogitata fabuloſe ſupplicia. quibus figmentis ne ſemidocti quidem, ac pene populares ipſi vllam adhibendam eſſe fidem arbitrabantur. In manibus ſunt, & quotidie leguntur à nobis,quæ nouitius,ac tiro philoſophiæ apud Marcum Tullium in eam ſententiam, diſerte,ac luculente profitetur in Tuſculanis. Tantum enī abeſt, vt vel tricipiti Cerbero, vel fremitu Cocyti, vel Acherontis tranſuectione, vel Rhadamanthi iudicio commoueri queat, vt etiā poëtarum,

tarum, & pictorum hæc eſſe portenta conuincat. Quod ſi hoſpitem hunc philoſophiæ contemnitis, eiuſque teſtimonium non probatis; habeo proferre Philoſophos magnos, & eruditos viros, qui facile adoleſcenti, ac ſapientiæ tironi ſubſcribant. Nam in omni philoſophiæ genere verſatus, exercitatuſq. Plutarchus, in eo libro, quem de audiendis poëtis inſcripſit, ardētium apud Inferos fluminum, locorum horribilium, portentorumque deſcriptiones intelligere, iam omnes affirmat, fabulas eſſe, ac ne Pindarum quidem ipſum, aut Sophoclem vera putaſſe, quæ de Inferis, ac de Inferorum monſtris ſcriptis verſibus cecinerunt. Cur ergo illa commēti poëtæ ſunt, cum neque crederent ipſi, neque credibilia populo eſſe arbitrarentur? vt multiformibus, monſtroſiſq. illis imaginibus Inferorum, & ſceleris deformitatem effingerent, & multiplices manere pœnas eos, qui delinquerent, ſimulato terrore, ac ficta turpitudine demonſtrarent. Itaque in illo Tantali fugitiuo lacu, atque pomarijs, non Tantalus ipſe nominatim, ſed generatim, vniuerſeq. plectitur auaritia. In Ixionis illa rota, non tam ipſe iactatur Ixion, quàm torquetur, & circumagitur ambitus. In Titij dilaceratione miſerrima, non tam ipſe punitur, & pœnis afficitur Titius, quàm dolore carpitur, & laceratur libido.

Nullus vnquam Philoſophorum fuit, qui certius hæc credere videretur, quàm Plato: & tamen-

men idem ipſe, qui in Phædone veriſſima eſſe ſancte, ac pene iuratus affirmauerat, in primo de Republica dicta mutat, & palinodiam cantat. Docet enim aperte, diſtincteque pronunciat ea, quæ de quatuor Inferorum fluminibus, deque Rhadamantho, & Æaco vulgauerunt poëtæ, deliramenta ſomniantium, atque aniles fabulas eſſe. Quid hic igitur à nobis in tanta dictorum inconſtantia conſtituendū erit? An excordem, & pugnantia locutum dicemus tàm magnum, & ſapientem virum? Non patitur nos de Platone, quem appellabant antiqui Philoſophorum Deum, tàm male ſentire, ac iudicare Platonicus Olympiodorus. Habet enim ad allegoriam, velut ad munitiſſimam arcem, perfugium; vnde pro Magiſtro fortiſſime, acerrimeque propugnet. Nam ſi monſtra ipſa, & compoſitę Inferorum formę ita per ſe ſpectandæ ſint, vt exprimuntur in fabulis; tum enimuero contendit à Platone non modo fabulas dici, ſed ipſam quoque fabuloſitatem. Sin autem allegorias intueamur ipſas, quarum cauſa turpiſſimæ illæ, incredibileſque monſtrorum ſpecies fictæ ſunt, ea veriſſima eſſe, atque adeo ſapientium oracula Platonem credere, ac dicere putat. Placet hic Procli etiam verba, Platonem, atque Homerum à calumnia vindicantis, penè de ſcripto recitare. Inferorum, inquit, ille regiones, ardentia flumina, & ea, quæ de Rhadamanthi iuriſdictione docuerunt Homerus, ac

Plato,

Plato, non omnino ſunt habenda ſomnia, vanitateſq. ſtultorum. Vt enim in cœlo certæ ſunt, & pro meritis deſignatæ, vnicuique Cœlitum, atque Indigetum ſedes, ita putandum eſt, mortalium animas, quæ vel afficiendæ ſupplicio, vel expiatione purgandę ſunt, ad loca quędam abdita, & ea ſubterranea demigrare; quò veluti flumina ipſę rerum omnium fæces, & cócretiora elementorum purgamenta decurrunt.

Spiſſum opus, atque infiniti prope laboris eſſet, cætera in hoc ipſo genere perſequi, quod tractamus: dicam in ſumma: quicquid aut in natura contemplati cogitatione ſunt, aut in moribus ſalutari documẽto, ac lege pręſcripſere philoſophi, id compertũ habetote, & vidiſſe poëtas, & hominum generi fictis fabulis, quaſi mollioribus quibuſdam præceptis expoſuiſſe.

Quæ videlicet cauſa (huc enim mea ſpectabat, & collimabat oratio,) ita mouit aliquos haud indoctos, atque illiteratos viros, vt cum ijs liberum videretur de Virgilio vtrumque pro arbitratu decernere, maluerint eum naturalem philoſophum facere, quàm vitæ morumque præceptorem. Videbant enim vtramque Philoſophiam à poëtis implicite, abditeque traditam fabulis: videbant permultos ipſius Virgilijs locos ab ãtiquiſſimis quibuſdã ſcriptoribus expoſitos ita, & explanatos fuiſſe, quaſi naturalis eſſent philoſophiæ, non ciuilis inſtitutionis inuolucra. Sed non viderunt; eam rationem infirmam

mam eſſe, & quæ nihil præterea vincat, niſi aliquãdo in tam amplo poëmatis campo quoſdã occurrere locos, qui naturalis philoſophiæ doctrinam complecti, ac tegere videantur. Non enim id efficit, quod efficere, ac demonſtrare oporteret, opere continuato, atque perpetuo à Virgilio non mores, ſed rerum naturalium cognitionem adumbrari. Quod ſi ea ratio quicquã poſſet, poſſet illud etiam facere, vt quoniam multis apud eum poëtam locis antiquorum opiniones de Dijs, & ſacrorum ceremonię continentur, Theologus appellari debeat, & Pontificij Iuris interpres: cum præſertim Honoratus Seruius ſcriptum reliquerit, à Virgilio plurima dici ex altiſſima Aegyptiorum Theologorum ſcientia, & diſciplina. Et haberent, opinor, Scaligerum illum Iulium huius ſententiæ facilem adſtipulatorem: cuius ea videlicet erudita vox atque oratio eſt, Virgilium excutere omne philoſophię penu, & ex adytis Methaphiſicę loqui. haberent patronum veterem illum Grammaticum, atque interpretem poëtæ Donatum: qui tantum Virgilio tribuit, vt libere, fidenterque confirmet, eum liberalium artium non modo peritiſſimum eſſe, ſed doctorem etiam, & magiſtrum in opere.

Equidem cum iſtorum ſtudia ſatis demirari non poſſum, qui tam impotenter, ac perdite Virgilium amant, vt eius cauſa omnium diſciplinarum fines violenter inuadant, tum vero me

ipſum

ipſum ignauiæ, ac timiditatis accuſo, quòd tam ample campum, atque imperium illi proferre non audeam. Fateor me plus nimio formidoloſum, & verecundia pene ſemipagana preditum eſſe natura. Sed ſi formidinis cauſam dixero, ſcio vos daturos eſſe veniam pudori meo. Non poſſum ſine aliquo ſermonis diuerticulo explicare, quod timeo, meminero tamen, itineris inſtituti, neque monitorem expectabo, qui me, commonſtrata columna, reducat in viam, vnde deflexi. Age igitur. Æſopum norunt vniuerſi, qui litteras norunt. quin etiam toſores ipſi, atq; illiterati omnes cognitum habent. Expoſitus erat is ab inſtitore domino in Sami foro duobus intermedius venalibus pueris, artibus eruditis, & elegantibus forma; quorum alter Muſicus erat, alter Grammaticus; vterque, vt ea natio facta eſt, ad omnem proiectus audaciam: cum ecce tibi philoſophus magni nominis Xanthus, ſiue caſu, ſiue conſilio commodum in emporiū venit. Vbi, turpiſſimum hominem inſignibus interiectum pueris conſpicatus, enimuero merca tor hic, & ſapit, inquit, & in rem ſuam callidiſſime proſpicit: qui comparatione deterrima fecit, vt Iuuenes illi habitiores eſſe viderentur, & pulchriores. Tum propius ad cataſtam accedens, venales illos adoleſcentes de ſuis ipſorū artibus percuntaturus, Cantorem interrogat primum, ecquid facere ſciret. Quid ni reſpōdet Muſicus? omnia. Hic Æſopus, vel audacia

non ferenda commotus, vel calliditate, tam ſtulta delectatus, diductis enormiter labris, quæ nigra, craſſa, prominentia, atque vſque ad miraculum vtrinque habebat inflexa, tantā cū turpitudine riſum fecit, vt ſoluerit pariter omnes Xanthi diſcipulos, qui erant ſpectaculo circum fuſi. Pergit nihilominus Philoſophus etiam rogare Grammaticum, numquid ipſe calleret. Ille nihil addubitans, aut moratus, maiori cum audacia reſpondet, omnia. Quem cum Æſopus eadem ſanna excepiſſet, ac riſu, cœpit ſedulò cogitare Philoſophus, quid eſſet cauſæ, cur monſtroſæ deformitatis mancipium, ita ſociorum reſponſa rictu, & cachinno deluderet. Quin ab ipſo quoque ſciſcitamur artem, quam teneat, inquit? fortaſſis etiam deriſionis cauſam cum artificio dicet. Age igitur, tu infelix mortalium irriſor, & deſpicatiſſime ſannio: quid facere noſti? nihil; reſpondet Æſopus. nihil? planè nihil inquam. An non tu furciferos, & verberones iſtos audiſti, cum omnia ſe ſcire profiterentur? Quid reliqui factum mihi eſſe arbitraris? nihil. Hiſtoria quidem hæc eſt, & vera narratio; ſed eam mihi parabolam, atq. apologum eſſe peruelim, hoc eſt, inſtitutionem rationum mearum, & ſaluberrimum documentum. Quid igitur tandem? Sunt in hoc Gymnaſio haud minus, quàm in Sami foro mercatorum eſſent, varię Doctorum officinæ: quorū ſi perturbarē, & confunderem artes, contenderemq;

in Vir-

in vno Virgilio ſuppetere, atque expoſita eſſe omnia, quæ cæteri diſtributo per partes labore, ac ſtudio docent, digniſſimus profecto eſsẽ, qui ab Æſopo deluderer, & exſibilationibus omniũ proturbarer à foro. Conſulam igitur in rem meam accuratè, neq; in eã poſſeſſionem inuolabo, quæ mihi decreto Prætoris addicta non ſit.

Satis inquam habeo, eam doctrinam adiudicare Virgilio, quam Horatio relegendam Homerus tradit in Præneſtino. Is enim, vt ait ille, cum bellum Troianum omni allegoriarũ pulcritudine cumulet, non illum cæli curſum diuturno mortalium ſtudio repertum, non aſtrorum errantium acceſſum, & receſſum, non ſtirpium vim, & facultatem, non alias rerum naturalium cauſas fabularum integumentis inuoluit.

Sed quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile quid non,

Plenius, ac melius Chryſippo, & Cràtore dicit

Et tamen in eo poëmate multa ſunt, quæ ad naturalem philoſophiam declarandam pertrahi facile poſſunt. Cur ergo morum potius conformationem, quàm naturæ cauſas ab eo diſcit Horatius, niſi quia ſingulis hominum ordinibus in illa perpetua, & continuata poëmatis allegoria præſcribuntur ample, & de induſtria mores, naturalia ſparguntur parce, ac velut appendiculæ quædam operi magno ſubſeruientes adduntur? Quotus enim quiſque Conſularem, aut Prætoriam viam eò ducere contendat,

quò tramites, ac ſemitæ ferunt, ac non potius tramites, ipſius diuerticula quædam eſſe dicat militaris viæ? Recte ſane ſapientes, peritique rerum æſtimatores docent, nihil eſſe quod materiam, quam tractant, & in qua verſantur ij, qui aliquid ſcribunt, patefaciat, & demonſtret magis, quàm finis, quò ſtudium referunt vniuerſum, & cuius cauſa cætera faciunt, ac moliuntur. Quare cum Virgilio non ipſius cognitio, inueſtigatioq; naturę, ſed morum diſciplina, & ciuilis inſtitutio propoſita ſit, minime profecto dubitandum, aut quęrēdum eſt, in quorum philoſophorum numero collocandus videatur.

Sed quæ te cauſæ, dicet aliquis, in eam ſententiam impellunt, vt de Virgilio decernas, morum expolitionem illi propoſitam eſſe, non explicationem naturæ? quaſi vero in hoc genere pro ſumma ratione habenda non ſit authoritas, & exemplum Homeri, ad cuius ſimilitudinem hic noſter, artem, manumque ſtudioſe direxit. Sicut enim ſatis, ſuperque videbar oſtendere, hoc vno nomine in Virgilij poëmate allegoriā latere, quòd in Homero eſſe aliquam vniuerſe demonſtrarem; ita nunc, in eodem opere nominatim illigari morum philoſophiam, vel hoc ipſo probari à me planiſſime credo, quòd eam ſapientię formam Homerum expreſſiſſe probarim in ſuo.

Sed tamen, ne in ſumma rerum copia, egeſtate, atque penuria laborare me quiſpiam putet,

tet,ex ipſa communi poëſeos definitione rationes ego repetam validas,quæ facile vincāt, hominum mores attendere, non de rerum natura cogitare Virgilium. Nemo enim eſt, qui non hunc & optimum, & præſtantem cæteris poëtam velit,hoc eſt, nō arbitretur expleſſe numeros omnes abſolutæ poëſeos. Atqui poëſis ipſa, ſi genus inſpicias, quid aliud ab Ariſtotele, quàm imitatio dicitur,atque actionum humanarum expreſſio? Actiones autem humanæ ita continentur,& cōſtant moribus,vt ab ijs ſeiungi, ac ſeparari non queant. Nam quæ hominis actio eſſe, aut fingi poteſt, quæ, vel bono, vel prauo more affecta, & conſtituta non ſit? Imitatur poëta regentem milites Imperatorem, ſeditiones, diſcordes, atque altercantes ciues, tyrannidem occupantes improbos, alia ex eo genere propemodum infinita: quæ quoniam ab homine tantum effici poſſunt, neque cum cæteris animantibus communia ſunt, actiones appellantur humanæ. Sed quis exercitum moderantem Ducem, quis popularium tumultus, ac turbas, quis Tyrannorum dominatum deſcribere ſine certa morum expreſſione poſſit? Planius id explicabitur à me, ſi vobis Ariſtotelis locus longe nobiliſſimus in memoriam redigatur: vbi cum diſcrimen inter poëtam, atque hiſtoricum quæreret aliquod,illud ad extremum inuenit,& ſcriptis libris ad poſteros euulgauit: quòd certas certorum hominum actiones hiſtoricus; ge-

neralia quædam, atque communia perſequatur poëta. Cum enim Agamemnonem auditis, abducta Briſeide, caſtra pene Grçcorum inimicitijs, ac diſcordijs euertiſſe, nolite credere, hunc Agamemnonem eſse, ſed hominum inflammatã libidinem vniuerſe, cuius explendæ cauſa, nihil ab ijs moderari, nihil penſi ducitur; ipſi etiam produntur ad certum exitium ciues. Cum legitis, Achillem obſtinato ad otium animo, expeditionem illam Græcorum, & patriæ victoriam retardare; illud exploratum habetote, non eum Achillem eſſe, ſed generatim ira furentem hominis animum, iniuriæque vlciſcendæ cupiditate pæcipitem, atque impotentem. Cum Vlyſſem deligatum ad malum, Syrenum ſcopulos impune prætereuntẽ admiramini, non eum vos Vlyſſem exiſtimare debetis, ſed hominis cõſilium, & ſuis perfectam numeris ſapientiam, quæ volupt.tum inuitamenta negligit, quæ periculis expoſitæ iuuentutis breuia, ſyrteſque declinat, quæ rectæ rationis malum ſemper, & gubernaculum tenet. Hçc autem tractare, ac generales haſce morum ſpecies, quas Plato appellat ideas, componerę animo, cuius philoſophi eſt, niſi eius, qui de moribus hominum vniuerſe diſputat, & communia quędam vitę moderandæ præcepta conformat?

Altera hius ſententiæ cauſa etiam à communi poëſeos ratione petitur, atque in eo ponitur à me, quod cum ab Ariſtotele conſtitutum ſit, poëſim

poëſim arti ciuili, quam Græci Politicam vocant, ſubiunctam, & velut obſecundantem eſſe, dicendum neceſſariò videatur morum procurationem, atque adminiſtrationem quodammodo demandatam eſſe poëſi; quos videlicet caſtigare, componere, moderari, ad publicam felicitatem dirigere, ciuilis eſt rationis, & politicæ diſciplinæ. Nam cum non modo liberales artes omnes, ſed ipſa etiam opificia politicæ quædam pręſidia ſint, nihil erat neceſſe nominatim pronunciare, ac dicere, poëſim ciuili ſubiunctam, & ſubſeruientem eſse, niſi propria illi, & ſingulari quadam ratione ſubiũgeretur. At quæ tandem illa peculiaris, ac propria ratio eſt, niſi morum tractatio? quæ non, vt pleræq; diſciplinæ ciuilis tantũ imperio paret, ſed adeſt, apparetque dominæ ſemper, & dies noctesque domeſtico, quaſi ſeruitio famulatur.

Poſtrema ratio, non ab ipſa communi poëſeos forma ducenda eſt, ſed nominatim ab Epica. Nam quicumq; de illa ſcripſerunt aliquid, ij quandam eſſe dixerunt Imperatoris optimi cõformationem, ac Regis. Quę cauſa, niſi mea me fallit opinio, fuit, cur Alexãder Iliadem Homeri, tam ſæpe legeret, vt eam. & ſub puluino vnà cum pugione retineret ſemper, & ipſius viaticum militiæ nominaret. Exiſtimabat enim in Achille, cuius tantopere laudem æmulabatur, optimi Ductoris inſtitutionem ab Epico poëtà ſapientiſſimo expoſitam eſſe. At quì poteſt Im-

mu … & offi-
liq … Neque enim in-
oc … intelligens offi-
ct … cognitione có-
em …
op … Epicori
V … quidã,
g … res exem-
p … Quo
n … partes ni-
F … ſunt, ali-
r … ignorantis ni-
t … indica te-
s … eo pla-
… Æneas ipſe
… angustia peneraſ-
… ſignificetur, quod
… documento?
… ſic omnino ſe ha-
… philoſophiam à
… Si enim bonus
… actiones non imite-
… nemo poteſt,
… ſi Epicorũ eſt,
… autem,
… delectu, re-
… qui ſine dubio poëta
… in moribus offi-
… eſt morum philoſophum,
… perſona.

Re-

Requiret à me fortaſſe aliquis huius auctores, atque adſtipulatores ſententiæ; quos equidem proferre habeo nō vulgares,ſed ſine controuerſia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctiſſimi tantum, ſed etiam grauiſſimi, ac ſanctiſſimi viri) nemo inquam eum laudat,qui non Platonicum,& Platonis diſcipulum accuratiſſimum faciat. Nam,vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo ſenſa inueſtigat, inuenitque interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum ſacris,ac myſterijs imbutum dicunt, Auguſtinus optimus,non probitatis,& vitæ ſolum,verum etiam eloquentiæ, recteque dicendi magiſter, ampliſſime teſtatur,Virgilium,& Platonicè philoſophari, & ſententiam Platonis explicare verſibus luculentis. At Plato, ſi Timæum excipias vnum,quicquid litteris conſignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis accommodatum expreſſit moribus. Nihil ergo videtur aliud eſſe, Virgilium Platonicum facere, niſi eum in illorum Philoſophorum redigere ſeriem,qui mores,& communis ſocietatis officia tractant.

Explicat hæc haud incurioſè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio eſſe, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ ſtudioſi, amanteſque communita-

perator, aut Rex informari, niſi cum eo de officio tranſigatur, & moribus? Neque enim Imperatoris eſt naturæ cognitio, ſed diligens officiorum tractatio, quæ morum expolitione cōſtat, & moderatione quadam animorum.

Huc accedit, quòd multæ ſunt in Heroicorū abſoluto poëmate fabulæ principis epiſodia, quæ nec generali aliquo præcepto, nec exemplo ipſa per ſe Regem inſtituere videātur. Quo fiet, vt quoniam illæ poëmatis Epici partes nihilominus Imperatoris inſtitutiones ſunt, aliqua eum inſtituant allegoria, quæ figmentis nihil ad rem in ſpeciem pertinentibus abdita teneatur. Nam quid attinet Imperatorem eo plane modo Inferos adire, quo fingitur Æneas ipſe in tenebricoſa illa terrarum gurguſtia penetraſſe, niſi aliquid illa deſcēſione ſignificetur, quod Imperatori, ac Regi debeat eſſe documento?

Cum igitur hæc, vt dixi, ſic omnino ſe habeant, conſequens eſt, morum philoſophiam à Virgilio, cani cum canitur fabula. Si enim bonus poëta non eſt, qui humanas actiones non imitetur: actiones vero ipſas imitari nemo poteſt, niſi imitetur, & exprimat mores: ſi Epicorū eſt, Imperatorem inſtruere, non inſtruitur autem, niſi exquiſito morum, officiorumq; delectu, relinquitur, vt Virgilius, qui ſine dubio poëta bonus eſt, & Epicus ſingularis, in moribus officioque verſetur, hoc eſt morum philoſophum, agat ſub poëtæ perſona.

Re-

Requiret à me fortaſſe aliquis huius auctores, atque adſtipulatores ſententiæ; quos equidem proferre habeo nō vulgares,ſed ſine controuerſia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctiſſimi tantum, ſed etiam grauiſſimi, ac ſanctiſſimi viri)nemo inquam eum laudat,qui non Platonicum,& Platonis diſcipulum accuratiſſimum faciat. Nam,vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo ſenſa inueſtigat, inuenitque interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum ſacris,ac myſterijs imbutum dicunt,Auguſtinus optimus,non probitatis,& vitæ ſolum,verum etiam eloquentiæ, recteque dicendi magiſter, ampliſſime teſtatur,Virgilium,& Platonicè philoſophari, & ſententiam Platonis explicare verſibus luculentis. At Plato, ſi Timæum excipias vnum,quicquid litteris conſignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis accommodatum expreſſit moribus. Nihil ergo videtur aliud eſſe, Virgilium Platonicum facere, niſi eum in illorum Philoſophorum redigere ſeriem,qui mores,& communis ſocietatis officia tractant.

Explicat hæc haud incurioſè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio eſſe, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ ſtudioſi, amanteſque communita-

perator, aut Rex informari, niſi cum eo de officio tranſigatur, & moribus? Neque enim Imperatoris eſt naturæ cognitio, ſed diligens officiorum tractatio, quæ morum expolitione cõſtat, & moderatione quadam animorum.

Huc accedit, quòd multæ ſunt in Heroicorũ abſoluto poëmate fabulæ principis epiſodia, quæ nec generali aliquo præcepto, nec exemplo ipſa per ſe Regem inſtituere videãtur. Quo fiet, vt quoniam illæ poëmatis Epici partes nihilominus Imperatoris inſtitutiones ſunt, aliqua eum inſtituant allegoria, quæ figmentis nihil ad rem in ſpeciem pertinentibus abdita teneatur. Nam quid attinet Imperatorem eo plane modo Inferos adire, quo fingitur Æneas ipſe in tenebricoſa illa terrarum gurguſtia penetraſſe, niſi aliquid illa deſcẽſione ſignificetur, quod Imperatori, ac Regi debeat eſſe documento?

Cum igitur hæc, vt dixi, ſic omnino ſe habeant, conſequens eſt, morum philoſophiam à Virgilio, cani cum canitur fabula. Si enim bonus poëta non eſt, qui humanas actiones non imitetur: actiones vero ipſas imitari nemo poteſt, niſi imitetur, & exprimat mores: ſi Epicorũ eſt, Imperatorem inſtruere, non inſtruitur autem, niſi exquiſito morum, officiorumq; delectu, relinquitur, vt Virgilius, qui ſine dubio poëta bonus eſt, & Epicus ſingularis, in moribus officioque verſetur, hoc eſt morum philoſophum, agat ſub poëtæ perſona.

Re-

Requiret à me fortaſſe aliquis huius auctores, atque adſtipulatores ſententiæ; quos equidem proferre habeo nõ vulgares,ſed ſine controuerſia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctiſſimi tantum, ſed etiam grauiſſimi, ac ſanctiſſimi viri)nemo inquam eum laudat,qui non Platonicum,& Platonis diſcipulum accuratiſſimum faciat. Nam,vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo ſenſa inueſtigat, inuenitque interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum ſacris,ac myſterijs imbutum dicunt,Auguſtinus optimus,non probitatis,& vitæ ſolum,verum etiam eloquentiæ, recteque dicendi magiſter, ampliſſime teſtatur,Virgilium,& Platonicè philoſophari, & ſententiam Platonis explicare verſibus luculentis. At Plato, ſi Timæum excipias vnum,quicquid litteris conſignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis accommodatum expreſſit moribus. Nihil ergo videtur aliud eſſe, Virgilium Platonicum facere, niſi eum in illorum Philoſophorum redigere ſeriem,qui mores,& communis ſocietatis officia tractant.

Explicat hæc haud incurioſè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio eſſe, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ ſtudioſi, amanteſque communita-

perator, aut Rex informari, niſi cum eo de officio tranſigatur, & moribus? Neque enim Imperatoris eſt naturæ cognitio, ſed diligens officiorum tractatio, quæ morum expolitione cōſtat, & moderatione quadam animorum.

Huc accedit, quòd multæ ſunt in Heroicorū abſoluto poëmate fabulæ principis epiſodia, quæ nec generali aliquo præcepto, nec exemplo ipſa per ſe Regem inſtituere videātur. Quo fiet, vt quoniam illæ poëmatis Epici partes nihilominus Imperatoris inſtitutiones ſunt, aliqua etim inſtituant allegoria, quæ figmentis nihil ad rem in ſpeciem pertinentibus abdita teneatur. Nam quid attinet Imperatorem eo plane modo Inferos adire, quo fingitur Æneas ipſe in tenebricoſa illa terrarum gurguſtia penetraſſe, niſi aliquid illa deſcēſione ſignificetur, quod Imperatori, ac Regi debeat eſſe documento?

Cum igitur hæc, vt dixi, ſic omnino ſe habeant, conſequens eſt, morum philoſophiam à Virgilio, cani cum canitur fabula. Si enim bonus poëta non eſt, qui humanas actiones non imitetur: actiones vero ipſas imitari nemo poteſt, niſi imitetur, & exprimat mores: ſi Epicorū eſt, Imperatorem inſtruere, non inſtruitur autem, niſi exquiſito morum, officiorumq; delectu, relinquitur, vt Virgilius, qui ſine dubio poëta bonus eſt, & Epicus ſingularis, in moribus officioque verſetur, hoc eſt morum philoſophum, agat ſub poëtæ perſona.

Re-

Requiret à me fortaſſe aliquis huius auctores, atque adſtipulatores ſententiæ; quos equidem proferre habeo nō vulgares,ſed ſine controuerſia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctiſſimi tantum, ſed etiam grauiſſimi, ac ſanctiſſimi viri)nemo inquam eum laudat,qui non Platonicum,& Platonis diſcipulum accuratiſſimum faciat. Nam,vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo ſenſa inueſtigat, inuenitque interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum ſacris,ac myſterijs imbutum dicunt,Auguſtinus optimus,non probitatis,& vitæ ſolum,verum etiam eloquentiæ, recteque dicendi magiſter, ampliſſime teſtatur,Virgilium,& Platonicè philoſophari, & ſententiam Platonis explicare verſibus luculentis. At Plato, ſi Timæum excipias vnum,quicquid litteris conſignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis accommodatum expreſſit moribus. Nihil ergo videtur aliud eſſe, Virgilium Platonicum facere, niſi eum in illorum Philoſophorum redigere ſeriem,qui mores,& communis ſocietatis officia tractant.

Explicat hæc haud incurioſè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio eſſe, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ ſtudioſi, amanteſque communita-

tis addiſcant. Huius videlicet poëtæ cantu admoneri mortales, vt ſuam ipſorum ſalutem Reipublicæ cauſa contemnant: huius tacita præceptione conſtitui, qualem eſſe oporteat, qui Deum rite, religioſeque veneraturus ſit. Hoc edici magiſtro, atque authore, quid ei cauendū videatur, qui ſanctas, atque illibatas amicitias velit, quid ei metuendum, qui violat fidem, quid agendum illi, cuius auxilium in difficili aliquo temporis articulo poſtulatur. Hæc ille neque indiligenter, nec vero etiam imperitè. Sed nullus mea quidem ſententia melius, aut explanatius ea docuit, quàm Seneca morum præceptor longe grauiſſimus. Quid enim ille de Virgilio ſentit, ac iudicat? Accipite non Laconicum dictum, non Romani Sapientis vocem, ſed Palatini Apollinis oraculum, aureis cælandum notis in foribus Templi. Quid inquam de Virgilio pronunciat, tàm magnus Philoſophus? ſalutare carmen canit, inquit. Quid hoc eſt per veſtram fidem? Quæ noua rerum miracula prędicātur? ſalutaris aliqua Siren inuenta eſt? ſic prorſus. Salutare carmen Virgilius canit. quid ita, niſi quia inſtitutiones vitæ ſalutares decantando carmine ſic inuoluit, quemadmodum in templis ambagibus obducta, conſulentibus, & fauſta precātibus populis reſponſa reddebātur à Dijs?

Maxime velim, tam amplis clarorum virorum teſtimonijs vnum adiungere, quod haud ſcio quantum apud aliquos authoritatis habiturum

ſit;

ſit, apud me quidem habet multum; apud eruditos, & doctos habebit, vt ſpero plurimum. Dantem Aligherium exiſtimatis poëtam, opinor, minime vulgati ſaporis, ſed omnibus inſtructum diſciplinis, non philoſophicis, atque humanis modo, ſed ſacris etiam, & ijs, quas Theologicas nominamus, cuius doctrinam plane multiplicem, & Pariſienſis Academia, vbi diuerſabatur imperito illo ſæculo ſapientia, magnopere ſuſpexit, & admirabilis quidam euentus vniuerſæ poſteritati commendauit. Nam cũ eo iam mortuo, poſtrema illa carmina, quibus Paradiſi Cantica nomen fecit, in ſecreta, retruſaque domeſticarum ædium parte iacerent imprudenter relicta, nec ſine multorum dolore deſiderarentur in cæteris, quæ legebantur vulgò, & manibus omnium terebãtur; ipſius poëtæ ſpecies, atque vmbra candidis inducta veſtibus Iacobum filium ſecundum quietem admonuit, vt certum, quem digito deſignauit, angulum domus excuteret, vbi ea ſcripta vnoquoq; mortalium inſcio, deliteſcebant. Somno experrectus adoleſcens, & ſecum tacita cogitatione reputans viſum, locum ſedulò inueſtigare, ac perquirere cœpit à patre demonſtratum. Ne multa: ibi deſideratum, & diu quæſitum carmen ita reperit, quaſi ea ſenſibus accepiſſet, non per ſpeciem obiectam animo ſomniaſſet. Is ergo, tàm ſapiens, tàm multis eruditus artibus poëta, illo etiam viſo tamquam diuinitus

appro-

approbatus, ita morum allegorias amauit, & perſecutus eſt, vt niſi earum illuſtretur explicatione, & nominum enodatione declaretur, ne ipſe quidem ambages illas intelligere posſit, quas conuoluit, atque implicat cantu. Sed tenetis credo memoria, quem itineris illius ſui ad Inferos inſtituti moderatorem, ac ducem legerit. Scitis, inquam, eius viæ comitem adſciuiſſe Virgilium, à quo ſic edocetur, quemadmodum apud Virgilium ipſum à Sybilla ducitur ad Inferos, & rerum occultarum doctrina eruditur Æneas. Quid autem eſset cauſæ cur Virgilium, cæteris præteritis omnibus, ducem, & doctorem vellet itineris ſapientisſimus vir, niſi videret eam ab illo morum philoſophiam integi verſibus, quam ipſemet obducere, atque integere cupiebat in ſuis. Neque enim aliud eſt, doctore, atque itineris duce Virgilio vti, niſi rationem Virgilij ſequi, & imitari.

Igitur, vt ſtrictim, breuiterque comprehendam omnia: & Homeri poëtę ſapientis exemplo, & firmiſſima ratione, & doctorum hominum authoritate moueor, vt credam, non ipſas naturæ cauſas occultas, ſed morum diſciplinam, ciuiliſque prudentiæ præceptiones allegorijs à Virgilio, tanquam in vmbris, ac receſſu fuiſſe conditas, quæ ab imperitis in eminentia fabulæ cerni non poſſunt. Reliquum eſſet, vt, quod prioris diſputationis initio pollicitus

eram,

eram, ipſa enucleare Virgilij præcepta, & velut è fabularum corticulis aggrederer expedire. Sed quia circumductos orationi meæ limites præteruectus ſum, & eorum, qui me audiunt patientiam victam longitudine, atque inelegantia ſuſpicor, noua quæſtione ſuperſedendum puto, & veſtræ benignitatis auram in hoc eodem portu, quò me compulit, iterum expectandam.

Digitized by Google

DE CONTEXTV VIRGILIANI

Operis Allegorico.

ORATIO VIII.

QVONIAM eundem mihi mouendum eſſe lapidem video, in eoque ſudandum amplius campo, quem ingenio, laborique meo aliorum circumſcripſit, & deſignauit authoritas, Viri prę ſtantiſſimi, Religioſiſſimi P. P. Auditores ornatiſſimi, repetam hodie diſputationes illas, quas ad Virgilium, vel ornandum, vel interpretandũ præciſe quidem, imperfecteq; olim affeci, ſed nouarum identidem interceptus occupationũ incurſu, plene, perducendoq; vt dicitur, ad vmbilicum opere nunquam perfeci. Duobus enim ego congreſſibus illud vici; Æneida, diuinum quemadmodum antiqui loquuntur, opus, non tam eſſe fictam, conflatamq; ad delectationem fabulam, quàm abditam eius, quæ de moribus, regendiſq; ciuitatibus eſt, tractationem philoſophię. Sed quia nucleum iſtum intra poëmatis integumenta reliqui penitus, nec eas expoſui nominatim præceptiones, quę traduntur ab

Ænea,

Ænea, Imperatoris optimi, vel ſuſtinente perſonam, vel ſpeciem præſeferente, totum aliquando corticem frangam, reſolutiſque putaminibus, id demum extraham foras, quod moribus, vitæque ciuili poſſit vtilitatem afferre.

Neque vero id ago, vt oſtendam, quod aggreſſus eſt olim imperfecto conatu Landinus, nullum apud Virgilium, neque locum, neque ſententiam, neque verbum vacare documentis, & præceptionibus abditis ſapientiæ. Sunt enim alij poëtę, quibus ficus nunquam eſt ficus: quales in Græcia fuere permulti; apud quos ipſæ etiam nubes, & ranæ loquebantur. Qualis apud noſtros Dantes Aligherius eſt: cui niſi locis omnibus, ac prope ſyllabatim ſuas reddas allegorias, nihil plane ſupererit, cuius cauſa poëta, hoc eſt veroſimilium fictor rerum, habendus, appellanduſq; videatur. Non ea inquam Virgilio ratio fuit, vt quod ipſe panarium diceret, nunquam vellet eſſe panarium. Neque mihi cōſilium eſt, malitioſe, ac per calumniam, vbi nullæ ſunt, ibi fingere, ac comminiſci velle rerum allegorias; ſed illud vniuerſe contendere, ac demonſtrare, Troianorum Ducem, Romanæq; ſtirpis originem Æneam expreſſum nobis, ac propoſitum à Virgilio fuiſſe ad exemplum viri ſapientis, optimique Imperatoris: qui à puero inſtitutus, ac per ſingulas vitæ partes ſuis exercitatus virtutibus, ad eam aliquando felicitatem peruenerit, ad quam non modo priuatorum ſinguli,

guli, ſed ipſæ quoque ciuitates, ac Regna colliment. Quam ego doctrinam antequam explico, ſtrictim, & breuiter, aliqua reuocauerim altius, à Pythagoreorum, Platonicorumq; principijs accerſita; quorum ſine dubio Virgilius, & ſecutus eſt, & cõſecutus in opere diſciplinã.

Animam illi noſtram, cuius beneficio viuimus, ac ſumus, è cælo delibari, decerpiq; putarunt, quaſi particulam aliquam, aut ſcintillam diuinitatis: adeoque in corpus hoc mortale, atque concretum tanquam in carcerem, & vincula, tanquam in ſepulcrum aſpectu fœdum, ac tenebris horridum, immo verò tanquam ad Inferos ita compelli, detrudique pronunciabant. Neque enim antiqui illi ſapientes, quos appellarunt Theologos, aliud exiſtimabant Inferos, ac Tartarum eſſe, quàm noſtra ipſorum corpora: quibus incluſi mortalium animi tam multa ſæpe cruciamenta, dolores, ægritudines, incommoda perferre, ac perpeti cogantur in vita. Quapropter omnia, quæ poëtica fabuloſitas illic eſſe perſuaſit hominibus, in nobis metipſis, atque in humanis corporibus admoto quaſi digito demonſtrarunt. Nam obliuionis illum fluuium, animæ dicebant errorem eſſe, maieſtatem vitæ prioris obliuiſcentis: Phlegethontem, iræ faces, & cupiditatis ardorem: Acherontem, angorem, atque triſtitiam, qua confeſtim capimur, vbi aliquid, vel feciſſe, vel dixiſſe nos pœnitet: Cocytum, quicquid homines in luctum, lacrymaſque

que compellit: Stygem, quicquid mortales inter ſe diſcordes in odiorum gurgite demergit, mœſtitudine teterrima contabeſcentes. Quin ipſam quoque pœnarum deſcriptionem variam atque multiplicem ab humanę vitæ deſumptam exemplo voluerunt: vulturem illum iecur immortale tundentem, conſcientię lacerationem, ac laniatum eſſe credentes,ipſas rerum flagitioſe geſtarum fibras, vbique rimantis, ipſa prope animi viſcera turpi contaminata ſcelere depaſcentis: enectum inedia, & fame inter epulas ante ora poſitas Tantalum, ſordidos illos,atque auaros exprimere, quos habendi cupiditas inſana ipſam cogit rerum præſentium copiam nõ videre. illos, qui rotarum adſtricti radijs in orbem aguntur aſſidue, incautos adumbrare homines, nihil conſilio prouidentes, nihil explicantes virtute, nihil ratione moderantes, ſed res ſuas fortunæ temeritati, quæ circumuoluit omnia, permittentes: Syſiphum adurgentẽ immane ſaxum, eorum ſignificare labores, ac ſtudia,qui caſſa contentione, conatuq. ſemper inefficaci conceſſa vitæ ſpatia conterunt.eos autem,qui caducam ſilicem, & iam lapſuram dies, noctesque pertimeſcunt,Tyrannorum oſtendere felicitatem: quorum ceruicibus continenter imminet exitium, quod meruerũt.

Hæc iſti de noſtro ipſorum Natali, deque animorum origine prædicabant. quibus aliqui Barbarorum populi condocefacti pronunciatis, homi-

homines vita functos cum hilari vocum ſono, tibijſque ſuauisſime præcinentibus ad ſepulturam proſequi cœperunt; natos, atque in hanc lucem primum exortos excipere cum lacrymis, & eiulatu lugentium præficarum. Nam qui Pythagoram initio, quique Platonem poſtea ſecuti ſunt, duos prorſus obitus, ac mortes, vnam animi, alteram animalis eſſe tradiderunt. Mori quippe dicebant animal, cum animus è corpore demigrat; animam autem ipſam, cum à ſimplici, atque ab indiuiduo fonte naturæ in membra corporea, tanquam in ſepulcra fœdisſima, vel in tenebricoſa gurguſtia diſſipatur. Putabāt nimirum ibi ſordeſcere, inſici, turpificari ſocietate, & contagione corporis animam, in earūq; deprimi fontem ęgritudinum, & ęrumnarum, quæ, quoniam acerbiſſimæ ſunt, cum Inferis, cum Tartaro, cum ipſa morte malorum omniū clauſula comparandæ viderentur. Et ſane, ſi quis humanæ vitę rationem expenderit, peſteſque percenſuerit omnes, quibus animus à corpore, vitioſaque natura mortalium aſpergitur, intelliget, iſtos non omnia male, mendoſeque dixiſſe, ſed explicaſſe populis aliquo cum mendacio veritatem. Nollem enim aliquis exiſtimaret, me, cum hæc ita diſputo, iſtorum probare phanaticā de noſtrorū animorū origine, ac procreatione ſententiā. Equidem, qui iamdiu verſor in humanis literis, haud ita ſum hoſpes in diuinis, quin, & audierim de pręceptoribus adoleſcēs,

& ſępe

& ſæpe legerim in maiorum monumentis, opinationem iſtam Platonicam in Bracharenſi Cōuentu iugulatam propterea fuiſſe, quòd extitiſsēt inter Chriſtianos à Platone Philoſophi quidam audaculi, qui docerent, hominum animas vnà cum Mentibus illis, quas Angelos dicimus, à Deo quidem initio fuiſſe procreatas: ſed faſtidio demum affectas rerum cæleſtium, amare cœpiſſe infimas, ac terrenas: itaque ex eo tempore tanquam in carceres, & latomias, ſic in corpora mortalium ad perſoluendum tam incredibilis ſtultitiæ ſupplicium continentèr, ac ſubinde de cęlo contrudi. Scio inquam hęc: neque cum dico, Platonicos, aut Pythagoreos de hominum ærumnis optime iudicaſse, illam etiã laudo delibationem animorum è cælo, ad quam velut ad ſtirpem, cauſamque communem omnia vitæ lacrymabilis incommoda referebant. Quanquam quid ita me purgo, quaſi neceſse habeam oſtendere, vera eſſe, quæ, aut Platonici docent, aut Virgilius à Platonicis hauſta, fabulis, & commentis inuoluit in opere? Non hic ergo dicturus ſum, quàm ille bona, ſed quæ Philoſophorum placita probarit: adeoque facile me proripiã ab impetu Lactantij declamatorio, qui laxatis habenis, in Virgilium inuehitur, quòd ille pius, ille integer, ac ſanctus Imperator Aeneas humanas Vmbris victimas immolare nō dubitet: nec animaduertit, ipsum ſe pugnare cũ vmbris, hoc eſt antiquorum reprehendere

ſuperſtitionem, cum ſe putat inconſtantiæ, ac fatuitatis accuſare Virgilium. Is enim eorum eruditus opinione, docentium, cęſorum hominũ animas, & delectari cognato ſanguine, & miſerrimas, atque errabundas eſse, niſi earum iniuriam, ac mortẽ aliquis apud viuos vlciſceretur, Æneam in eo totũ eſſe voluit, atq; illud vnũ agẽtẽ fecit, vt Pãlãtis placaret Manes, vel ſacrificio, vel vltione. Quare Iuuenes illos quatuor.

——— Sulmone creatos

Viuẽtes rapit Inferias, quos immolet Vmbris.

Inde Mago procul infenſam cũ tẽderet haſtã.

amplectenti genua, & ſupplicanti

——— galeam laua tenet, atque reflexa

Ceruice, orantis capulo tenus abdidit enſem.

Et Turnum obteſtantem per Anchiſæ Manes, mortemq; deprecantem interimit: cui ſine dubio dediſſet veniam, niſi Pallantis animã errantem, atque ſollicitam illo ſanguine mollire, ac requietam reddere voluiſset. Non id inquã mihi propoſitum eſt, vt tueri velim in præſentia Platonicorum, ac Pythagoreorum ſomnia: ſed placet tamen ad Virgilium illuminandum eorũ de noſtrarum animarum in corpus depreſſione natali quantumuis abſurdas, ementienteſq; retexere ſententias. Ab hoc enim exordio vitæ capientes initium, in bonorum, ac malorum finibus, ita pergunt ipſi philoſophari.

Homo ſic, vt diximus, á generis ſui diuulſus, abſtractuſque principio, peſtibus infectus, & com-

commaculatus corporeis, aliquam ad felicitatem, vnde digreſsus eſt, quærit, & perueſtigat indagando viam. Quam quia per ſe inuenire non poteſt, iſtos conſulit ſacerdotes,& ſapientiæ myſtagogos. qui dicunt vnam eſſe virtutē: cuius beneficio deterſus humanus animus adipiſcatur in vita beatitudinem, & ſecūdum obitum de integro cum illa, vnde deciſus olim eſt, diuina, cæleſtique Mente coniungatur.

Atque iſtud demum eſt, quod Virgilius illos ſecutus Antiſtites philoſophiæ, ſuis in Æneæ coloribus exprimit. Eam enim tanquam digito commonſtrant erranti viā, quæ ab ipſis vniuerſa illa, generaliq; præceptione deſcribitur. Et quoniam de virtutis officio, ac vi varia quædā, & multa ſane dogmata illi Philoſophi tradiderant, excerpſit ex ijs poëta prudentisſimus id, quod conficientiſſimum eſſet abſolutæ, perfectæq. felicitatis. Fuere quippe nonnulli, qui virtutum munera ſic diſtribuebant, vt dicerēt, partes eſſe Prudentiæ proprias, aſpectabilem hanc Vniuerſitatem,& quicquid ſub ſenſus fallaciſſimos cadit præ diuinarum rerum contemplatione deſpicere: Temperantiæ, prǫterire, ac relinquere omnia, quæ corporis, vel vſus, vel voluptas, ac mollitudo requirit: Fortitudinis, aſcēſum perfectæ philoſophiæ ſublimem, arduumq; non perhorreſcere: Iuſtitiæ, conſentientes habere virtutes omnes, atque ad nutum animi iubentis obſequentes. Magnifice iſti quidem, &

ſplendide ſic decidunt: ſed qui velit hac via in virtutum officijs deſcribendis inſiſtere, is expũgat è numero felicium neceſſe eſt magiſtratus, & Rectores ciuitatum, quibus illud abruptum, tam ſeueræ definitionis aſcendere per occupationes, & Reipublicæ negotia non licet. Sapiẽtius, itaq; Plotinus iſtius damnans anguſtias, malignitatemq; ſententię, quatuor fecit quaternarũm genera virtutum, ita latè patentium, vt nemini aditum ad felicitatem intercludant. Primas extergentes, ac purgantes appellat: ſecundas animi iam purgati habitudines, & qualitates: tertias politicas: quartas ideas, & exẽplaria nominat. Illud in sũma videtur ſibi velle Plotinus; è virtutibus vniuerſis alias otioſas, & quietas eſſe, negotioſas alias, atq. actuoſas: earumq; beneficio ſingularũ fieri poſſe beatos homines, & fines illos bonorũ attingere, qui noſtrę propoſiti ſunt mortalitati. Priores enim in Philoſophos cõueniunt, poſteriores in Reipublicę Principes, ac Ciuitatum moderatores: adeoque fit, vt hæc duo virtutum genera diuidãtur interdum, ſi minus idẽ homo, qui felicitatẽ quęrit, ad vtraſque videatur idoneus; coniungantur item interdum, & miſceantur, ſi vtrarũque vel inſtitutione, vel natura capax animus inuenitur. In ſolis operoſis felicitatem reperiſſe videtur Romulus; cuius vita nunquam otium nacta, negotio fuit aſſiduo, atque actione quotidiana continenter exercita: in ſolis otioſis Pythagoras; quem agendi ſcimus

igna-

ignarum fuiſſe, doctrinæque tantum virtutes, atque ornamenta conſcientiæ conſecutum: in tertio, ac miſto genere apud Græcos quidem Lycurgus, ac Solon: apud Romanos verò Numa Pompilius, Catones ambo, Africanus, alijque minime pauci, aut obſcuri, qui, & philoſophiam hauſerunt altius, & firmamentum Reipublicæ ſolidiſſimum attulerunt.

Igitur Æneas, qui deſcribitur ad ſimilitudinẽ optimi, vtrarumque fingitur eſſe capaciſſimus: atque in vno, eodẽq; animo perfectionis illius geminæ ſingulare cõſtituitur exẽplum. Sic itaq; ſudat ille ſub armis, virtutibus excitatus operarijs, vt ſubſiſtat interdum, atq. in ſeipſum quieta rerum abditarum commentatione deſcendat: ſic emicat foras curis euocatus ciuilibus, atque actuoſis virtutibus incitatus, vt ſecum habitet, ſibique viuat identidem reuocatus ab otioſis.

Nunc denique hoc agamus. Hominem hunc ita partibus abſolutum omnibus inſpiciamus à puero: exortum primum in lucem, & corporeis inquinatũ ſordibus, deinde purgatũ, exterſumq; ad extremum perfecta quaternarum virtutum complexione felicitatem adeptum. Vultis à purgantibus ordiamur? Hinc enim ducendum eſſe videretur initium, vnde relegere primũ incipimus ad felicitatem viam. Troiæ naſcitur Æneas, Troiæ puer alitur, educatur, adoleſcit, hoc eſt in vrbe molli, voluptatibus, ac delicijs diffluente: quia de cœlo delapſis in corpus impurum

diuinus, & caſtus animus, ipſo ſtatim initio facile corrumpitur illecebris, & cupiditatibus: illo nimirum expreſſis incendio, quo felix Iliũ, & Troia ipſa voluptaria concrematur. Sed ecce tibi repente Venus, hoc eſt recta ratio: quæ flammis interceptum Æneam admoneat, vti quam primum excedat, ab eoque ſe ſubducat incendio, quo delicata illa ciuitas eſt peritura. Non enim hæc illa vulgaris eſt Venus, inimica conſilio, & rationi, ſed alia quædam cæleſtis à Platonicis ipſis excogitata. Quibus idcirco rationem hominis rectam appellare placuit Venerem, quòd ſic ipſa ratio virtutes pariat vniuerſas, quemadmodũ Venus gignere putatur omnia, quæ naſcuntur in terris. Itaque in eadem Vrbe ſimul Æneas alitur, & Paris, vterq; morem gerens, atque obtemperans Veneri: ſed quia vulgarem hic audit, interit cum Patria voluptatibus inflammata: ille, quia cæleſtem ſequitur, per tela per hoſtes periculis perfungitur omnibus, euadit ex incendio liber, nauigat in Italiã, hoc eſt ad eam contendit animi, corporiſq; felicitatem, quã ei recta ratio demõſtrauit. Quod cum facit, purgantis officia virtutis obit omnia: quæ non alia Platonicis ſunt, niſi ea ipſa quibus vt paulo ante commemoraui, ſic definiebant, & circumſcribebant aliqui beatitudinem, vt eam Regibus, atque in temperanda Republica occupatis hominibus omnino abiudicatam, & denegatam vellent. Si enim in hoc purgantis

gene-

genere virtutis,prudentiæ dicitur eſſe,aſpectabilia omnia, & corporata præ cæleſtium rerum amore negligere, quis Ænea prudentior, qui Troiam hoc eſt,ipſum Regnum voluptatis,atq; Aſiam, delicatiſſimam illam regionem deſerere non dubitat, vt Latio tandem aliquando potiatur; vbi ſuis abſoluta numeris virtus Imperium inſtituet nouum, & cæleſtem comparabit immortalitatem? ſi temperantiæ, repudiare, ac nolle quicquid ad corporis, vel vſum, vel oblectamentum efflagitat animi cupiditas, quis eo temperantior eſſe poſſit, qui Barbaricum illud aurum, & Phrygiam gazam, aut hoſtibus ipſis facile permittit, aut igni corrumpi ſecuro animo patitur: nec ſecum exportat aliud, niſi Penates illos, & ſacra,quorum aſpiratione ſecunda nauigationi moderetur; & velificetur ſuæ? ſi fortitudinis, aſcenſum illum,quo ductu Philoſophiæ contendit animus, non reformidare, nemo ſane fortior Ænea,qui non modo tempeſtatibus immenſi maris, monſtriſque terribilibus obſeptum ad beatitudinem iter non extimeſcit, verum etiam contra ſemper eo vadit audêtior, quo maiora ſibi obiecta eſſe pericula, vel ab iratis Dijs, vel ab incõmodis hominibus intuetur. ſi iuſtitiæ, faciles, dictoque propemodum audientes habere virtutes omnes ad terendam propoſiti viam, nullus profectò iuſtior Ænea videri debet: qui ad bonorum illum apicem, ac metam ſibi commonſtratam diuinitus,religione

conſilio, liberalitate, conſtantia, cæteriſque virtutibus tanquam accenſis, atque apparitoribus ante præeuntibus conuolat in Italiam. Neq; verò illa apud Didonem remãſio facit, vt minus ſibi cõſtare videatur in ea purgatione Virgilius. Nam qui hoc ſtudio virtutis abſtergentis expiantur, offendunt interdum ad ſcopulum aliquẽ, nec omni caſu, ac prolapſione redduntur immunes, niſi cum inueterato iam habitu, diuturnaque conſuetudine cõfirmatus eſt animus, aut, quemadmodum ipſi loquuntur Platonici, cum defæcatus eſt, atque ab omni rerum fluxarum aſpergine purè, preſſèque deterſus.

Quem habitum, confirmationemq; probitatis, quia ſibi demũ parauit Æneas à Didone digreſſus, huius etiam virtutis officia, quæ purgati iam animi eſt, ex eorundẽ doctrina Philoſophorum ita diſtinguamus in partes. Hic prudentia, non tanquam in deliberatione, diuina terreſtribus anteponit, ſed illa ſola cognoſcit: temperãtia cupiditates extraordinarias, atque effrenatas non modo reprimit, verum ẽt obliuiſcitur. fortitudo perturbationẽ iræ, non tam vincit, quàm prorſus ignorat: iuſtitia ſic hominem cum diuina mente coniungit, vt ibi animus æquabili tenore, atque indiſſolubili fœdere retineatur. Ad ſummam, vt vno verbo complectar omnia, eò deuoluitur hęc iſtorũ oratio, vt ſignificet, animum purgatione cumulatiſſima deterſum, ac mundum ita ſe totum in diuina transferre, vt à

terre-

terrenis, atque adeo à corporis ſenſibus alienatus, ipſam prope videatur induiſſe diuinitatem. Cum igitur hunc felicitatis gradũ, & mente cõprehenderet, & poſſeſſione iam teneret Æneas, ad Inferos vſq; hoc eſt ad animi ſui cõmentandã originem ex ipſa Dei contemplatione deſcẽdit. Huc enim Plato ipſe, dum per ſingula veſtigia Deũ inquirit, ſæpe, ac ſubinde diuertitur, quòd exiſtimet, in hominis anima tanquam in ſpeculo diuini vultus imaginem facilius colluceſcere. Ille itaque deſcenſus ad Ditis concaua nihil ſibi vult, & ſignificat aliud, niſi animi quandam abſtractionẽ à corpore, qualem prorſus accidiſse Philoſophorum multis aliqui memoriæ prodiderunt. Nam quod vulgò pene dicitur, Epimenidem illum Cretenſem ipſos ſolidos annos dormiſſe quinquagĩta, Pythagoram latuiſſe decem, viginti Zoroaſtrem; id illi ſic interpretantur, vt velint à ſenſibus toto eo tempore alienos excellentiſſimam, ac prope cæleſtem philoſophandi rationem tenuiſſe. Quin huc referunt; atque ad hũc abſceſſum pertinere putãt, quod de Socrate ſcripſit Plato: ab exoriente ſole ad occidentẽ vſque ſolitum fuiſſe eodem in loco, iiſdemque plane veſtigijs inſiſtere cogitabundũ, oculis nũquam, aut cõniuentibus, aut aliorſum coniectis. Nec aliunde, niſi ab ea commentationis excelſæ præſtantia factum volunt, vt Plato cum ſępe inter philoſophandum abduci ſoleret à ſenſibus, è corporis vinculis omnino in ipſa demum

abſtra-

abſtractione deceſſerit. Sed admirabilitatem omnium maximam facit in hoc argumento Porphyrius, etiam ipſe è Platonicorum egreſſus officina. Ait enim, Plotinum magiſtrum ſuũm cũ repētina totius oris mutatione ſolui ſolitum frequenter à corpore, eoque tempore mira quædam inuenire, quæ ſcriberet, & cum diſcipulis communicaret: ſeipſum verò, cum ageret octauum, & ſexageſimum ætatis annum, à Numine correptum ſemel inter commentandum fuiſſe, ſubitòq. à ſenſibus, & corpore longe ſeductũ.

Huius ergo gnarus, apprimeque ſciens philoſophiæ poëta doctiſſimus, noluit in eo, quem informabat ad optimi ſpeciem, eam contēplationis excellentiam deſiderari, quę ſapientes in ſeipſos, tàm alte demergit, ad cæleſtia, tàm ſublime ſuſtollit. Quapropter ad Inferos illum cōpulit, veluti commentatione quadam obdormiſcentem, & conſopitum grauiſſima, vt de male, recteue factorum ſupplicijs, ac præmijs, de animi noſtri natura, & vi, de ipſa rerum ſerie futurarum, inſtitutione caſtiſſimi parentis edoceretur. Quo loco mihi venit in mentem illud obſeruare, curioſeq conſiderare, eo potiſſimũ tempore in altiſſimam illam rerum commentationem Æneam deſcendiſſe, quo tempore Carthaginem, hoc eſt inuitamēta voluptatis omnia reliquerat, ac de libidine cumulatiſſime iã, perfectiſſimeque triumpharat.

Memini quippe apud quoſdam me Platonicos

lege-

legere,ſeptem eſſe vacationis genera (ſic enim ipſi aberrationes illas à ſenſibus, atque abſtra-ctiones à corpore nominant) ſeptem inquã eſſe vacationes, quibus animus, ita ſupra corpus, ipſamq; mortalitatem euehitur, vt nõ modo res abditas, penituſq; repoſitas intelligat, verum ẽt de venturis ſæpe diuinet, & breui, longoue poſt tempore futuras vaticinando denunciet. Primam eiuſmodì vacationem aiunt in ſomnis euenire,ſobrijs pręſertim hominibus,ac tenuę eratis: quorum videlicet animus facillime arcana fluxione diuini luminis illuſtretur. Secundã fieri volunt ab ea cordis, animæq; defectione,quam medici Græco vocabulo ſyncopen, noſtro cõciſionem appellant. Illum in hoc vacationis genere perhibent, atq admirantur Enarchum: qui cum ex ea ſpiritus inciſione pro mortuo, iam habitus eſſet, & comploratus à medicis, de improuiſo reuixit, affirmauitq; eo ſe tempore nõ moriturum, ſed Nichandam quendam nobilem ea tempeſtate palæſtritam; ſtatimq; Nichandas ipſe in exitioſiſſimas incidit febres, ac mortuus eſt; Enarchus vero plane conualuit: viuebatq; vigens, ac florens, cum ea quæ dixi,fideliſſimis literarum monumentis conſignabat Plutarchus. Tertiam in eius humoris contractione ponunt, quem Latini bilem atram, Græci melancholiam nominant Illo enim humore pręter modũ coacto,fieri dicunt, vt anima non minus homine vigilante vacet, quam vacare conſopito ſoleat,

& dor-

& dormiente, tantòque concitatiores reddi, quàm cęteros, qui ſunt ita, vel natura, vel morbo conſtituti, quanto denſa rerum corpora, cũ accenduntur, efferueſcunt magis, & vehementius exardeſcunt. Eiuſmodi Socratem fuiſse credunt: quem Ariſtoteles melancholicum facit, & multa præſenſiſse, ac prædixiſſe ciuibus ſuis aliqui ſcriptores affirmatè contendunt. Quartam ex omnium humorum conuenientia, & conſenſione mirabili arbitrantur exiſtere: quæ ſicut in Alexandri corpore odorem illum excitabat ſuauiſſimum, ita in aliquibus ad numerum prope temperatis ipſam queat vaticinãdi facultatem ingenerare. Plotinum ita factum, & compoſitum putant: quem eius auditor Porphyrius teſtatur, inſitos cuique mores, occulta mortalium facinora, futuros euentus, atque impendentes caſus, vſque adeo intellexiſſe, vt cũ Porphyrius ipſe de ſe interficiendo cogitaret, id ille perſenſerit, eumque perincommodum animi motum, qua pollebat auctoritate prohibuerit. Quintam otio tribuunt, & ſolitudini: vbi nimirum animus obſtrepentis vitæ negotijs abſolutus, ea tantummodo reputat, quæ ſunt in cælo ſtellis illis, tanquam ſacris Ægyptiorum characteribus exarata. Hoc ex fonte Zoroaſtres hoc eſt ex viginti annorum otio in remotiſsima ſolitudine traducto eam præſentiendi rationem hauſiſse credebatur, quam in libris de diuinatione ſcriptam poſteritati reliquerat. Sextam

effici

effici ab admiratione cōminiſcūtur. Ita quippe feminas illas diuinas, quæ dictæ ſunt Pythię, res futuras exiſtimant fuiſse vaticinatas. Cum enim in Apollinis antrū ſuperſtitionis plenæ ſecederent, ibiq. attentius de Numinis ipſa præſentia cogitarent, tanto, quemadmodū ipſi dicunt, & horrore perfundebātur, & hærebāt ſtupore, vt à ſenſib.alienata mēs,ſoliſq rerū futurarū euentibus expoſita,præſagiret interdū,& diuinaret: in ijs præſertim rebus, de quibus ipſæ conſultæ fuerant,& cum conſulentibus ante deliberarāt.

Ad ſeptimam aliquando veniamus: in qua Platonici reſipiſcūt Sunt enim ex illo dementiū genere, qui non ſemper delirant. Nec ſum ego ſic hebes, quin intelligam, & probe ſciam, tam eas philoſophantium abſtractiones à corpore, quàm has vaticinantium vacationes partim eſſe confuſa veris mendacia, partim improborum ludibria Dęmonum. Sed ipſa quoque proferenda fuerunt deliramenta, vt adiectam vanitati ſapientiam ſecerneremus. Aiunt ergo, ſeptimam vacationem omnium præſtantiſſimam eſſe: hoc eſt eam, quæ à vacuitate libidinis, abſolutaque caſtitate progignitur: adduntque rationem longe pulcherrimam, & quæ videatur à Chriſtianorum doctrina non abhorrere. Affirmant enim, caſtorum hominum animas non quidem ad tempus, vt cæteras, ſed continenter, ac ſemper eſſe Dei optimi maximi delubra quædam, & fana ſanctiſſima: adeoque ita res arcanas

affidue

aſſidue noſſe, ac ſæpiſſime vaticinari, quemadmodum conſulentibus populis oracula, & reſponſa redduntur in Templis. Nihil ſapientius poterat, aut ijs, quæ à religionis noſtrę traduntur auctoribus, congruentius dici. Video quippe Hieronymum exiſtimaſſe Sibyllis, quamquã vanos illos Apollines, & commentitia Numina colerent, à Deo tamen ipſo, veritatis auctore, datam fuiſſe diuinationem; vt ijs inſigne quoddam eſſet ornamentum, & præmium ſpectabile virginitatis. Nec alio rſum, quàm in hanc ipſam virginitatis gratiam alij Patres, magiſtriq. religionis id factum accipiunt, quod de Claudia, & Tucia Veſtalibus à Plinio cõmemoratur. quarum prima cum in ſuſpicionem veniſset ſtupri, ad probandam pudicitiam ſuam, nauem in vado Tyberis hærentem cingulo duxiſſe fertur, quam multa hominum millia mouere loco, ac machinamentis pertrahere non potuerant. altera cum ſimiliter argueretur inceſti, pertuſum in fluuio cribrum demerſit, hauſtamq; penitus aquam ad Deæ templũ pertulit, cuius ſacra turpi polluiſse flagitio putabatur. Ac ne noſtros præterire videantur taciti, dum ſic admirantur, & laudant alienos, hoc etiam addunt: Ioannem illum, quẽ ex Apoſtolis vnum propter excellentiam, atque præſtantiam ſcimus ab antiquis appellatum eſſe Theologũ, idcirco diuinitatis penetrale pulſaſſe primum in Cœnaculo, dein etiam in Inſula Patmo aperuiſſe; quòd quanquam alijs fortaſſe

parti-

partibus non vinceret cæteros,caſtitate tamen, ac virginitate vnus omnino antecelleret omnibus. Quin arbitratur etiam Auguſtinus, ruſticulum quendam ſua ipſius memoria ideo ſolitum fuiſſe à corpore ſæpe, multumq; diſtrahi, & rerum interea miracula quædam inaudita cernere oculis non corporeis vigilãtem, quòd eſſet virginitate præſtabili, atque inſigni caſtimonia nobilis inter ſuos. Ita Platonici, qui tam ſæpe fucum rectę pietati facere velle vidētur.cum noſtris interdum effatis, & religione conſentiunt. Qua propter,vt ab hoc diuerticulo me recipiã, quò illa commentantis Æneę repens ad Inferos itio deduxit orationem meam, illud iterum magna voce pronuncio, ſcitè ſatis à Virgilio, & Platonicorum philoſophiæ congruenter in illo contemplationis expletæ gradu Æneam tum collocari, cũ protrita libidine, ac mulieroſitate prorſus eraſa, ad ſupremum iam faſtigium euaſerat abſolutiſſimę caſtitatis.

Sequuntur verò nunc illæ politicæ virtutes, quę ciuium tuentur ſalutem,ſocios tegunt,alienos deuinciunt, omnes denique omni officiorũ genere demerentur. Fruſtra enim purgantibus illis, & tanquam piacularibus animi virtutibus extergitur, ac luſtratur is, qui quęritur,& fingitur optimus, niſi ab illo cogitationis vmbratili ſtudio, mentiſq; latibulis emineat aliquando foras; quæque diuturno commentatus eſt otio proferat in vſum ad publicas aliorum hominum com-

commoditates. Quare quod quæri ſæpe ſolet inter ſapiẽtes, ac doctos: an Homero Virgilius ſit anteferendus, hoc loco profligari facillime poteſt. Non enim Virgilius, quod ab Homero, illo duplici factum Iliadis, atque Odyſſeę videmus opere, virtutes haſce multiplices ſeparauit, alijs fortitudinem actuoſam, alijs otioſam, quietamq; ſapientiam tribuens: ſed ſumma calliditate, atque artificio id demum effecit, vt quæ diſtracta inter ſe videbantur eſſe, ac longiſſime diſſidentia, in vno, eodemque Imperatore concordiſſime coaleſcerent. Ac ne ab ijs agentis animi virtutibus abeamus, de quibus modò cæpimus explicare, videte quantum ipſarum officia operoſa cum illa ſuperiorum requiete conuenientiam habeant, & conſenſum.

Principio ab ea commentatione tandem emerſus Æneas, confeſtim in Formiano littore Caietam excitat, quia prima ratio politicæ prudentiæ videtur ea eſſe, vt cœtus hominum, & concilia celebret, quemadmodum apud Tulliũ docet Scipionem auus Africanus. Deſcendit in Italiam. extemplo centum allegat oratores ad Latinum. quanta porro ea ſapientia, quanta religio fuit? Ingruunt ex improuiſo bellorum motus quanta in conquirendis inter hoſtes auxilijs ſolertia, quanta in Aſcanio, Troianiſque tuendis animi circumſpectio? Fortitudinem intueri placet? Ecce tibi vnus omnia contra tela Latinorũ: immo vero aduerſus omnem Italiam, & prope

genus

genus ipſum humanũ vnus Æneas. Et quoniam fortitudo nõ in aggreſſione periculi tãtũmodo cernitur, ſed multo ſæpe maxime in perpeſsione rerũ aſperrimarum, item in acie vulneratus, ſagittaq; introrſus adacta periculoſè confoſſus

Saeuit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere; auxilioq; viam qua proxima, poſcit,
Enſe ſecent lato vulnus, telique latebras
Reſcindant penitus, ſeſeq; in bella remittant.

Quod cum fieret, doloris ille quidem, ac periculi ſecurus ſui, ſed moræ, cunctationiſque prorſus impatiens

Stabat acerba fremẽs ingentẽ nixus ad haſtã
Aeneas magno Iuuenum, & mœrentis Iuli
Concurſu, lacrymiſque immobilis.

Fortitudinem excipit Temperantia. ſed qualis, & quanta virtus? Illa profecto, quæ non modo voluptarijs inimica cupiditatibus ſit, ſed quæ opibus etiam ipſis irata, magnifice, ſublateque dicere poſsit. Nec mi aurum poſco. Ferro, non auro vitam cernamus vtrinque. Non enim is eſt Virgilianus Heros, qui raptati, atq; diſtracti cadauer Hectoris, ſupplici, lacrymantiq; Parenti pretio vendere non erubeſcat, ſed qui ſponte, minimeq; rogatus Lauſi corpus intactum, ornatum armis, & muneribus Tyranno remittat: quique pollicenti theſauros ãplisſimos Mago reſpondere non dubitet.

Argẽti, atq; auri memoras quæ multa talẽta.
Gnatis parce tuis.

O Ni-

Nihil de clementia dicatur: quæ in ipſa etiam inimicorum clade potuerit ingemiſcere. nihil de modeſtia, de verecũdia, de alijs huiuſmodi partibus, ac formis, quæ temperantiæ tanquã capiti ſubiũguntur. Iuſtitia ſatis eſt, quæ claudit omniũ agmen, vincitq; reuerẽtia cæteras, & ſanctitate. Vides quẽadmodũ in illis ipſis terris, quarũ poſſeſſionẽ ab oraculis, & Dijs volentibus acceperat, nemini bellũ indicit, niſi ſuperba, intolerandaq; laceſſitus iniuria? Vides quẽadmodũ inuitus ad hoſtiũ cædem pertrahitur, & arma illa fatalia tractat ingratis aduerſum eos, à quibus tam temerè intelligit eſſe amicitiæ leges, & ius hoſpitij violatum? Audis eam, quæ Latini Legatos excipit, ad Latinũ remittit egregiam vocem inaudita cum ſignificatione iuſtitiæ, ac probitatis?

Pacem ne exanimis, & Martis ſorte perẽptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Quid igitur huic ſupereſt tam exaggeratæ virtuti, niſi coronamentum à reliquis, quæ Ideæ, atq; exemplaria nominantur? Nam ſi aliarũ rerũ perfectæ illæ formæ in mente diuina recte collocatæ putantur à ſapientibus, multo Platonici rectius in eadem ponendas exiſtimant virtutum imagines abſolutas; à quibus ordine reliquæ defluant, & cum mortalibus ipſis à Deo parente optimo communicentur. Ex his verò quid delibare poterit ille beatus, cuius felicitati poſtremam aliquãdo Virgilius admoturus eſt manum? multum profecto, atq; id omnino, quod diuinũ, & per-

& perfectiſſimum eſt. Turno enim è numero viuētiũ expũcto, parta demũ pace, turbisq; compoſitis omnibus, ad commentationem illam excellentem de integro reuertitur; ipſa penitus in Numico diluta mortalitate, fit Deus: ac ſi minus ideas illas, ijs certe ſimillimas inuenit in cęlo: nec habet vltra quò progredi poſſit Platonicorum animis informata felicitas. His quippe gradibus ipſi humanum animum ad beatorum domicilium ducunt; rati, è quatuor ijs virtutibus aliquas eſſe, quæ molliant perturbationes, ac mitigent, alias, quæ prorſus obliuiſcantur: poſtremas denique, hoc eſt illas cæleſtes, in quibus piaculum, & nefas ſit commotiones, affectuſque nominari.

Cæterum dicet aliquis eſſe me præuaricatum in cauſa: qui nõ animaduerterim, ex hac ipſa doctrina Platonicorum, intelligi, curtum eſſe, præciſumque Virgilij poëma. vbi videlicet Æneas, non ad beatitudinem quidem illam cæleſtem, euehitur, ſed relinquitur in procinctu. Ego tamen haud ita cæcutio, vt locum iſtum non ante prouiderim, atq; vnà cum doctis hominibus Maphæi Vegij ſtultiſſimam nõ admirer ſapientiam: qui quadrigis illis affabre laboratis, apprimeque perfectis à Virgilio rotam addere voluerit quintam. vt nobis, qui neſcimus cuias ſit, & neſcire volumus, eſſet ſaltem ſuo iudicio, & volũtate ridiculus. Non vidit Ariſtarchus infelix, in ſcribendo, ſic poëtæ, atque hiſtorico variam eſſe deſinendi legem, quemadmodum eſt exordiendi.

Non vidit apotheòſim illam, & ea, quæ tam putidè ipſe perſequitur, indicata fuiſſe, quãtum ſatis erat, à Ioue, dolorem Veneris ita conſolante.

——— ——— ſublimemque feres ad ſydera Cœli
Magnanimũ Aeneam: neq; me ſententia vertit.
Indigetem Aeneam ſcis ipſa, & ſcire fateris
Deberi cœlo, fatiſque ad ſydera tolli.

Non vidit, ita cæſo Turno, finem operis eſſe debere, ſicut in Hectoris præſtantiſſimi Ducis funere clauditur Ilias. Non vidit deniq; poëtas etiam Epicos, nuptias, choros, ludos, actionis, vt ſemel dicam, reliquias illas permittere legentium animis, quas ipſi Comici liberiores à ſpectatorum oculis in Theatro porro ſubducunt.

Hæc ſuper Æneide perorauimus aliquando. quã ieiune, veſtriſq; parũ auribus accõmodate, haud ego neſcio, qui me ipsũ, meiq; anguſtias ingenij nõ ignoro. Vellem adeo eos imitari, qui poſtremi prodeũt apud Comicos, in eam gratiã allegati, vt finẽ fabulæ denũciẽt, & ſpectatores è Theatro dimittãt. Sed illi plauſum, niſi moleſti fuerũt, cũ exceptione poſtulãt, ego nullũ flagitare poſsũ, quia repetita è Platonicorũ penetralibus oratio multũ habuit opinor moleſtiæ, voluptatis nihil. Video tñ vnũ mihi relictũ eſſe locũ illis fabularũ epilogis omnino contrariũ, ſed rationibus opportuniſsimũ meis. Nã, quia nõ placuimus, & moleſtiã vobis exhibuimus importunã, ſi minus dicere poſſumus, plaudite; illud certe, quoniã humaniſsimi eſtis, habemus iure petere: veniam date.

IN PHILIPPICAS MARCI TVLLII CICERONIS.

ORATIO IX.

HVNC me relegentem earum indicem concionum, quæ M. Tullio Ciceroni crearunt interitum, ſilẽtium foro, eloquentiæ vaſtitatem attulerunt, aggreditur ea præteritæ memoriæ recordatio: quæ admoneat animum inconſtantiæ rerum humanarum, cogatque de omnium propè diſertorum hominum infelici quodam exitu cogitare. Nam, vt Latinos hoc loco prætcream, è decem illis Græcorum oratoribus longè clariſſimis, quorum vitas conſignauit nobis literis olim Plutarchus, octo prorſus enumerare poſſum, partim in exilium à ciuibus eiectos, partim ſua ipſorum manu confectos, partim aliorum tyrannide contrucidatos. Tam acerbæ cauſam fortunæ nolite à me requirere, Auditores optimi: quã, & oculis ipſis intuemini, & à Craſſo illo diſcere poteſtis, qui natus ad ſingularem quamdam orationis facultatem videbatur, & habitus

Digitized by Google

eſt ab vniuerſis in dicendo deus. Non enim clamabat aliud ea diuini hominis extrema vox, cũ Philippum Conſulem, prædonem, & profligatorem Ciuitatis in ipſo mortis limine tãta cum conſtantia confutabat, niſi oratores eſſe publicę cuſtodes libertatis: quos patriam incolumem dicendo præſtare, nec ante conticeſcere aduerſus improbos oporteat, quàm aut intercludatur omnino ſpiritus, aut lingua radicitus extirpetur. Quid ille Catulus vir apprimè bonus, & argutus orator? qui, cum multa de Senatus orbitate, deq; Reip. caſu vehementiſſima cõtentione diſſereret, ab eodem Philippo Conſule, quem ea conqueſtio nominatim petebat, interrogatus quid latraret, furem ſe vidiſſe reſpondit. Nonne diſtinctè, planèq; pronunciauit, oratores vigiles eſſe Reip. quoſdam. & canes, ad latrandum in ſubeuntes ſicarios, ad tuẽdam Ciuium ſalutem, in vijs, in foro, in Senatu ipſo collocatos? Poſuit hæc ante oculos Athenienſium callidiſſimè Demoſthenes, in Philippum illũ alterum eius Reip. latronem, & excurſorem egregium inuehens. Cum enim is ad componendas inueteratas illas cum Ciuitate diſcordias vnum peteret, vt ſibi decem, qui tum Athenas in libertatis iure cõtinebant, dederẽtur oratores; lupos etiã pro concione dixit Demoſthenes, voluiſſe cum Paſtoribus olim in amicitiæ, paciſque fœdera conuenire: ſed vnum poſtulaſſe primum, in quo ſunt omnia, vt ſibi, qui cunctorum cauſa diſſidiorum

eſſent,

eſſent,traderentur obſides fidei canes. Quo ſane commento,& malitioſum Regis detexit conſilium, & oratoris optimi partes quaſi coloribus ſuis expreſſit ad viuū. Quādo igitur excubitores ſunt,qui profitētur eloquentiā, & tanquā canes in ciuitatis cūſtodia,præſidioq; diſpoſiti, clamitant enimuerò,cum latrones intuentur: maloſq; ciues ad tyrannidem affectantes viam è longinquo præſētiunt,ac vocis indicio prodūt. Quod ſi taceant, & prædones impunè graſſari per Rempublicam ſinant, næ illi pœnam commereantur,eam ipſam,quam Capitolini canes olim publicè luiſſe dicuntur, cum aſcendentes in arcem Gallos, anſeribus interea clamantibus, impediti ſomno,deſidiaq;, nec militum cuſtodię, nec ſubiectæ ciuitati ſignificarunt. Ex eo quippe tempore,certo quotannis die,canem in crucem actum, patibuloque confixum altiſſimo, anſerem verò ſplendida incumbentem lectica, ſtragulaque compoſitum veſte, ſolitum fuiſſe accepimus triumphali propemodum pompa, & gratulatione frequentiſſima circumferri.

Haud equidem puto, Romanos, ſapientiſſimos viros, Regnorum, ac Ciuitatum omnium moderatores exiſtimaſſe,illius exempli ſeueritate cæterorum oſcitantiam, & ſocordiam poſſe deterreri:ſed voluiſſe potius eo cruciario cane, tamquam inſigni aliqua nota, & veluti ſymbolo admonere oratores officij ſui: vt tranquillitatis publicę corruptores internoſcant ſagacitate,la-

tratu indicent, ac voce; impetu, atque ipſo ſui corporis obiectu propulſent. Id quod quia na uiter, atque accurate faciunt oratores boni, peracerbo nimirum obitu plerique decedunt. quos exuit bonis, & vita proſcriptio, quos exilium conficit, ac ſolitudo, quos venenum, aut ferrum abſumit, quos armat in ſeipſos, atque ad voluntariam compellit perniciem ſuſcepta rerum omnium deſperatio. Cuius exitus indigniſſimi haud immunis eſſe potuit Cicero: qui & præteritorum ante res geſtas oratorum diligenter imitataretur, & graſſatores non latratu modo, & clamore depelleret, ſed dentibus etiam proſcinderet, comminutoſque animoſæ orationis impetu, ſpirituque difflaret. Quo miſerabilior hominis eſſe mihi videatur interitus: quòd qui nullas vnquam Reipublicæ cauſa procellas, ac tempeſtates declinaſſet, priuato ad extremum turbine correptus ſit, atque ab ijs capite ſpoliatus, quos ipſe paulo ante in capitis diſcrimine defendiſſet. Haud facile dixerim, an proſpexiſſet rationibus ille ſuis ſapientius, ſi promittente ſalutem Antonio, Philippicas haſce (id enim poſtulabat vnum) incendio corrupiſſet. Quod ita meditor interdum impendio, vt parum abſit, quin hoc eſſe velim hodie argumētum orationis meę. Mihi quippe venit in mentem in hac ſapientium hominū, atque Auditorum meorum corona quęrere diſſertando: an honeſte potuerit, & cum dignitate Marcus Tullius accipere conditiones Antonij:

qui

qui vitam ei ſe condonaturum pollicebatur, ſi quas tam acerbè in ſe conciones effuderat, abolere prorſus, atque igni cõburere voluiſſet. Sed reprehenſionem vereor aliquorum, qui Senecæ ſuaſoriam illam, vbi tractatur hæc deliberatio, commentitiam omninò putant, atque abhorrentem à vero. Audendum nihilominus eſt aliquid etiam aduerſum hos, & videndum experiendo, num huic quoque rei conciliare poſſim authoritatem, & fidem, quæ ab eius memoriȩ ſcriptoribus altiſſimo conuoluta ſilentio eſt. Duo igitur à me diſputanda ſunt enucleatius, & quærenda per otium, Auditores. An vere ſponſiones illas Ciceroni fecerit Antonius. An integrum Ciceroni fuerit, honeſtumque probare ſponſiones, & ſuarum exuſtionem orationum Antonio polliceri. De priore diſputationis parte neceſſe habeo pluribus dicere. poſteriorem exequar, & tractabo breuiſſime. Illam enim ſuperiorem exponere non poſſum, niſi diligentiſſime relegam, & confutem cauſas, cur illi non id verum exiſtiment, ſed fictum à declamatoribus argumentum in Ludo. Vbi autem hoc vicero, tum explicatiſſima erit ad intelligendum ratio, quid de conditionibus Antonij fuerit à M. Tullio in tam ancipiti deliberatione conſtituendum.

Tria ſunt, quæ ad huius rei veritatem infirmandam facile proferuntur ab his. Primum, ea fuiſſe tantummodo prodita memoriæ ab Aſinio Pollione in oratione illa, quam pro Lamia dixit, atque

atq;in publicum dedit. Hunc autem habuiſſe odium aduerſus Tullium capitale, adeòq; compoſuiſſe mentiendo quod hominis honoratiſſimi gloriam obtereret. Secundum eſt, potuiſſe Antonium per ſe, qua tum prædictus erat authoritate, orationes illas exurere; nec opus habuiſſe Triumuirum, qui proſcriberet omnes, ad eam rem operam, manumq; Ciceronis aduocare. Tertium; tantam M. Tullio inditam natura fuiſſe timiditatem. vt ſi ea eſſet optio ab Antonio data, nunquam fuiſſet ille repudiaturus. Antequam primā refello mēdacij cauſam, quæ in Pollionis inimico poſita eſt animo, quis, qualiſque fuerit Aſinius Pollio dicere quam pauciſſimis inſtituo. Nouum fuiſſe hominem lego apud Paterculum: ſed vetera illa ignobilium exempla Romanorū Coruncani, Caruilij, Catonis, C. Marij, quos ex obſcuriſſimo loco ad Conſulatus faſtigium clariſſima perduxit aliquando virtus, ſic in ſe renouaſſe, nihil vt ei negatum ſit, quod nobiliſſimo cuique ſumma induſtria, diuturnaque vigilantia parandum eſſet. Ad honores duplici præſidio, eloquentia, & militari labore, perrexit: quod iter in libera ciuitate certiſſimum eſt. Docuit initio quidem ætatis adultæ artem dicendi, Rhethoricam: ſucceſſitque illius ſcholæ Timagenis, qui ſub Pompeio captiuus, atque à Gabinio coëmptus, ludum in Vrbe declamatorium habuit. Ex ea deinceps officina prodijt in forum ita condocefactus, vt locum inuenerit

haud

haud mediocrem inter diſertos. Ita enim inuenio per ſeriem enumeratos oratores, qui gradibus ætatis diremptì, eodem plane tempore fuere percelebres: Ciceronem, Hortenſium, Craſſum, Catonem, Sulpitium, Brutum, Calidiū, Cęlium, Caluum, proximum Ciceroni Cæſarem, eorumque velut alumnos, Coruinum Meſſalam, & Aſinium Pollionem. Militare vero ſtudium pari cum laude videtur aggreſſus, maiore cum fortuna tenuiſſe. Meruit ſub Cæſare ſingulari eius diſciplinæ magiſtro in ipſa quoq; Pharſalica pugna: cuius ciuilia cum Pompeio bella, hiſtorico, qui finitimus eſt oratorio, ſtylo deſcripſit. A Cæſare ſecundum illud prælium valido cum exercitu miſſus in Siciliam eſt ad exturbandum Catonem; inde in Iberiam allegatus ſucceſſor Carrinæ, qui à Sexto Pompeio fuerat interfectus. vt intelligas, minime pœnitēdos eum feciſſe in re militari proceſſus, qui difficillimo tempore ſit à Cæſare belli ſcientiſſimo tam magnis copijs, Prouincijſque prępoſitus. Vt paucis denique multa complectar, ingenio fuiſſe perhibetur impigro; quippe qui totius diei laſſitudinem perexigua quiete deponeret, iocis, ſerijſque pariter accommodatus, ideòque dictus omnium horarum homo.

Hæc ego de huius hominis, & pacis, & militiæ præfatus ſum artibus, vt viam haberem ad reſpondendum paratiorem. Do igitur, & facilè concedo; Pollionem Aſinium fuiſſe gloriæ

Cice-

Ciceronis infenſiſſimum; eiuſque fontem inimicitiæ ſitum arbitror in illo duplici ſtudio, quod tractabat. Nam, vt ordiar ab eloquentia; neſcio quì fiat, vt nemo in hac exercitatione verſetur, quin ſimultates quodammodo ſibi ſuſcipiendas putet cum ijs, qui longe aliud ſequuntur orationis genus; perinde, ac ſi forma illa dicendi varia, nota quędam ſit diſſidentium animorum. Scimus profectò non vnum eſſe vultum eloquentiæ, quemadmodum non vnus eſt hominum: & tamen quia figuli ſumus orationis, ſuccenſemus cæteris, niſi ſermonem fingant arbitrio noſtro: &, ſi rota currente, populo probabiliores euadant, etiam inuidemus. In Ciceronis æqualibus intellectum id eſt planiſſime, ac velut in tabula propoſitum videtur ad intuendum. E'quorum numero princeps Brutus eum appellaſſe dicitur elumbem, & fractum, Caluus ſolutum, & eneruem: nec dubitauit exiſtimare, cum illo ſe iuſtiſſimam habere litem de principatu dicendi. Quin apud Iuuenalem video Rufum neſcio quem declamatorem ex angiportis dicere ſolitum, ſibi Ciceronem videri Allobrogem, hoc eſt eloquentiæ cuiuſdam Gallicæ peregrinum; & barbarum architectum. Hæc adeo peſtis animum quoque Pollionis inuaſerat: quem ſtylo fuiſſe curioſo, & emuncto, nullaque re notabili, niſi nimia diligentia, teſtatur Fabius: adiungitque, à nitore, ac iucunditate Ciceronis ſic abſuiſſe, vt qui ætate paulo eſſet inferior, nihilo tamen minus

nus videri poſſet ſæculo prior. Nemo pruden-
tius,atque callidius vtriuſque characterem ora-
tionis expreſſit, quàm Seneca ille, cuius ore vi-
detur ipſa è Roſtris Latine dicere, ac Populo
Romano concionari ſapientia. Libet eloquẽtiſ-
ſimum Philoſophum de varia duorum oratorum
facultate,tanquam è tribunali decidentem audi-
re. Lege Ciceronem, inquit. compoſitio eius
vna eſt;pedem ſeruat: curata,lenta, & ſine infa-
mia mollis. At contra Pollionis Aſinij ſalebroſa,
& exiliens,& vbi minime expectes,relictura:
denique apud Ciceronem omnia deſinunt,apud
Pollionem cadunt. Quid fieri potuit in ipſo ſer-
monis artificio diſſimilius?quid ad Pollionis ani-
mum à Cicerone abalienandum accommoda-
tiùs? Videbat nimirum illo dicendi genere du-
cto,ac fuſo eos feciſſe clamores,admirationeſq;
Marcum Tullium, quas ipſe collecto, atque ad-
ſtricto,ne leuiſſime quidem excitaret: contineri
non potuit, quin æqualem illum, expoſitumque
ſtylum orationis acerbiſſime carperet; quæſiuit-
que in ſcirpo læuiſſimo geniculum, & nodum,
qui poſtea notauit in Salluſtio vocẽ impuram,
deprehendit in Liuio Patauinitatem. Iam vero
bellorum vſus armorumque tractatio; in qua
non ſtirpes ſolum, & fibræ diſcordiarum, ſed
adultæ ſimultates, atque odia ſunt, quantum à
Marco Tullio Pollionem auerterit,nemo non
intelliget, modo memoria repetat, quem ille in
ciuili contentione ſecutus ſit Principem. Cum
enim

enim delecto iam Cęſare, Pompeianis ſe partibus aduerſarium profeſſus eſſet adoleſcens, vel hoc vno nomine Ciceroni bellum indixiſſe, atque inimicitias denunciaſſe ſempiternas videbatur, quòd ſuo iudicio tueri Pompeium in ea Reipublicæ partitione, ac Pompeianis adhęrere voluiſſet. Quæ, vt fœcundiſſima ſint inimicitiæ ſemina, pro nihilo tamen habenda puto, ſi cum ijs, quæ poſtea ſunt conſecuta, comparentur. Nam ſecundum obitũ Cæſaris ita coluit Antonium Pollio, vt aram ei excitaſſe non minus videretur, quàm Antonius ipſe, & viuenti, & vita functo excitauerat Cęſari. Quem animi ſenſum, atq; amicitiã ita pugnaciter ad extremũ, vſq retinuit, vt cũ poſt Brunduſinã pacẽ in Italia reſtitiſſet, rogante illum Octauio, vt ſecũ ad bellũ proficiſceretur Actiacum, vocem emiſerit, indicem conſtantiſſimæ volũtatis in Antoniũ. Quid enim? Mea, inquit, in eum maiora merita ſunt, eius in me beneficia notiora. Itaque diſcrimini veſtro me ſubducam, & ero præda victoris.

Cum ergo, & Iulianas ita ſequeretur partes, & tam conſtanter amaret Antonium, cum in ipſa etiam exercitatione dicẽdi eam offendiſſet inimicitiæ ſementem, quã in artificio ſimili diſſimilis quędam ratio facit, ac via; fateor equidẽ haud ingratis infeſtum Ciceroni Pollionem fuiſſe: ſed illud nequaquam fateor Auditores, eã inimicitiam, odiumque facere poſſe, vt minus videri debeant vera, quæ ille de optione vitæ

ab An-

ab Antonio data commemorauit. Nam ſiue dixerit hæc in defenſione pro Lamia verbis, ac voce: ſiue prætermiſerit quidem dicere; ſed in oratione, quā edidit,ſcripto,literiſq; vulgauerit, quì potuit audere, aut corā Triumuiris tā inuerecundè mentiri,aut ea in publicū proferre,quę tū ipſi Triumuiri, cum alij, qui eo Reip. tēpore norant omnia, ſciebant eſſe vaniſſima? Quid verò cauſæ fuit, cur hæc ita componere, quæ M. Tullio probroſa non eſſent, ipſi verò ſummam quandam inurerent infamiam Antonio? quippe qui cum ea peteret,& conditiones proponeret intolerabiles, Lycambeū illum videretur habere paratum in ſe laqueum, niſi Cicero, vel moreretur, vel ea ſcripta ſua voluntate combureret.

Primam mendacij cauſam,in qua verti videbatur cardo rei, ſic amolitus ſum, vt plura hūc in locum ingerere ſuperuacaneum putem. De altera ingredior dicere: quam iſti petunt à ſumma, qua pollebat Antonius in eo Triumuiratu potentia. Quid enim,inquiūt, erat neceſſe prouinciam illam Ciceroni demandare,vt,ſi viuere vellet, extingueret orationes ſuas,cum ipſemet per ſummam ignominiam exuri publicè, iubere poſſet Antonius? Neque enim inuentum hoc nouitiū eſt, & à noſtris in codices ſuperſtitioſos,atq; improbos excogitata nouiſſimè ratio, vt Magiſtratuum auctoritate tradantur in flammas. Antiquiſſimus ille mos, & diſciplina quoque veterum fuit,Auditores. Si enim librorū ordines

dines diſtinguere velimus, & ire per ſingulos, nullum inueniemus hoc tempore ſolitum ea ſeueritate corrumpi, qui ſolemni Iudicio ab antiquis exuſtus aliquādo non ſit. Ac primo quidem in impios, ac religionem exterminātes tam cito igni, flammiſq; à priſcis Rerumpub. Rectoribus animaduerſum eſt, vt vix Protagoras deteſtabilem illam, execratamq; protulerit vocem, qua negabat vllam eſſe Diuinitatem, cum illico eius, quibus hæc docebantur, ſcripta, conquiſita vndique, & præconis voce collecta, in medio foro, frequentiſſima concione incenſa ſunt, & concremata. Quod animaduerſionis genus ita Romanis quoque, conſecutis placuit temporibus, vt cum repaſtinanda in Ianiculo vinea ſeptem Latinos libros de Pontificum Iure, totidemque Græcos de diſciplina Pythagoricæ ſapientiæ offendiſſet Caſſius Hemina, Latinos aſſeruandos, retinendoſque curarint; Græcos, qui ad ſoluendam aliqua ex parte religionem videbantur idonei, L. Petilius Prætor vrbanus ex auctoritate Senatus, igne ſuccenſo, per victimarios inflammarit. Impijs, & cerimonias corrumpentibus libris haud multum diſſimiles ſunt, qui doctrinam habent hariolandi. Aduerſum hos bene longa declamat oratione apud Liuium ille Conſul; qui memoriam replicans omnem antiquitatis, affirmat, ſæpiſſime Magiſtratibus datum fuiſſe negotium, vt libros vaticinios perſcrutarentur, atque comburerent. Quin Auguſtus ipſe

quic-

quicquid fatidicorum librorum eſſet, Græci, Latiniue ſermonis,vndiq; contraxit, incenditq. publice, ac ſolos retinuiſſe dicitur Sibyllinos. Quid verò Magicis factum eſſe putatis, qui ad creandam innocentibus perniciem, cantiones, & venificia continent? Prætereo grauiora veterum exempla. Vnum dico,quod eſt apud nobilẽ Iuriſconſultum Vlpianum: cautum olim fuiſſe, vt Iudex hæreditaria re diuidenda ſeponeret à rutis,ac cæſis improbatæ libros lectionis,magicos, atque veneficos; ſtatimque veluti venenis imbuta medicamenta factis ignibus aboleret. Veniamus ad criminoſos, quibus conuicia iactantur, & probra. De nullis vnquam ſeuerior pœna, ſuppliciumq;ſumptum eſt acrius In eos enim tanquam in Hydram Lernæ à nationibus vniuerſis publicè, priuatimque ſemper immiſſæ ſunt flammæ. Non hic hærendum diutius eſt. Illum ego apud Senecam profero teſtem Labienum; quem à rabioſa linguæ petulantia Rabienum vocarunt. Huius enim libri ex Senatuſcon ſulto ſic ſunt incenſi, quemadmodum Annales Cremntij Cordi maledicẽtiſſimi hominis,quos Senatus cremandos cenſuit per Ædiles. Nihil in Fabritium Veientonem decretum eſt mitius:qui cum multa in Sacerdotes,& Senatores probroſa ijs compoſuiſſet libris,quos inſcripſerat Codicillos, igni materiam, & pabulum dedit, ſibi miſerrimum exilium, & relegationem longe turpiſſimam ab Italia peperit.

P Dicunt

Dicunt hi quidem aliquid vendibile, qui hæc antiquitatis exempla colligunt, contenduntque, Antonium publica, quam tum ſuſtinebat auctoritate, potuiſſe ignominiam illam incendij M. Tullij Ciceronis orationibus, & ſcriptis imponere: ſed non animaduertunt, hominem haud ſtultum illud etiam intellexiſſe, minime ſe poſſe illa ratione, ac via inimici famam, gloriamque prorſus eradere; in quam furioſius ipſe, quàm in orationes, & ſcripta debacchabatur. Videbat, inquam, veterator acutiſſimus, quàm verum ſit quod longo poſt tempore humanarum omnium rerum apprime gnarus de Annalibus Cremutij Cordi per Ædiles incenſis ſcriptũ reliquit Cornelius Tacitus; manſiſſe nihilominus occultatos, & editos: adeoque fruſtra laborare, qui putant præſenti potentia extingui poſſe memoriam ſequentis æui: cum contra ſæpe videamus, punitis ingenijs, gliſcere potius auctoritatem, & famam. Quæ Cornelij pronunciata, vt minime tueri poſſint eos perfidioſorum hominũ libros, qui Chriſtianæ Reip. moderatorum ſcitis ſanctiſſimis, iuſtiſſimiſq; legũ decretis exuſti, prorſus obliterantur, conueniunt tamen in M. Tullij conciones exploratiſſimè: quas ſi comburi iuſſiſſet Antonius, multò commendaſset populo magis, feciſſetq; vt libertatis illæ publicæ defẽſiones à Tyranno per ſummã iniuriam damnatę, auidius à bonis omnibus legerentur. Cum ergo prouideret hæc improbiſſimus homo, & ſuo cũ

animo

animo reputaret, nihil ſe profecturum eſſe, ſi orationes illas exureret, quæ populo tam probabiles eſſent, atque omnium manibus tererẽtur; inſtitit facere, quod obliterationi proximũ erat, & plus auctoritatis videbatur habiturum; vt M. ipſe Tullius ſua ſe manu confoderet, dicta vellet indicta, mutaret facta, & incendendis orationibus, iniquitatem argumenti, atq. animi ſui profiteretur improbitatem. In quo genere damnationis à reo ſua voluntate ſuſceptæ, tãtam vim ſitam eſſe putauit ille doctiſſimorum, integerrimorumq; conuentus Patrum: ad quem de amatoria Heliodori Epiſcopi Tricenſis hiſtoria delatum eſt, vt authori denunciandum cenſuerint omnes, aut abeundum ſibi Sacerdotio eſſe, aut ignibus abſumendum publicè libellum, qui iam erat in omnium ore, vulgòq. legebatur ab vniuerſis. Quid obſecro neceſſe fuit in hanc eum deliberationem adducere? Non ne poterant ipſi, qui ſic decreuerant, codicem illum in concione cremare? poterant quidem, ſed videbãt quantum præterea illi iudicio grauitatis accederet, ſi ſeipſum, inſpectante multitudine, ſua voluntate damnaret Heliodorus.

Tertium criminationis reliquum eſt caput: cuius mihi difficilior erit extrema confutatio. Poſitum enim eſt in eo, quòd Cicero eſſet natura meticuloſior, atque animo plus nimio fractus, adeoq. fuiſſet accepturus quantũuis acerbas, & graues vitæ cõditiones, quas dabat An-

tonius. Quod de hac inſita M. Tullio trepidatione, animique iactant ægritudine hauſta cum lacte nutricis, aucta cum toga, & vita, credo equidem iſtos propterea cõfirmare, quòd etiam ipſe non ſecus, ac ille bonus orator, expalleſceret initio dicendi, & contremiſceret; quòd in exilio ſuo, in coniugis, & filiæ morbo, in ſolitudine domus ingemuerit aliquantulum, & commotus animo ſit. Quæ ſi turpia ſunt, erit etiam turpe viro forti pertimeſcere mortẽ cum ignominia coniunctam, erit exprobandum Æneæ, quem ad libellam veræ fortitudinis exigit, & caſtigat Poëta ſapientiſſimus, quòd ſolutis frigore membris mortem in medio mari timeret, & quereretur ignobilem. Et tamen niſi Stoicos audire velimus, ſed certiſſimum ſapientiæ magiſtrum Ariſtotelem ſequi, dandum eſt fortibus, & magnis viris, vt doleant interdum aliquid, quod honori aduerſetur, & gloriæ; ſummis concedendum eſt Imperatoribus, vt ignominiam, & dedecus reformident. Sed fac Stoicum eſſe M. Tullium, & omnia ex eorum diſciplina moderari debere: contendam, & demonſtrabo, ne Stoicos quidẽ ipſos timorem funditus extirpatum voluiſſe. Nam ab apathia illa, qua tantopere gloriantur, non timorem omnem omninò diſpungi docuit nobilis olim Philoſophus Stoicus in media maris tempeſtate deprehenſus cum Gellio. Cum enim expalluiſſet, & paueſactus, haud minus, aut plus etiam fuiſſet, quàm cæteri, in-

ri, interrogatus ab Aſiatico iuuene opulento, qui vnà, vehebatur, cur ita timuiſſet, cum ipſe, qui nullam attigiſſet vnquam philoſophiæ partem, in eo periculo fuiſſet intrepidus: tibi ſane, Stoicus inquit, Ariſtippus ille pro me reſponderit, qui in ſimili plane tempore à tui ſimillimo requiſitus, cur philoſophus timeret, cum ipſe nihil interea metueret, non eandem ſibi, atque illi timendi cauſam eſſe reſpondit; quoniam is quidem non eſſet magnopere ſollicitus pro anima nequiſſimi nebulonis, ipſum autem pro Ariſtippi anima timere magnopere. Dicto tam graui, ac ſubito amolitus eſt quidem à ſe iocabundus Aſiaticum illum diuitem, & delicijs diffluentem: ſed rogatus poſtmodum à prudentibus, & doctis viris, qui tum aderant, de cauſa illa timoris ſui, Epicteti caſtiſſimi Stoici doctrina ſerio ſe, conſtanterque defendit, qui Sapientibus ſuis veniam dat, vt vultum adducere poſſint interdum ad triſtitiam, ad ſubita quædam etiam inhorreſcere, caligare denique, ac cæcutire ſi vaſtam aliquam altitudinem è ſuperiore loco repente deſpexerint. Negat tamen, eam commotionem timorem eſſe, ſed timoris præludium, vel citra voluntatem accidentis ad animum, vel cum voluntate non contumaci. Quanquam quid ego hæc ex abditis Stoicæ diſciplinæ latibulis eruo, cum ipſæ res inſignitè, ac fortiter geſtæ tueri M. Tullium poſſint, atque ab omni prorſus exanimationis infamia liberare?

Non ne quicunque leuiter eius monumenta cõtingimus, paſſim, & vbique quotidie legimus, tam ſæpe Catilinæ ſe gladijs obieciſſe, & cum lata illa lorica deſcendiſſe in Campũ ad Comitia; vbi diſpoſitos cum telis Catilinarios, vbi vim ſibi paratam, & necem eſſe intelligebat? Quid cum domo ſua egredi auſus eſt, ſicarijs vndiq; circũfuſis, & Senatum nihilo minus in Iouis Statoris Ædem mira ſecuritate conuocare? An non inquam hæc præſentem, & timore vacuum in periculis animum ſatis oſtendunt? Non ne Marcum Tullium ſatis, ſuperque omni trepidationis calumnia vindicant? Et tamen alia ſunt in hoc genere lõgè maiora, quæ perſequi dicẽdo poſſimus. Neq; enim illud ignoramus, quod in ore omnium eſt; eduxiſſe quoque copias in aciem, & honeſtiſſimum Imperatoris nomen fuiſſe authoritate Senatus, atque acclamatione militum ſecunda conſecutnm. Miſſus quippe in Ciliciam eſt Procõſul cum peditum duodecim millibus, equitum duobus, & ſexcentis. Cuius temporis, (ne ceſſatorem eum fuiſſe ſuſpicemini) operæ pretiũ eſt itinera militaria, laboreſq; cognoſcere. Nam cum Iconij caſtra primò poſuiſſet, teneri eo loco nulla vi, aut ratione potuit, vbi à Legatis Antiochi Regis accepit, ingentem Parthorum exercitum cœpiſſe iam Euphratem cũ impedimẽtis tranſmittere. Moto igitur agmine, cũ ad Taurum perueniſſet, cõſiſtere militem iuſſit, ibiq. Regem Ariobarzanem periculoſiſſimis

cir-

circumuentum inſidijs armorum præſidio ſic texit, atque ab interitu vindicauit, quemadmodū poſtea Deiotarum Romæ capitali poſtulatum iudicio liberauit eloquentia. Age vero.per Tauri pilas, qui locus anguſtiſſimus eſt, iter faciens, Tarſum aliquādo tenuit; inde in montem Amanum aſcendit plenum hoſtium, vt loquitur ipſe, ſempiternorum. Quorum cum magnum cæcidiſſet numerum, caſtella cepiſſet, incendiſſetq; municiſſima, more maiorum Imperator eſt appellatus. His ita bene geſtis, & honore cumulatus glorioſiſsimo, occupauit in radicibus Amani caſtra, ea ipſa, quæ aduerſus Dariū apud Iſſū, præclaram vrbem, habuerat olim Alexāder. quo ex loco Pindeniſſum oppidum longe fimisſimū adortus, cum diù, multumque omnibus oppugnaſſet machinis, ſeptimo, & quinquageſimo poſt die aliquando tandem expugnauit. Quid hìc ad Imperatoris optimi non dicam explendas partes, ſed abſoluendam felicitatem deeſt, niſi triumphus? Ne hunc quidem, quem ei malignior fortuna quædam abſtulit, non eripuit ignauia, magnopere deſiderauit.

Nam, & abſenti ſupplicationes ei ſumma cū populi voluntate decretæ ſunt: & in vrbem redeunti ſic eſt ab omnibus obuiam itum, vt honoratior hæc reuerſio videretur eſſe, quàm omnes cæterorum ouationes, & triumphi maiorū. Huc accedit grauiſſima ſummorum hominum de militari Ciceronis virtute teſtificatio: quæ

demonſtret, animo eum fuiſſe fortisſimo, atque omnia deſpicientem pericula mortis Imperatorem. Infeliciſſimus enim ille mihi venit in mentem belli ciuilis exitus, cum victo Pompeio, exercituq. internecione deleto, Imperium in tam difficili temporum articulo ad nouas cõtrahendas, immittendaſq; in Cęſarem copias M. Tullio deferendum putarunt Sextus Põpeius, & Cato. Nec alium ſine dubio tam periculoſi conſilij feciſſent moderatorem, ac Ducem, niſi demandatam ſibi procurationem iniquiſſimi belli Cicero etiam propoſita mortis pœna, recuſaſſet. Intelligebat quippe vir prudentiſſimus, fieri non poſſe, vt qui validi iam, integrique nõ fuiſſent prælio pares, eſsent fracti, debellatique ſuperiores. Hunc verò timidum iſti dicunt, & vitæ plus nimio metuentem ſuæ; qui toties patriæ ceruicibus impendentes Catilinæ gladios, volens, ac prudens in ſe prouocauit: qui militum præſidio circũſeptus Regibus ipſis Imperium, ac vitam dedit; qui iuſtos in bellicoſiſſimas exterorũ nationes duxit exercitus; qui Populi Romani ſempiternos hoſtes afflixit prælio, aggeres, & caſtra diſturbauit; Imperator, vt ſemel dicam, non modo appellatus à Senatu, ſed tum denique poſtulatus etiam eſt, cum acciſis, & comploratis rebus, eſſent aduerſus Cæſarem arma, & bella ciuilia retractanda.

Sed tulerit aduerſos vitæ caſus omnes acerbiſſima cum ægrimonia Cicero, fuerit minime

bonus

bonus Imperator: quæ de corpore Catilinario-
rum telis oppoſito, quæ de bello cum hoſtibus
inito, & profligato cõmemorauimus, nulla ſint,
& tegenda ſilentio; nihil tamen agunt, niſi de-
monſtrent vnum, quod ſine palmari mendacio
confirmari non poteſt: illum animi timorem, qui
eum ad turpes illas vitæ conditiones adigere
debuiſſet, in ipſa ferenda morte cognitum eſſe.
Quod enim aliquis ait, nihil eum tuliſſe, vt viro
dignum erat, præter mortem, id mihi videtur eſ-
ſe pluſquam ſatis ad coniecturam de Ciceronis
animo faciendam, ſi tãto cum vitæ dedecore vi-
ta ei promitteretur ab Antonio. Sed neminem in
eius deſcribenda, & commemoranda cæde men
titum eſſe video, niſi Pollionem Aſinium in hi-
ſtorijs: quem, quia mendoſum iſti volunt, habe-
bimus hoc loco mendaciſſimum, quando vnus
ipſe auſus ex omnibus eſt tam inimicè tradere
litteris, Marcum Tullium: qui cæteras vitæ par-
tes non male tractaſſet, fuiſſe in morte ſuſcipi-
enda leuiſſimum: adeoque hominem haud mi-
ſerandi exitus exiſtimari debuiſſe, niſi tam mi-
ſeram ipſe mortem exiſtimaſſet. Miſeram vero?
Declamarem in hominis impudentiam pluribus,
niſi eſſent in manibus pleniſſima grauium teſti-
monia ſcriptorum, quæ me tacẽte reclamarent,
Confirmat enim, vt hinc ordiar, candido vir in-
genio Liuius, habere ſe compertisſimum, ſeruos
fideliter ad dimicandum fuiſſe paratos; ſed iuſſos
à Cicerone lecticam deponere, quietoſq. pati
quod

quod ea temporum extrema vellet iniquitas, à ſuſcepta propugnatione deſtitiſſe.quin egregiã illam cum protuliſſet vocem:moriar in patria ſæpe ſeruata: ſtante vultu, immotam è lectica ceruicem gladio præbuiſſe. Nullum habeat oratio mea limitem,aut modum,ſi huius cauſæ patroni recenſendi ſint ſinguli. Conſule Cremutiũ illum Cordum,qui ſcripſit Annales; leges nimirum apud hunc,Ciceronem deliberaſſe quidem principio, vtrum Brutum, an Caſſium peteret, an ad ipſum potius ſe reciperet Sextum Pompeium;ſed omnia demum effugia ei diſplicuiſſe, præter mortem. Conſule Baſſum Aufidium: qui verba etiam poſtrema Ciceronis magnifica, ita ſcriptis inſeruit, atque interpoſuit ſuis. Cum paululum remoto lecticæ velo, in ſe vidiſſet armatos: ego verò conſiſto inquit; accede veterane, & ſi potes hoc recte facere,incide ceruicem. Adi Brutidium Nigrum, qui Ciceronis ipſum habitum in oppetenda morte deſcribit expreſſius. Tradit enim, depoſita lectica, intrepidum, interritumq; ſicarios quidem omnes excepiſſe: ſed cum adeſſe quoque inter eos accepiſſet Tribunum, Popilium nomine, quem ipſe nuperrime in capitis iudicio defenderat,lætiore illum aſpexiſſe vultu,atque ad ſuam ipſius cædẽ etiam inuitaſſe. Et dubitabimus, vtrum hic mori maluerit,quàm Antonij tam iniquo beneficio viuere? Dubitabimus, an vere dicatur Antonius hanc illi feciſſe viuẽdi poteſtatem acerbiſſimã,

cum

cum oculis propemodum ipſis id ita factũ eſſe videamus? Equidem non ſatis modo, ſed plus etiam, quàm ſatis ſit, id veriſſimè dici demonſtratum puto, cum & mentiendi cauſam habuerit nullam is, qui literis hæc conſignauit, & Antonius haud aliam expeditiorem ad earum obliterandam famam, infirmandamq; orationum auctoritatem habuerit viam, & Marcus Tullius, tum in alijs vitæ partibus, timoris, & formidinis expers fuerit, tum in ipſa etiam obeunda morte conſtantiſſimus.

Quid ergo ſupereſt aliud, niſi vt videamus, an honeſtè potuerit, orationibus exuſtis, eas probare conditiones, ſeque futuris reſeruare temporibus? Et profectò, quia nemo eſt ita Ciceronis parum amans, hominis boni, & diſerti, qui, ſi laudabiliter eripi periculo poſſit, nolit eũ morti ſubducere, atque ab Antonio liberare, videbitur haud paucis, opinor, id cum dignitate fieri à M. Tullio potuiſſe; cum præſertim ſupplicare victori non turpe ſit, & Cæſari maluerit ipſe reconciliari, quàm cum Catone ſuis manibus interire. Nam cur obſecro minus honeſtum ſit ab Antonio vitam certis ſponſionibus accipere, quàm à Cæſare precariò flagitare? An quia Philippicas illas ſempiterna ſuæ monumenta gloriæ à ſe ipſo turpe putat extingui? At illud etiam à ſapientiſſimis viris doceri videmus, vitam eſſe bonis externis omnibus, ipſi quoque anteponendam gloriæ. Dicuntur hæc ex animo

qui-

quidem in Ciceronem amantiſſimo, ſed tempori parum accommodatè. omnem ei à ſumma, qua præditus ipſe eſt, apud ſuos auctoritate, & à flagitijs Antonij, quæ notiſſima ſunt, ac Reip. pernicioſiſſima, video ad viuendum eſſe aditum interclusum. Cum enim Cicero, & Senator eſſet, & Conſularis, grauiſſimamque perſonam in ea ſuſtineret ciuitate, quam Antonius, & hoſtiliter inuaderet, & Tyrannico eſset euerſurus imperio, quid fuiſſet aliud Philippicas abolere, quã Antonium hoſtem patriæ illis ipſis orationibus paulo ante iudicatum, eidem patriæ ſicarium, dare, atq. iniquiſſimum Reip. dominatorem imponere? Quis igitur eam anteferre gloriæ poſſit aut debeat vitam, quę tam longe ab officio Societatis humanæ diſcedat? aut qua vita potior, amplior q; illa gloria non ſit, qua ciuium ſalus, & patriæ ſpes in extremum diſcrimen adductæ cõtineantur? Illa vero victoria Cæſaris nimium quantum, neſcio quid immenſum ab Antonij Triumuiratu, infeliciſſimoq; Reip. tempore diſtat, quo tam variè diſtrahebatur Imperium. Neque enim vllo pretio, conditionibuſue vitam, Cæſar pollicebatur victis: & tam bonum in ipſa victoria præſeferebat animum, vt ad eius clementiam velut ad nouæ ſignum libertatis Senatores confugerent vniuerſi. Quare tam moderato victori, & nihil turpe poſtulãti non ſupplicare ſic Ciceroni ſuperbũ fuiſſet, quemadmodum ab Antonio vitam accipere, turpisſimum. Quin,

ſi rem

ſi rem velimus ad calculos adducere diligentius, & ſtrictim curſimq; illius tẽporis annales repetere memoria, Cæſarem ipſum dicemus ſupplicaſſe Ciceroni verius, quàm Cæſari Ciceronẽ.

Profligato enim atque ad exitum perducto Pharſalico bello, venit in Italiam Tullius, & Brunduſij reſtitit; vbi literas officij plenas, & humanitatis ex Ægypto accepit à Cæſare quibus idem eſſe iubebatur, qui ſemper fuiſſet. Appulit haud multo poſt tempore item in Italiam Cæſar, ſtatimq; deſcendit è nauibus, reliquum iter vſque Brunduſium ciſio, vel equo facturus. Quod cum Cicero intellexiſſet, obuiam illico prodijt, acturus victori clementiſſimo gratias, ſuique rationem conſilij redditurus. Sed illi neceſſe nõ fuit dicere quicquam, aut facere, quod exiſtimationi, & dignitati minus conſentaneum eſſe videretur. Vbi enim è longinquo ante alios eum ſibi occurrentem obuiam aſpexit Cęſar, ex equo deſiluit, hominem humaniſſimè ſalutauit, totumque viæ, quod ſupererat ſpatium, familiariſſimè colloquens cũ Cicerone confecit. Hanc nimirum vitam aſpernari, & reſpuere non poteſt Cicero, niſi vel furere nouis armis cum Sexto Pompeio velit, vel inſanire cum Catone: quam verò promittit Antonius, etiam occupato ferro, atq; anticipata morte repudiaret, niſi in eo quoque genere ſic errare Catonem, & Stoicos omnes intelligeret, quemadmodum grauiſsime ſomniant, cum omnia peccata volunt æqualia.

Quæ

Quæ ratio illorum quoque calumniam euertit, qui propterea formidoloſiorem eum faciunt, & mortem muliebriter extimeſcentem, quòd ſe cum Catone Stoico non interfecerit. Cui enim ſomnia, & deliramenta non ſint illæ Stoicorum voces, inſaniæ, deſperationiſq. pleniſſimæ? licere vnicuique pro arbitratu è vita diſcedere, ſicut è ludo, vel è conuiuio fas eſt abire, cum ſaturi ſumus, aut amplius ludere non libet: haud multum intereſſe, vtrum ad nos veniat mors, ãn contra, mortem ipſi conueniamus: Sapienti nihil obſtare carcerem, clauſtra, cuſtodiam, qui liberum habeat oſtium ad exeundum. Quin eorũ aliquem, & quidem illius Antiſtitem diſciplinæ ita furentem, ſtultiſſimèq; concionantẽ inuenio. Quocumque reſpexeris, ibi malorum eſt finis. Vides illum præcipitem locum? Illàc ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flumẽ, illum puteum? libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem breuem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuũ, cor tuum? effugia ſeruitutis ſunt. Nimis, inquies, operoſos exitus monſtras, & multum animi, ac roboris exigẽtes. Quęris igitur quod ſit ad libertatem facillimum iter? quælibet in corpore tuo vena. O intemperias, ò ſemiferos Centauros, ò leones immanes. Alia M. Tullio mens, & ratio eſt. nihil eum cõmouet illa verborum magnificentia, & Stoicæ orationis põpa, quæ telum Catoni porrexit. Cenſet enim cũ

Plato-

Platone retinendum eſſe animum in cuſtodia corporis, nec eius iniuſſu, à quo datus eſt, emigrandum è vita. Exiſtimat cũ Ariſtotele, ob inopiam, aut ob alia, quæ accidũnt in hominũ vita permoleſtè, velle mori, non eſſe viri fortis, ſed timidi, aduerſæq. fortunæ prorſus impatientis. Intelligit etiam ipſe, quæ pronũciãtur ab homine ſapiente: fortium virorum eſſe, magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam. intelligit, tædio laboris interdum ad mortem, velut ad vtilitatem ſui, cõpelli etiã ignauos. Scit, Imperatores quoq. magnos vltimum rerum omniũ velle mortẽ atq. ad eam pigre nõ ire, ſatis eſſe virtuti. Quas abſolutæ fortitudinis partes, & numeros, Antonij repudiatis conditionibus, cũ expleuerit ad vnũ omnes M. Tullius, poſtulat ſuo ſane iure monumẽtũ è publico; à nobis, qui vtcumq. verſamur in hac dicẽdi palæſtra, præconiũ, debitũ verè fortibus, & magnanimis viris. Et haberet à me profectò non ſuæ quidem virtuti, ſed noſtræ parẽ volũtati laudationẽ; niſi lõgius prouecta, finẽ itineris vellet, & cõuicio iam efflagitaret oratio mea. Recipiã ergo me tẽpeſtiuè: ne ſi diutius aberrem, iſtam, optimi Viri, quæ me hucuſque produxit, deſideraturus ſim aurã humanitatis veſtræ. Et quoniã Ciceronis cauſa, quantum intelligo, probata eſt omnibus, ſatis habeo Auditores meos ad has orationes ex animo cõplectendas inflãmare, hortariq. vt tãti eſſe putẽt hæc monumẽta, quãti æſtimamus ea, quæ vel ex

incen-

incendio, vel è naufragio rerum cariſſimarum aliquando colligimus. Non enim minus illi Dij Penates, ac Palladium è Troianis ignibus erepta ſunt, quàm hæ conciones è manibus, & è flammis Antonij. Non minus è rogo, quem ille ſuccenderat, hæc ſcripta pulcherrima Ciceronis euaſere, quàm è ſtolida Gothorum ferocitate, ac facibus veterum Romanorũ ædificia illa magnificentiſſima, quorum aliqua membra, per Vrbem vbique diſſipata contuemur. Admiramur videlicet hæc rudera, exoſculamur lapides exeſos iam atq. corroſos: ægre patimur, ac dolemus, incruſtationes illas antiquorum, & marmora reuelli, nouis operibus inſeruitura. Quid eſt, cur his parietinis tantopere commoueamur, nec lætemur potius è vetuſtis monumentis, attritis iam, ac prope nullis fieri noua quædam, & pulchriora; niſi quia reliquias illas è Barbarorũ inſano furore, atque ex hoſtium immanium erutas incendio plus diligimus, quàm quæ ſarta ſemper, & tecta ſeruata sũt? Agite igitur etiã vos: hæc poſtrema Ciceronis manu per diligẽter elaborata volumina, non quidem vt cætera, ſuſcipite, ſed in ſinum condite Adoleſcentes, ac veneramini: cum ea ſint, quibus afferre vitium illa non potuit Antonij flãma, quæ tam multa Senatorũ capita corripuit, ampliſſima ciuium patrimonia deleuit, Rempublicam extinxit, Imperium, & Romanam illam libertatem toties vindicatam in lõginquis terris à Barbaris, intra domeſticos parietes occupauit.

Digitized by Google

DE STVDIIS HVMANITATIS

In Humanitatis Claſſe.

ORATIO X.

ANNO ſuperiore, hoc eodẽ honorariæ concionis concurſu, eadẽ plane nõ ſolum die, verũ etiam luce beneuolentiæ veſtræ, Auditores ornatiſſimi, teneo memoria quanta cũ omniũ approbatione Oratio illa mea excepta fuerit, qua ſtudijs Humanitatis nimium liberè nõnullorum opinione vagantibus, certos quaſi cancellos iuſta finiũ terminatione deſcripſi. Et ſane operæ pretium mihi feciſſe viderer, ſi locũ in ea quæſtione difficilem explanaſſem verius, quàm exigua itineris declinatione præteriſſem. Cum enim artes, ac diſciplinas, quibus illa ſtudia continerentur, inueſtigarem, eosq́; cõſtituerem, qui verè dici deberent Humani, quive ab Humanorum numero diſpungendi eſſent; ne longius abduceretur oratio, quoſdã de induſtria prætermiſi, qui ſola doctrinæ, atq; antiquitatis perceptione contenti, linguę Latinæ cultum, aut in minimis habent, aut

omnino deſpiciunt;& tamen Humani, humanarumq́;litterarum haberi volunt ſcientiſſimi. Putant quippe,nihil eſſe, quo minus intelligentes exiſtimari debeãt,ſi vel barbara quadam,& quaſi ſpuria,vel ea,qua vulgò, ac populariter vtimur, oratione,animi ſenſa patefaciant, modò cætera Humanitatis inſtrumenta ſint conſequuti. Quæ cum ita ſint,nihil vobis debere volo, culpamq́; meam, quantacunq; tandem illa ſit,noua eiuſdem argumenti tractatione præſtabo;vſurus, vt conſilium eſt, hoc conuentu ad mei caſtigationem errati, non ad animi veſtri ſatietatem abuſurus. Contendam nimirum breuitate quanta potero maxima, iſtos Latinitatis contemptores in Humanitatis appellationem,tanquam in gentis honeſtæ nomen, ex inſidijs irrepere: & eorumdem præſidia, quibus innituntur, atque ad alienam graſſantur gloriam, tum in toto ſermonis decurſu,tum in ipſa etiam peroratione labefactabo. Video igitur eorum ſententias eſſe omnino duas:vnam, quæ Latini ſermonis integritatem verborum genere ſordido, atque inquinato contaminat, quaſi nihil ad huius doctrinæ abſolutionem interſit emẽdata ne,an impolita Latinæ forma locutionis vtaris: alteram, quæ non ſolum caſtigatum linguæ Latinæ cultum,verum etiam omnem Latinitatis negligit curam: perinde ac ſi in ijs partibus, quibus hæc diſciplina omnis cõſtare videtur, nec ſtylus orationis opifex, nec Latina ipſa, qualis qualis oratio nume-

rari

rari deberet. Sed rationes attendite, quibus illi permoti, principem Humanitati partem adimere volunt. Qui Latini ſermonis, ſi minus puri, atque incorrupti, ſermonis certe Latini rationem ſequuntur aliquam, eo ſe conſilio ſtylum elaboratum, ac terſum negligere dicunt, quòd eruditionis ſumma in rerum copia, nō in verborum inanitate poſita ſit. Quid enim attinet, inquiunt, verba certa, otioſa perueſtigatione conquirere, periodos ad vnguem explorare, conuertere, circumducere, in antithetis orationē librare, ſi dum in his inſudatur, antiquitatis, doctrinæ, liberalium artium ſtudia relinquuntur? Nam, vt nonnulli id ſe facere poſſe confidant, vt & verba curioſius aucupentur, & ornamenta doctrinæ non amittant, illud certè concedere debent, res multo plurimas, multoque copioſiſſimas eſſe paraturos, ſi verborū cura prętermiſſa, toto animo rebus amplificandis inſiſterent. In his enim ſimile fieri videtur, vt ſi profluētem in multas, variasq; deriuationes, hac illac partiēdo diduceres. tantundem quippe de fluuio detraheres quātum in aquarum ductus, & riuulos corriuares. Hæc verò quę dementia eſt? ſumma negligere, humillima cōſectari, minima maximis anteponere, minimis maxima poſthabere: poſtrema pro sūmis, ſumma pro poſtremis æſtimare; atq; vt ſemel dicam, verba, & voculas in Humanitate diligētius exquirere, Humanitatis illam ſuppellectilē, atq; apparatum, qui rerū cognitione tenetur, vel curare negligētius,

vel omnino prætermittere. Præclarum Imperij Romani Principē fuiſſe accepimus, qui ſic intelligeret, ſe publicæ felicitatis eſſe cuſtodem, vt quotidie ſtatum ſibi tempus, certasq; ſeponeret horas; nec quicquā amplius agere ſoleret, quàm muſcas captare, & ſtylo præacuto callidè, artificioſèq; cōfigere. Quod ſi magnis, inquiunt, exigua comparāda ſint, huic ſimiles homini eſſe videntur, qui verborum indagatione præpoſtera ſēper impediti, intelligētiæ vim ad ſumma contendentem, inuitam rebus planè leuiſſimis detinent. Demoſthenes quidem certe, cui primæ ſine controuerſia deferuntur, exagitatus ab Aeſchine, quòd verbis non ita puris, atque elegantibus vſus eſſet, negauit in verborum, ac vocum delectu Græciæ fortunas eſſe conſtitutas. quaſi diſertiſſimus ille ſermonis artifex ſignificare vellet, nihil in verborum conquiſitione poſitum eſſe momenti, ſed omnia in doctrina, atque in ſententiarum grauitate collocari debere. Quid vero de Ariſtotele Philoſophorū maximo dicatur? Qui cum eloquentiæ traderet leges, ita nimiam in dicendo curam aſpernari viſus eſt, vt eos tanquam indoctos reprehenderet, qui in illarum præceptionum deſcriptione, non artis vim, non neruos, & firmamenta ſibi proponunt, ſed verborum lacinias, & ea, quæ σχήματα vocantur, hoc eſt artis ipſas acceſſiones, atque appendiculas perſequuntur. Quod ſi vocum phaleræ ita parui penduntur ab ijs, qui elegan-

tisſime,

tisſimè,ornatisſimèque loquendi artem de induſtria profitentur, quanto ſane minoris ab humanis, atque intelligentibus illis hominibus æſtimandæ ſunt, qui ſi aliquam in eo genere curam collocant, propterea collocant, quòd Humanitas ex illa dicendi facultate, tanquam ex congruenti,non ex principe, ac præcipua parte cōſtituatur? Hæc dicunt ij, qui latinitatem impuram, ac non ferendam, alienam ab Humanitate non putant. Et ſane iſtorum vocibus haud ita mouerer, niſi paulo ſuperiore memoria nonnulli fuiſſent,qui etiam ſi pingue quiddam,ac peregrinum oratione ſonarent, ſic tamen à multitudine probabantur,vt vulgò dicerentur,& haberentur humaniſſimi.Erant hi perſpicacitate quadam intelligentiæ præditi non vulgari,memoria prope diuina, dicendi celeritate non expedita modò,ſed etiam volubili,atque præcipiti.Quare vſi naturæ bonitate,cum rerum omnium amplam ſupellectilem ſibi paraſſent, quacumque de re propoſita copioſiſſimè poterant, & quidem ex tempore diſputare. Orationis tamen genus illud erat, quod impatienter exciperent intelligentes, quod minus eruditi non admirarentur,quod viri doctiores exſibilarēt. Sed quid ego commemoro ſuperioris homines ætatis, cū hac etiam tempeſtate ſint, qui, vt poſſint omniū authores artium, ac magiſtros interpretari, Romanam, & Græcam hiſtoriam, Poëtarum fabulas,ritus ipſos,atque antiqua Rerumpub.inſtitu-

ta retexere, locos in omni litteratura difficiles, atque obſcuros illuſtrare; ſtylo tamen vtuntur inculto, atque oratione temerè fuſa, non accurata, non ſtudioſè polita? Hos igitur habent qui ab vſu Latinæ linguæ corrupto Humanitatem abhorrere non putant ſubſcriptores, teſteſque locupletiſſimos ſententiæ ſuæ. Quibus cum digladiari nolo, niſi alios ante in arenam adducam, quos mihi video negotium faceſſere multò difficillimum. Dicunt enim, Latinæ linguæ ſtudium eſſe plane deponendum, nec periculũ ſubeſſe, ne ab Humanitatis appellatione pulcherrima decidamus; cum non ij tantum qui Latinè ſciunt, verum etiam omnes eruditi apud omnes omninò populos, ac nationes haud minus Humani dicẽdi ſint, quàm Græcus Archias; quem videmus ab eloquentię principe Humanitatis ornatiſſimum ſtudijs appellatum. Quin argumenta rationesq; proponunt, vt ipſis quidẽ videtur, haud infirmas, ad omnem, non dicam infirmandam, ſed prorſus extinguẽdam latinitatem. Quas equidem vobis ob oculos ponã, vt pleniſſimè videatis, nullũ aduerſus Humanitatẽ noſtrã habere robur, ac vim.

Principio igitur omnium ſæculorum memoria, cunctarumque gẽtium auctoritate pugnant: quæ ſemper eadem lingua in docendo, dicendoque ſunt vſæ, qua in familiari, quotidianoq; ſermone prorſus vterentur. Quid enim eſt cauſæ, cur eadem planè gens veluti bilinguis ſit, & duplicem habeat orationem, vnam in familiari

col-

colloquio, alteram in illis adoleſcentium cœtibus, quò bonarum artium ſtudio cõuenitur? Philoſophiam certè, liberaleſque diſciplinas à multis fuiſſe inuentas, à multis amplificatas, illuſtratas ab alijs, ab alijs deniq; reſtitutas accepimus. Perſis Magos, Babylonijs, atque Aſſyrijs Chaldæos, Indis Gymnoſophiſtas, Celtis, aut Gallis Druidas eius auctores fuiſſe ſapientiæ ab Ariſtotele traditur, quæ in Græciam profecta poſtmodum eſt: atque hinc ad alios Barbaros aliquando tandem in Arabiæ ſinum conuolauit. Sed neque Perſæ, neque Babylonij, neque Aſſyrij, neque Indi, neque Celtæ, neque Græci, neque Arabes de philoſophiæ, omniſque doctrinæ præceptis alio, quàm communi, vulgarique ſermone diſputarunt. Quæ malum igitur iſta ratio ita ſæculum hoc occæcauit, vt acutius in rebus noſtris videre nos exiſtimemus, quàm omnium populorum, omnium gentium, omnium ſæculorum ætates viderunt in ſuis? Cur denique placeat tam ineptum, inconſultumque conſilium, vt qui in quotidiano ſermone patriæ noſtræ, atque Italiæ haberi velimus incolæ, in ſcribendo, dicendo, ac diſputando peregrini eſſe cupiamus? Quod ſi omnis diſciplina, omniſque doctrinæ conformatio ita recondita eſſet in peregrinorum monumentis, vt illorum obliterata lingua, non ſuppeteret vnde ſapientiæ lucem, omniſq; antiquitatis cognitionem haurire poſſemus, eſſet profecto, cur ea omni plane ſtudio expeti, & comparari

deberet: ſed cum nulli pene libri,nulla antiquorum monumenta popularia facta non ſint, nulla ſane cauſa ſupereſſe poteſt, cur inani alienæ linguæ ſtudio breuiſſima hominum ætas obterenda videatur. Alteram iſti ſuæ ſententiæ cauſam à fine ducunt, quem qui latinè hoc tempore, ſibi ſcribendum, dicendum, docendumque putant, vſque adeo non aſſequuntur, vt, quia latinè id faciunt, ab illo quàm lõgiſſime diſtrahantur. Huc enim omnia illorum conſilia ſpectare videntur, vt vel à quamplurimis attentè, ac diligenter audiantur, vel cum admiratione, ſua illa monumenta omnium terantur manibus, & perlegãtur. Sed non vident, pauciſſimos eſſe, qui latinè ſciant, & linguam illam, ſi rectè ratio ſubducatur, anguſtiſſimis oppidò finibus hodie contineri. Quorſum igitur eum laborem ſine fructu, atque vtilitate ſuſcipiunt, cum ſibi ſe, non alijs, & ſcribere, & dicere latinè prorſus intelligant? Tertio loco quæſtionem omnem vnico verbo comprehendunt, contenduntque non ſolum latinè dici, aut doceri non oportere, ſed ne poſſe quidem ſine aſperitate, ac ieiunitate verborum: qua non laborant ij, qui patrio, ac noſtro præſertim Italorum ſermone ad vtrumque faciendum vtantur. Quis enim ita cæcus eſt, vt non videat, communem hanc noſtram loquendi rationem lenitate, ac ſuauitate cæteris antecellere, quæ prima, ac præcipua debet eſſe cuiuſque linguæ laus, & commẽdatio? Nam quæ obſecro vos, quarumve

gen-

gentium lingua ab eo ſono, quem horridum, atque immanem mutæ animantes emittunt, tam aliena videtur eſſe, quàm noſtra? Quàm concinna verborum ei compoſitio, ac terminatio eſt? Quàm nulla litterarum aſperitas, quàm concluſa commiſſuris, quàm apta coagmentationibus, quàm flexibili ambitu comprehenſa rotunditas? Quo factum fortaſſis eſt, cur, & Bembus vir tum liberalium artium, tum verò Latinæ linguæ ſtudioſus in primis, patrium hunc Italiæ ſermonem Latino anteponere videretur, & plerique in priuatis quibuſdam Italiæ conuentibus, quos vocant Academias, eodem Latino prætermiſſo, communem hunc, popularemque ſermonem, opificum more, curioſè, obſeruatèque ſemper interpolando quotidie liment. Quæ quanta cum laude, atque approbatione faciant, ſcripta illa ſubinde demonſtrant, quæ in vulgus emiſſa leguntur auidiſſime, peruolutantur ab omnibus, nunquam è manibus dimittuntur. Sed nullis terminabitur finibus oratio mea, ſi quæ iſti ad ſuæ faciendam ſententiæ fidem afferunt, percenſere velim omnia numerando. Quando igitur omnem aduerſariorum ingreſſum, proceſſumq; quantum ego potui, conſideraui diligenter, & vobis ob oculos poſui, ſuis nunc illos veſtigijs perſequar, & eorum rationes vel eodem, vel non ita vario relegam ordine: vt vos de ſingulis ſingillatim decidere, ac iudicare poſſitis.

Dicunt ergo ſuperiores illi, ſatis Humanitati eſſe,

eſſe, quamcumque latinitatem, quemcumque ſtylum orationis; harum rerum ſtudia non modò ſuperuacanea eſſe, ſed perniciosa: cum tempus, quo nihil homini debet eſſe carius, in verborum, non in rerum, ſententiarumque conſectatione, in quibus omnis eſt ſumma poſita, tranſigatur. Qui quidem mihi, vt quod res eſt liberè, fidenterque profitear, facere videntur quod ſæpe faciunt ij, qui pugnaciſſime diſputando, ac diſſerendo contendunt; ſed quia cauſæ conſtitutionem, ipſumq; ſtatum quæſtionis haud ita tenent, genera omnia perturbant, atque ab inſtituto longius abducuntur. Quid igitur iſti? reprehendunt in Humanitate verborum curam, rerum, ſententiarum, doctrinæque ſtudia laudant, perinde quaſi non de Humanitate, ſed de Philoſophia diſputatio fuiſſet inſtituta. quæ diſciplinæ quot locis, quot nominibus, quanta inter ſe varietate diſſentiunt? Philoſophia voces effundit, non fingit: intelligentiam, non verba conformat, frangit temere, non circumducit ambitioſè periodos. Humanitatis longè alia lex, & ratio eſt: nihil enim habet oratione melius, nihil ſanctius, nihil antiquius, nihil, quod ſuo illo ſtudio conſectetur ardentius. Quis enim Humanitatem apud nos dicit, qui eo nomine cum reliquis diſciplinis, ex quibus illa conflatur, non præcipue coniungat Latinæ linguæ ſtudium, atque antiquam Romanorum eloquentiam? Cuius igitur erit amentiæ, id in aliquo doctrinæ gene-

genere reprehendere, quod in eo primum, ac præcipuum ſit? cuius imperitiæ, diſciplinarum fines, ac terminos ita turbare, vt cum de vna præcipias, de alia longè diſſimili præcepta tradas? cuius iniquitatis, eam Humanitati partem eripere, in qua omne robur, omnem vim, rationem omnem videatur habere conſtitutam? Neque verò eſt, quòd dicere pergant, varias diſciplinarum, antiquitatis, hiſtoriarumque perceptiones partes Humanitatis eſſe principes, quarum ſanè iacturam fieri oporteat aliquam,dum orationis artificium, & comparatur, & retinetur attentius. Nam huic doctrinæ ſic artes omnes, & diſciplinas ſubiungendas cenſeo, quemadmodum oratoriæ putauit Antonius:ſic inquam,vt quoniam oratio non debet eſſe ieiuna, ſed aſperſa ſententijs, & rerum iucunda quadam varietate diſtincta,ſit Humani,atque intelligentis, multa auribus accipere, multa videre, multa legendo percurrere: non tamen illa poſſidere vt ſua, ſed libare, vt aliena. Antiquitatem verò,atque omnes hiſtorias cur non teneat is, qui non aliunde niſi ab hiſtoricis, antiquorumq; monumentis omnis orationis latinæ pulchritudinem petere debeat? Sed negligit Demoſthenes, negligit Ariſtoteles ornamenta verborum; affirmatque, alia eſſe ſolidiora præſidia, quæ ad dicendum parare debeamus. Quæ nam iſta eſt, non Dialecticorum concludendi, ſed ſophiſtarum fallendi

di

di ratio in tantorum hominum auctoritate conſtituta? Negat Ariſtoteles, negat Demoſthenes, in verborum ornatu ſitam eſſe omnem dicendi ſummam, ac vim: negant igitur, oratoriæ facultatis, atque Humanitatis eſſe verborum delectum, accuratamque vocum omnium compoſitionem. Quid ni etiam ego id vincere poſſum? negant phyſici, multas animantium partes eas eſſe, quibus omnium animantium ratio contineatur: ijs igitur à cæterarum complexione ſeiunctis, erunt animantia, cunctis omnino partibus abſoluta. Intelligitis profecto tantum hos ab Humanitatis vera notione diſcesſiſſe, quantum aberrarunt à Dialecticis. Ne pugnantia quidem loqui ſe vident, cum ita non diſputant modò, ſed maxima cõtentione diſceptant. Quid enim eſt, quod plus cum Humanitate pugnet, quàm barbaries, quàm peregrinitas? Scitum eſt quod veteres, ijque doctisſimi tradidere: tantam eſſe vim huius eruditionis, vt propter excellentiam quamdam, atque præſtantiam dicta ſit Humanitas, quaſi vna eſſet, quæ hominem expoliret, & cum qua cæteræ comparatæ diſciplinæ, agreſtes, barbaræ, minus hominis propriæ viderí poſſent.

Reſtat vna ratio, eaque poſtrema, & quantum iſtis videtur, acerrima. Aiunt enim, pleroſque non ita latinè loquutos, habitos tamen Humanos, auditoſque fuiſſe perlibenter. Sed à quibus? à multitudine dicent: neque enim habere præterea

terea poſſunt quid reſpondeant. Diſplicet igitur iſtis Hector ille Næuianus ſapientisſimus: qui non tam ſe laudari vniuersè lętabatur, quàm à laudato viro, ſpectatoq; laudari. Diſplicet Alexander: qui Achilli non tam laudis præconium, quàm graue clariſſimi Poëtæ teſtimonium inuidebat. Placet ille, qui leuiculus habitus eſt, quòd eo rumuſculo delectari ſe diceret aquam ferentis mulierculæ, vt mos erat in Grę cia, inſuſurrantiſque alteri: hic eſt ille. Quid enim in tanto oratore leuius quàm non modo vulgi, ſed obſcuriſſimæ feminæ laude commoueri? Habeāt igitur iſti ſuam illam acclamationem, ſed eam, quam omnes boni contemnunt, quam leuisſimus quiſque conſectatur, quam ſapientes nihili faciendam eſſe ſuo, vel teſtimonio, vel exemplo comprobarunt.

Reſpondebo nūc ijs, qui Latinæ linguæ vſum funditus tollendum eſſe arbitrantur, quibus expugnatis, non habebit hìc oratio mea quos oppugnet. Dicunt, nullas fuiſſe nationes ſapientiæ fama pernobiles, quæ duplici ſermone vterētur: ſed non animaduertunt, nullam ab alijs gentibus cognitam eſſe linguam, niſi ſuam, quam putarūt eſſe grauiſſimā, omniumque facile ſuauiſſimam. Quare, cum neque ſua, neque maiorum memoria ſcirent, alium fuiſſe ſermonem illuſtriorem, quo vulgò inter ſe loquerentur, nihil mirum eſt, ſi minus ad eam poſſeſſionem inflammarentur, quam neque cognoſcerent, neque iure ſuo repetere

petere poſſent, aut deberent. Nobiſcum verò longè aliter actum video: qui eam prouinciam, eaſque regiones obtinemus, vbi domina illa, atque omnium Regina oratio ortum habuit ſuum, & patrio egreſſa ſolo nimium quantum Romani nominis dignitatem amplificauit. Quis enim eſt, cui non ſit exploratiſſimum, quanto ſemper in honore, ac pretio fuerit ea lingua, qua populus omnium gentium dominus vteretur? Tyberium accepimus Græco ſermone promptum ſanè ac facilem ſupra cæteros ætatis ſuæ fuiſſe: ab eo tamen ita ſemper abſtinuiſſe publicè, vt in Senatu monopolium nominaturus, veniam poſtularet, quòd peregrinum Latino verbo ſubſtituendum eſſet. Quare cum in neſcio quò Patrum decreto ἔμβλημα recitaretur, vocem illam commutandam, ac Latinam pro ea requirendam eſſe exiſtimauit. Quid dicam de Claudio Cæſare? qui ſplendidum virum, Græciæque facilè principem, ſed Latini ſermonis ignarum non modò ex albo Iudicum eraſit, verum etiam in ordinem peregrinorum redegit? Quid de Mario fortiſſimo viro, atque acerrimo? qui dicitur, neq; Græcas vnquam litteras diſcere, neque vllis in ſtudijs præceptoribus vti Græcis voluiſſe: quaſi ridiculum eſſet, vt ille aiebat, ijs litteris comparandis operam perdere, quarum magiſtri ſeruitutem Populo Romano ſeruirent. Quod animi ſui cōſilium vt planius declararet, poſt alterum, quem duxit triumphum, cum in Theatrum

ve-

veniſſet, ſimul vt Græcam fabulam dandam eſſe cognouit, ante diſceſſiſſe fertur, quàm conſediſſet; affirmans, indigniſſimum eſſe, Romanum hominem, & eum triumphalem fabulæ operam dare, quae ſcripta ſuorum ſeruorum lingua diceretur. Inde natum haud dubiè puto, vt quoniam vnuſquiſque longa ſeruitute ad aſſentationem eruditur, voluerint etiam peregrini eorum linguam vſurpare, qui omnibus in regnis, in omnibus prouincijs toto terrarũ orbe ditionem haberent. Quæ igitur eſt amentia, malle ſermonem excolere omnium ærumnarum, ac dedecoris teſtem, quàm reuocare, ac reſtituere linguam antiquæ gloriæ priſtinæque indicem maieſtatis? Quæ inquam tanta iudicij prauitas eſt, atque peruerſitas, vt gratior ſit fœdiſſimæ ſeruitutis, quàm Imperij florentiſſimi recordatio? Quis enim dubitet, quin eam hoc tempore linguam vulgò retineamus, quàm Italia, omni in illam irruente, ac graſſante barbarie, collapſo tandem Imperio, vnà cum iugo ſeruitutis acceperit? quæ res eò videtur in noſtro Italorum nomine deteſtabilior, quòd Tranſalpinæ, atque exteræ nationes ardentiore, quàm nos Latinae linguæ perdiſcendae ſtudio teneantur. Sed multa, quoniam verbo premuntur, in hoc genere dabunt aduerſarij: vnum tamen pugnaciſſimè contendent; Humanos exiſtimari, & dici debere, qui liberalibus quidem diſciplinis, antiquitatis, hiſtoriarumque cognitione ſunt expo-

ſiti,

liti, ſed tamen hæc omnia Latina lingua non perceperũt. Agũt iſti mecum, vt leuiſſimè dicam, haud minus, quàm illi ſuperiores, imprudenter. Ita nempe contendunt, ac ſi ego generatim, vniuerſèque diſputationem de quadam complexione doctrinarum inſtituiſſem, quæ vbique, atque apud nationes vniuerſas latinitatis expertes, ſi latinè nominanda eſſet, dici deberet Humanitas, non de illa eruditione, quam omnes apud nos etiam vulgò vocant Humanitatem. Hæc autem litteris, & Latinis, & Græcis ita continetur, vt ijs detractis, ipſam quoque reſpuat appellationem Humanitatis, ac nomen. Quin ſi queri poſſet, vnà cum cæteris artibus quereretur de illorũ iniquiſſimo ſtudio, qui cum antiquorũ pene omnia monumenta in linguam popularem conuerterint, videntur, profanis, minimeque initiatis occultiſſima Cereris ſacra diuulgaſſe. At obijciunt eorum paucitatem, qui latinè ſciant, adeoque ne id quidem nos aſſequi dicunt, quod ſummopere contendimus, vt noſtra, & à pluribus, & maiori cum admiratione ſuſcipiantur. Quid ni? cur non à pluribus excipiantur ea, quæ ſermone multis populis, multiſque nationibus communi docentur, quàm quæ lingua vnius tantum prouinciæ, regioniſque ſpatijs terminata, parcè, malignèque traduntur? De admiratione verò quid dicam? An non illa omnium maxime ſuſpiciuntur, quæ pauciſſimi habent cognita, quæ minime trita, quæ rara

ſunt,

ſunt, non vulgo, populoque communia? Quid enim nos vehementer admiramur, quod rarum, ac ſingulare non ſit? Videant igitur iſti diligentius, vtrum clamores, atque admirationes facturus maiores ſit qui litteris communibus, ac vulgaribus, an qui latinis, atq; à communi conſuetudine remotis in omni doctrinæ genere, & ſcribendum, & dicendum, & docendum ſibi eſſe arbitretur. Denique poſuerunt extremo loco, leniorem eſſe Latino ſermone popularem: hoc eſt, vt libet interpretari, leuiorem. Vt enim delicata illa, molliſque verborum terminatio ſuauitatem habeat, habet etiam, nō meo tantum, quod nullum eſt, ſed grauiſſimorum hominum iudicio, leuitatem: tantumq; differre videtur lingua hæc noſtra cōmunis à Latina, quantum inter mulierculam pigmentis fucatam, & honeſtam intereſt matronam, non alienis depictam medicamētis, ſed iuſto colore perfuſam, ac præditam ſuo. vt intelligas leuiſſimos eſſe, qui neglecto ſermone graui, maieſtatisq; pleniſſimo, mollem hunc eligunt, & delicatum. Quanquam ego reperiri vix credo aliquem paulo erectiorem, qui tam humilem Latini ſermonis in animo notionem habeat informatam, vt eum populari poſſit, vel anteponere, vel æquare. Nam de ijs, qui in nobiliſſimis illis Italiæ verſantur Conuentibus, quos dicunt Academias, vnum habeo dicere: ita, Latinam eos linguam ſuſpicere, vt ſæpenumero eorum illas eſſe querimonias viderim;

noſtrum hunc popularem ſermonem,ſine Latini quodam vſu, exquiſitius, & curioſius expoliri non poſſe. Neq;verò eſt,cur Bembi,hominis grauiſſimi, doctiſſimiq; auctoritate latinitatem expungant: cum ille non modo eam non inſectetur,vt iſti faciunt,verum etiam hortatione, ſuiq; docuerit exemplo, quanti ſit æſtimanda. tam multa enim Latino ipſe ſermone ſcripta reliquit, vt neminem eſſe ſciamus, cui plus hæ litteræ debere videantur. Quanquam verò in ijs libris, quos ipſe proſas inſcripſit, ſuæ memoriæ homines hortatur, vt aliquam operæ, temporisq; partem ad huius Italicæ linguæ ſtudium conferant, contenditq; adoleſcentes non eſſe omnino ab huiuſce linguæ ſtudio deterrendos, non tamen id agit, vt negligatur latinitas: ſed vt cum ea etiam noſtræ linguæ peritia coniungatur. Quod equidem ita facile concedo, vt ſi meæ ſententiæ honeſtum haberem auctorem aliquem, Humanitatem ſine illa vtriusq; linguæ ſocietate haud planè abſolutam eſſe confirmarem. Sed video me inſtitutæ breuitatis oblitum, aura beneuolentiæ veſtræ abuſum intemperantius eſſe, longiusq; prouectum, quàm voluiſſem, Auditores. Faciam orationi modum ea lege, vt teneatis quod ego à primo inſtitui dicere: neq; humanos eſſe, qui Latinæ linguæ cultura neglecta, ſententias quantumuis aureas, ferreis verbis exponunt, neq; vllam partem Humanitatis attingere, qui patrio tantum Italiæ ſermone vel copioſiſſimam re-

rerum omnium ſupellectilem cõpararunt. Nunc verò quid reſtat amplius, niſi vt vos Adoleſcentes ornatiſſimi, atq; optimi ad litterarum Latinarum ſtudia vehementer inflammem, qui hoc anno Humanitatem haurire ab hac noſtra mediocritate decreuiſtis? Quem enim fructum ab hiſce ſtudijs aliquando capietis, ſi eam partem negligatis, ſine qua cæteris etiam comparatis omnibus, ita imperfectam, & prope caſſam Humanitatis doctrinam videtis eſſe, vt veram, germanamq. Humanitatem in ipſa Humanitate deſiderare debeatis? Quid autem vos, vel egiſſe, vel laboraſſe putabitis, aut in quo veſtras euigilaſſe cogitationes, & curas intelligetis, ſi poſt operam impenſius Humanitati datam, illud aſſequuti ſitis, vt barbari nihilominus habeamini? Agite igitur: expergiſcimini, atq; ad eam laudem vos excitate, quæ huius noſtræ facultatis propria eſt: nec ſinite, ſi viri eſtis, gloriam veſtram tam anguſtis regionibus circumſcribi, vt imperitorum laude contenti, excellentium virorum approbationem, quæ vna videtur eſſe ſolida, contemnatis. Etenim ita mecum habeo conſtitutum, planèq; perſuaſum, antiquitatis, cæterarumq; rerum doctrinã in hoc ordine ita tradẽdam eſſe, vt ne videatur à noſtro ipſorũ ſtudio negligi: Latini verò ſermonis elegantiam, & quaſi delicias ita perſequendas eſſe, vt nulli labores, nulla exercitatio, nulla in eo genere, vel cura, vel induſtria prætereatur.

DE CHRISTI LIBERATORIS OBITV.

In Sacello Pontificum Vaticano.

AD PAVLVM V.

ORATIO XI.

VICTIMA illa verè triumphalis, ac maxima, Beatiſſime Pater, cuius ſanguinem humani generis piacula longo iam tempore flagitarant, hodierna die tandem aliquando reperta, vincitur arctiſſime, indigniſſime rapitur, non tam ſiſtitur ad aram, quàm in carnificinam compellitur, atque acerbiſſime dilaniatur. Proh ſcelus incredibile mortalium: proh diuinæ charitatis inæſtimabile pondus, ac vim. Libet hic nouo prorſus exemplo, nullo Rhetorum artificio, confuſa rerum vniuerſitate, cælo, terra, ſideribus, hoc ipſo Patrum conſeſſu funereo, atque pullato præeuntibus, exclamare: tantam in nos extitiſſe diuini ſignificationem amoris, tantam hominum in

in ſuæ ſalutis auctore perdendo fuiſſe temeritatem! Æternus Dei Filius, immortalis, incomprehenſus, ad noſtri ſceleris expiationem è ſinu beatiſſimo Parentis in terram effuſus, tantum abeſt, vt tam triſti miniſterio pollui ſe putaret; vt lætiſſimus è conuiuio velut è ſagina digreſſus intra horti Getſemani ſepta, ferrum, atque interfectorum opperiens manum,ſua ſe voluntate concluderet. Hunc hortum, hunc ille campum delicijs opportunum, hanc arenam primo ſanguine reſperget, quæ noſtro ſceleri fuit prima palæſtra voluptatis. hic vſurpatam à nobis libertatem,vinculis, hic timore, noſtræ cupiditatis audaciam, hic præguſtata morte luet affectatam à nobis immortalitatem. Quam enim Philoſophiam à cœna commentaturum hos ingredi putarim hortos Dei Filium,ſapientiſſimum Deum, niſi mortis ſuæ iam imminentis liberam illam neceſſitatem? Mortem videlicet in illo viridario ad ſe quaſi blandimentis inuitat: & quia eam complecti non poteſt,animo ſaltem & cogitatione delibat. Nam quid aliud in illo erat tædere,pauere, in terram proſterni, cum ſpiritu exitum quærente luctari, niſi velle miſerum eſſe ante miſeriam,niſi futuras ærumnas cogitatione anteuertere, niſi mortem ipſam cunctantem, ac prope verecundantem incitare? cuius denique lentitudinem,& quaſi tractum indignatus,occupat hoſtis officium, timoris vſus ferro, carnifice voluntate.Neq;enim eum animum, Regiam di-

uinitatis aggredi poterat, niſi iuſſa perturbatio; cui non illud, quod in nos exercet, imperium ingerebat, atq; tyrannidem, ſed apparitionem, ac famulatum exhibebat. Accerſita igitur, atq; adeſſe iuſſa; ne ad lentum officium aduocatam eſſe putaremus, ita commouet imperantem, vt pronum in terram, & quaſi moribundum affligat: ita ſedem illam ſerenitatis infuſcat, atq; obnubit, vt ex ea largum ſanguinis eliciat imbrem, vel ipſa naturae interpretatione prodigium inauditae charitatis. Quæ conſecuta ſunt, oſtento tam admirabili reſponderunt. Obligata libertas, illuſa verecundia, violata ſanctitas, damnata innocentia, vita interempta. Irrumpunt in ea Getſemani clauſtra, præferente facem ſceleris architecto, Prætoriæ cohortis manipuli: effugia claudunt, præſidia diſponunt, hominem circumſiſtunt. Quid agitis importuniſſimi latrones? ipſa vobis occurrit, ipſa vos hortatur obuia præda; manus in vincula, collum inſerit in laqueum; ſua voluntate ferientium vulnus opperitur, quia victimam ſe triumpho deſtinatam Parentis agnoſcit. Licet enim cum Ambroſio de Chriſto dicere: Verè **Maxima Taurus victima; ſi cum ijs hoſtijs exempli cauſa conferendus ſit, quæ coronatæ floribus, inſulatæ vittis, ac tænijs, magnifico Sacerdotum comitatu triumphalibus olim pompis inducebantur. Ita ne vero? triumphum ornat hæc victima, non Caluariæ lanienam? Vbi triumphalium victimarum inſignia, vbi reſpectus, ò bone Ieſu?**

Ieſu? Sacerdotes,qui te deducant venerabundi, nō video;video ſicarios,ac laniſtas,manu promptos,vultu atq; oculis truculentos:ſecurim, qua minimo feriarisictu,in tuæ cędis inſtrumēto non agnoſco:agnoſco trabales clauos, vitā tibi producturos, vt amplius ipſa morte crucieris. Infulas,& coronā,capitis ornamenta non intuemur, funes intuemur,ac ſpinas,quæ tibi pro vittis, ac diademate deferuntur.non exaudimus plaudentium acclamationes,ac voces;plebeculæ tumultum,populi maledicta,Sacerdotum diras, atque imprecationes exaudimus.nihil deniq;triumphi habere te ſimile cernimus, niſi libera militum probra. Nimirum hæc noua triumphi ſpecies, ac ratio,noua,quibus inſtrueretur, ornamenta poſtulabat. Deo,ſi neſcitis,dum Chriſtum ita rapitis, Deo inquam victimam ducitis viliſſimi profligatores:carmen Amori dicitis,cum incondito clamore perſonatis: cum illum tota Hieroſolyma pertrahitis, charitati triumphum agitis, & neſcitis. Sed diuexanda magis eſt victima: vult opprobrio ſaginari: non dum ſatis inſtructa Parentis triumpho ſibi videtur, niſi quæ noſtrorum ſcelerum hoſtia eſt,ſit etiam victima publicæ voluptatis. Colapho caeditur ad Annae Tribunal;reus agitur impietatis in domo Pontificis, velata facie alapis impreſſis, diuinare iubetur auctorem: tota nocte ab impuriſſima deluſus turba, ſuo ſentit exitio nouus hic Samſon quàm graue fuerit in huius Dalidae ſinu, hoc eſt in no-

ſtrae mortalitatis gremio conquieuiſſe. Illuceſcit aliquando dies: ad Romani Praetoris baſilicam itur: diſceditur ad iniquiſsimum Regem, à quo innocentiae pallio irriſa ſanctitas, eodem rurſus iudicanda reuertitur; vt Reginae gentium Vrbis auctoritate, velut omnium gentium manu, Deus omnium interficeretur. Quid hic de Praeſidis pietate ne, an impietate commemorem? qui efflagitatam populi conuicio mortem ſeruili ſupplicio redempturus, ita verberibus accipit immerentem, vt publicè commonſtratus, ne ab hoſtibus quidem ipſis pro homine haberi potuiſſet, niſi eum ipſe hominem appellaſſet. O leuem tamen, ac perferendam ſpirantis prope cadaueris conditionem, niſi grauiora ſupereſſent, quae pateretur. In Praetorium à cohorte raptatur: rigenti ſpinarum corona, ludicro ſceptro, veſte purpurea per cauſam ſalutandi Regis illuditur; contumelijs oneratur. Nihil abnuit ille, nihil recuſat: & qui verum à ſuis oblatum in ſolitudinem vſq; fugerat Hieroſolymae regnum; accipit vltro à ſcurris, ac ſannionibus tam ioculare. Satiatis ludibrio manipularibus illis, remoto ioco, profertur impium Praetoris edictum: damnatur inauditus reus, ſine lege: immo etiam contra Tiberij legem ante decimum à ſententia diem ad ſupplicium rapitur. Impoſita humeris cruce, iubetur innocentiſſima victima iugo collum ante ſubmittere, quàm ſecuri: ingenioſum turpiſſimae morti crudelitatis additamentum.

Nihil

Nihil hic dico de ſelleo poculo, nihil de vulnerum dolore, diloricata iam veſte, recrudeſcente. Manibus, pedibusq; acuminato ferro traiectis, in patibulum agitur, adſtante cariſſima, mœſtiſſimaque parente. expirat inſpectante cælo, fremente rerum natura: infertur extinctus alieno ſepulcro, ac pro lamentantium choro, milites habet tumulo circumfuſos. Miſerum me, qui tantum funus, non dico ſine lacrymis, ſed ſine ſolemni laudatione proſequi debeam. Vtinam hìc ego de te Chriſte Parens optime dicere poſſem. Nequaquam, vt mori ſolét ignaui, mortuus eſt Abner: manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati. Hoc inquam elogio tam illuſtri exitum iſtum excipere non queo: qui te captiuum in hoſtium poteſtate, manibus, pedibusque, non obligatis tantummodo, ſed confixis, infelici ſuſpenſum arbore videam interire. Habes tamen tu, quòd in iſta captiuitate gloriari poſsis, & dolorem vltimum cõſolari, cũ tuæ mancipium libertatis, cum voluntaria charitatis hoſtia moriaris. habemus nos, cur obitũ iſtum ignominiæ plenũ omniũ omnino ducũ victorijs anteferamus, cũ ſimul animo recolimus, è patibulo brachijs explicatis, totũ te iam terrarum Orbem ſub ditione complecti tua, cũ intuemur, ſub alas iſtas, vniuerſas euocari gẽtes, ac nationes, cũ prouidemus, impreſſas iſtas corpori tuo ſeruiles plagas potentiſſimos Reges in Romani Põtificis pedibus oſculo veneraturos.

DE

DE CHRISTI SERVATORIS OBITV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Sacello Pontificum Vaticano.

AD PAVLVM V.

ORATIO XII.

MISEROS nos, Beatiſſime Pater: quibus ad Chriſticollacrymandam cædem huc euocatis, oculus ipſe fons lacrymarum obſtruitur. Neque enim tantus, ac tam magnus dolor poſtulat lacrymas, quas, & quotidianis, & alienis etiam interdum ærumnis impendimus, ſed grauiorem ægritudinem quandam, hoc eſt, inſolentibus accommodatam malis, & vulneribus reſpondentem noſtris, exanimationem. Fuerunt aliquando qui prorſus in obitu filiorum plorauerint nihil; ijdem in amicorum morte lacrymarint vberrime. Cauſam, quia ſapientes erant, eam ipſi docuerunt eſſe; quòd amicorum caſus acerbior, quamquam, vtcumque pertinet ad nos, alienus tamen,

tamen, & ſeiunctus à nobis eſt: filiorum, aut parentum interitus noſter ipſorum videtur quodammodo proprius; adeoque non tam lacrymas oculorum, quàm animi ſtuporem contracti, & perculſæ mentis hæſitationem efflagitat. Ergo cùm parentis interitum optimi à me deplorandum hìc eſſe intelligam, exanimor equidem domeſtici magnitudine mali, atque abalienor à ſenſibus; ſed tamen ad lamentationem, & queſtum, earum gemitu rerum, & comploratione compellor, quæ ſenſum, & naturam; vt nobiſcum doleant, alioqui non habent. Quin à mortali concretione liberi Angeli pacis, qui lacrymari ſuapte natura, & lugere non queunt, priuata pene lege hodierna die, ad nos excitandos, amarè flendi poteſtatem acceperunt. Quamquam quid ego longius abeo? Tu ipſe, Beatiſſime Pater, cui, quoniam feliciſſimus es Eccleſiæ ſponſus propter excellentem perſonæ dignitatem lacrymis interdictum eſſe videtur, & publico luctu, funus hodie rerum Conditori facis, ac Domino mœſtiſſimum; & quoniam in pulla veſte lugere non potes, lacrymaris in purpura. Quando igitur huc veluti præfica ſum allegatus ad luctum, ita mihi circa feretrum moderabor, vt (quæ duo lamentantium officia ſunt) neque conqueſtione careat oratio mea, neque præconio defuncti Liberatoris. In vtroque tamen appoſite præſtando, ingemiſcentis ductum vniuerſitatis, & ea rerum miracula perſequar, quæ decedentem Auctorem

rem

tem viſa ſunt in ipſo mortis articulo conqueri iuxta,& collaudare. Excipite adeo vos beatiſſimæ Cæli Mentes,excipite cæleſtes orbes, excipite res cæteræ ſenſus,ac rationis expertes,non tam dicentis vocem, quàm admirationem obſtupeſcentis ex dolore vobiſcum oratoris. Et verò cuius non obſtupeſcat animus, cum intuetur ſudore manantem ſanguineo firmitudinem, exanimatam, & timore mortis obrigeſcentem æquabilitatem, atque conſtantiam, proditam amoris pignore beneuolentiam,ſubſtrictam vinculis poteſtatem,flagris contuſam innocentiam, expirantem vitalem vitam, illuſam militari conuicio,coronatam ſpinis, cæſam alapis,confixam patibulo maieſtatem, ſuſpendioſum & cruciarium Deum? Quid hic ego primum exclamem, quid deplorem,aut lamenter extremum? Sed tamen quid non admirer potius in tanta doloris, atque ignominiæ ſegete infinitam gratulationis, ac laudis pulcherrimæ ſiluam illico ſuccreſcentem? Sanguinem ille quidem ex formidine mortis exſudat, ſed ſementem in horto facit gloriæ ſuæ, ac fortitudinis noſtræ: tenetur improbitatis ſatellitio, ſed voluntarius eſt amoris ſui,beneuolentiæque captiuus:vincitur,ac conſtringitur arctiſſime, ſed ijs vinculis tenebrarum Principi ſeruitium parat, humano generi regnum, & libertatem:proditur inſtrumento pacis, ſed agnoſcit in ementito ſigno perfidiæ teſſeram, ac ſymbolum iniquitatis. Verberatur in

Præ

Prætorio; ſed imbuit interea, mollitque ſanguine ſuo Romanorum faſces; qui per manus traditi, Eccleſiæ præſtabunt aliquando patrocinium, & dominatum. Commentitia induitur purpura; ſceptro, coronaque per ludibrium inſignitur: ſed illo deridiculo nobis exiſtimationem conciliat, & calliditiſſimum eius architectum immanitatis, alia omnia cogitantem, ac molientem illudit. Tollitur in Crucem, execratum vulgò lignum, & ominoſum: ſed ex ea ſpecula ſibi deſignat oculis gentium poſſeſſionem vniuerſarum, & inſcriptione glorioſiſſimi tituli, velut è Tribunali pronunciata ſententia, iniquiſſimum orbis terrarum dominatorem exterminat. Incipit animam agere, ac tamquam teneretur communi conditione mortalium, laborat in vitæ ſupremis: ſed in Parentis æterni gremium inclinato capite, mortem tergiuerſantem adhuc, & reſtitantem, nutu verticis accedere iubet ad ſe; nec ante ſpiritum tradit, quàm victoriam perfectam iam, & conſummatam eſſe conclamet. Occidit demum, atque ex arena mortalis vitæ victus, ac profligatus aliquando diſcedit: ſed ei tamquam ſuperſtiti, atque victori triumphale carmen, & Paeana omnium perturbatione rerum velut incondito militum clamore Natura decãtat. Par eſſet vniuerſitati præeunti reſpondere, atque omnia nos ad funebrem prouocantia collaudationem comitari: ſed quia difficillimum eſt in tanto fremitu omnium ſimul acclamationes rerum exaudi-

re,

re, diſtinguam ego per partes ſingula, & quantum fas erit, quaſi myſtagogus interpretabor. Principio Cælum pompæ funebri facturum initium veſtem mutat; Sol, funeris deſignator, poſitis prope radijs, ex lugentium habitu crinem detondet, atratoſque lictores præmittit, & tamquam apparitores ſuos minorum ſiderum duces. Orbis ipſe terrarum vniuerſus, quantus quantus eſt, induitur tenebris: quà tremore concutitur, quà motu fluctuat alterno, quà montibus in ſolidum fatiſcentibus hiat, quà ſaxis aſſultantibus aperitur. Et quoniam tota lugente familia Parentem ſuum, Salomonis Templum, quæ ſedes illi fuerat peculiaris, & propria, in omnium mœrore lætari non decet, ſingularia deponit ornamenta; nudatiſque penetralibus oſtendit, omnia violato rerum Domino, facta iam eſſe profana. Nam, quemadmodum religione, ſacriſque pollutis, ad ſummam doloris ſignificationem ſibi veſtem à pectore diſcindebant Hebræi, ſic Templum Hieroſolymæ celeberrimum, velum illud, quo tamquam veſte ſanctiore quadam, antiqua ſacrorum adyta contegebantur, abrumpit, & diloricat à ſe; mortuoque iam eo, cui rerum arcanarum illa deſeruiebat adumbratio, & ſcena, fruſtra putat, obiectum ſpectatorum oculis retineri ſparium. Nulla denique cæli, terrarumque pars eſt, quæ portento careat, & miraculo ſuo. ſed vt intelligamus tamen, hunc totius naturæ ſenſum, ac motum funebrem in laudem

Aucto-

Auctoris pro noſtra ipſorum extincti ſalute panegyricum eſſe, illud etiam factum diuinitus intuemur, vt prodigia hæc innocenter, & nulli pernicioſa mortalium exhibeantur. Obducitur enim tenebris Sol; cælum armari videtur ad vltionem: ſed nullo percellit fulmine flagitioſos. Nutat vndique terra, montes diſſiliunt, & ſaxa: ſed neminem prorſus ea tanta conquaſſatione corripiunt. Scinditur in Templo velum, detegiturque profanis Sacrarium: ſed nulla conſequitur parietum ruina, quæ ſacrilegos ſecum inuoluat, & parricidas. Quin ipſa, ſitu, atque illuuie ſquallentia monumenta maiorum aperta ſunt: non quidem vt exorberent impios, & tanto ſcelere contaminatos poſteros, ſed vt redderent hominum ſocietati viuos, quos multo iam ante mortuos accepiſſent. Neque enim terra poterat amplius mortem intra latibula continere, quæ ſalutifera Cruce, Chriſti pertracta humeris inarata, quæ diuino illo perfuſa, & opimata ſanguine ſuſceperat vitam. Ecce autem confoditur exanimato cadaueri latus; vt poſthumum Saluatoris vulnus prodigium daret omnium maximè ſalutare. Aqua enim confeſtim effluxit; quæ non terrarum eluuionem comminaretur, vt merita erat impietas, ſed communium expiationem ſcelerum factam iam eſſe ſignificaret. Claudit extremum funus, vltimamque laudationis abſoluit partem ille Centurio; qui magnifica profeſſione teſtimonium tribuit abditæ Diuinitati

gra-

grauiſſimum; & pro ea, quam ſuſtinebat, perſona, indicium dedit futuræ in Chriſti poteſtate, ac Regno pulcherrimæ poſteritatis. Non enim fruſtra legionarios Imperij Romani milites ducit qui tanta cum animi confidentia patibulatum illum hominem, atque inteſtabilem, Dei filium eſſe, teſtificari non dubitat. Oraculum eſt ea Centurionis vox, & denunciatio certiſſima, quæ fore pollicetur aliquando, vt ſigna legionum, & vexilla commutentur in Cruces, & Romani gloria nominis, Crucis beneficio multo ſanè magis, quàm auſpicatis illis Aquilis amplificetur. Cuius oraculi fidem, non ſolum vbique terrarum, ſed hìc hodie deprehẽdimus eſſe conſtantiſſimam, cum Maximum, Pontificem, Aſſertoris Chriſti Legatum potentiſſimum, ad quem ea Romæ maieſtas cum diuino dominatu iure translatitio deuoluta eſt, auguſtiſſimo Patrum ordine, veluti longo Regum conſequente comitatu, prouolutum in genua, & omnium nominé ſupplicantem ante Crucem intuemur.

Noſtrum eſt qui tamquam numerus huic ſpectaculo circumfundimur, cum ea turba, quæ Centurioni reſpondens, Chriſti diuinitatem è prodigijs intelligit, comploſione pectoris, animi pœnitentiam profiteri; atque à te Beatiſſime Pater, qui præpoſitus Ærario diuini ſanguinis es, expiationem aliquam, & erratorum veniam poſtulare.

IN

N SACRVM

Diem Paraſceues.

ORATIO XIII.

Ad Paulum V. Pont. Maximum. Anno. M. DC. XIX.

HODIERNIS tenebris (quoniam hodierna luce dicere non poſſum Beatiſſime Pater) Iuſtitium indicit mortalibus atratus, inſolenti caligine Sol. præit lamentabile carmen abſurdum, ac diſſon horribili diſcrepantia cælum: luget orbita ſuam ſẽſu carens, ac brutus orbis terrarum: iunctoq; rerum Principe, turbatur Vniuerſi, & velut interregnum eſt Mundi. Abruptum o, ex legemque meditatus ſermonem eram: accuſatione deteſtandæ crudelitatis eiula liberum adornaueram: pro verbis, & oratio parraueram lacrymas. cum mihi venit in men vetari nos lugere ſuper eum, cui conquenem inſtituebam, & iuberi tenere lacrymas mpentes in poſtrema lacrymandi neceſſita-

re. Neque enim illa vox: Nolite flere ſuper me, Hyeroſolymitanas tantummodo feminas admonet, ſed, quoniam ab omnium capite profertur, exterret, & inhibet vniuerſos. ô noſtram igitur ipſorum conditionem acerbam, & grauem. qui cum luctu prohibeamur, & fletu, neceſſe habemus cæco animi ſenſu, & eluctante dolore diſrumpi. Quam ego cauſam eſſe dicam tam admirabilis interdicti? Luget ipſe caſura Hieroſolymæ tecta, quorum ſoluendam eſſe ſtructuram, ac ne vnum quidem hæſurum alteri prouidet lapidem: nobis, qui cernimus, ex auguſtiſsimo illo corpore oſſa propemodum ipſa rupta compage conuelli, tam miſerandum, & graue lugere non licet excidium! Num illæ murorum pinnæ, Saluator bone, num Templi ſubſtructiones, ac pilæ tuo tibi ſunt corpore cariores? num ob ea, quæ vides in animo noſtro vulnera, non ſentis tua? Ingemiſcis tu quidem ex obitu Lazari, quem defunctum agnoſcis, compoſitique cadaueris inſpecto tumulo, ſingultas, & infremis ſpiritu. nobis, extincto vitæ fonte, humataque ſalute, querelis interdicitur & lacrymis. An ob illud humani generis immane cadauer, quod ſolus intueris; an ob immortalis animi noſtri mortem, ac ſepulcrum infelix, quod ſolus intelligis, ita doles, vt nec tuo paratam corpori ſepulturam, nec impoſitam humeris crucem, nec impendentem iam ceruicibus iſtis animaduertas interitum? Certe cum ab illa ſupremæ cœnæ

diæta

diæta digreſſus, hortum Gethſemani quaſi nouale maturi iam luctus intraſti, non te totum futuris reſeruaſti tormentis, ſed quicquid mali venturum erat, animo, qui ſolus eſſe miſer ante miſerias poteſt, concepto pauore, atque formidine repræſentaſti. Et quoniam oculis ſatis eſſe lacrymæ non videbantur, diffuſo vndique ſanguine lacrymari toto corpore voluiſti. Amoris quippe gementis ille ploratus in horto fuit, præſens tempus futuri conturbantis metu, & anticipantis ex timoris vulnere lacrymas ſuas. Parum videlicet exiſtimabat, quandoque miſerum eſſe, niſi eas occupatione præſumeret admoueretque ſibi miſerias, quas alij ſi diſcutere non poſſint, morantur, ac differunt. Quid commemorem illum eius è Cruce gemitum ità validum, vt vel ideo Dei filius habitus à Centurione ſit quod ſic clamans, & eiulans expiraſſet? quid miſerabilem illam æterni Patris implorationem, à quo derelinqui ſe dolenter, ac non ſinè lacrymis eſt conqueſtus? Et tamen idem ille, qui tanto cum fletu cauſam noſtram è Cruce perorat, non patitur nos lacrymari pro ſua. Suorum ne lacrymas auerſatur moriens qui dum viueret, etiam ſuper menſam eo pabulo recreari videbatur? Atqui ne ipſarum quidem comitantium feminarum dolorem, & luctum, ſi rectè rem expendimus, eſt aſpernatus. Si enim eiuſmodi faſtidiret humanitatem, non ſuo eas ipſe ſolaretur alloquio, qui Regem illum auidè per-

cunctantem multa, ne verbo quidem vno cohoneſtauit Herodem. Quin idem lacrymarum officium à Parente cariſſima prope Crucem inſiſtente libens accepit, & ſepulcrum, ac funus, vbi lacrymæ funduntur extremæ, non à domeſticis ſolum ornari voluit, ſed ab Arimathæo etiam externo, Decurione illo nobili, celebrari. Quæ fortaſſe cauſa veteres impulit Chriſtianos, vt (quemadmodum videtur indicare Hieronymus) pullati procederent ſemper, & eum luctum, quem ſemel à Chriſti morte ſusceperant, vellent eſſe perpetuum, & continentem. Nimirum principes illi noſtræ religionis authores, à quibus eiuſmodi accepta fuerat inſtitutio, haud quaquam abunde ſibi fleuiſſe videbantur, niſi Chriſto Seruatori, ac magiſtro luctum ſuum ampliſſimè teſtatum in ipſa quoque poſteritate relinquerent. Neque verò idem ſenſus qui continuato quaſi funere poſtmodum retentus eſt, & ſtato quotannis tempore repetitur, poteſt ei non eſſe iucundiſſimus, cùm videt, hiſce potiſſimum pœnalibus, ac luctuoſis diebus, non à multitudine modo per vias, & compita, verum etiam à Sacerdotibus in Templis, à Regibus in Baſilicis inter obſoletas purpuras, & trita paludamenta ſe complorari. Quid igitur eſt, cur noſtrum hunc ad lacrymas impetum impoſita quaſi lege reprehendat, niſi quod à nobis intelligi vult, ita ſibi cordi futurum hunc luctum, ſi non tam ſuper eum, quàm ſuper nos, nec tam

ipſius

ipſius cruciamenta, quàm noſtra ipſorum crimina lugeamus. ò lugendi materiam inexhauſtam. ò ſegetem lacrymarum ampliſſimam. ò ſyluam doloris immenſam. quæ diuini liberatoris morte ſucciſa ſemel, ac ſubinde reciſa tamen ab radice repullulat ſemper, atque immorta'i prope viuacitate ſuccreſcit. Etiam nunc', ſi Paulo declamanti fidem habemus, ſcelere mortalium agitur in crucem Dominus gloriæ. etiam nunc eiuſdem corpus hominum improbitate laceratur, & quod tum à militibus eſt prætermiſſum, veſtis inconſuta diſcinditur.

Spinas illas, quibus Chriſti traiectum eſt, & coronatum ad ludibrium caput, conſecutis poſtea temporibus, in loculis, vbi ſeruatæ cum religione ſunt, apparuiſſe virides, Turonenſis Gregorij teſtimonium eſt. An eo miraculo ſceleris humani rediuiuam quodammodo viriditatem exprimerent, diuinare non auſim. affirmare tamen haud dubitem quod certiſſimum eſt: humana flagitia, quorum cauſa compunctum illi caput, & perfoſſum penitus eſt, quaſi fœcunda ſtirpe ſubnaſci ſemper, & quotidie longa poſt ſæcula reuireſcere. Hic enimuero repagula tollere luctus omnia', hic laxare lacrymis frœna nos ſinit ille, qui commiſerationem, & comploratum noſtrum ea lege probat, ſi cum eum lamentamur extinctum, noſtra ipſi mala multo ſane acerbiſſime lugenda nobis eſſe intelligamus. Si enim mulieres illæ ſuper ſe flere

iubentur quòd viſuræ poſtmodum ſint oppletas cadaueribus foſſas, enectos fame per vrbem ciues, patriæ vaſtitatem, internecionem ſuorum, quæ collacrymatio ſatis nobis ſuper nos ſit, quibus ob ingrati vitium animi tam palmare, longe maius impendet exitium? Hæc lugendi cauſa iuſtiſſima collocat inter veſtibulum, & altare Sacerdotes. hæc euocat è thalamo ſponſos: hortaturque, vt repetant ex ſe pœnas mollitudinis ſuæ, ac Sponſum ſanguinis ſubſequantur, cum patibulo præeuntem in montem, cunctoſque mortalium inuitantem ad ſe. Non enim ille tacens, & muto cum ſilentio Caluariam aſcendit, ſed magna voce declamans proponit ſuſcipiendam omnibus Crucem ſuam, quam vt nobis, à nationibus externis ad ſuum poſtea venturis imperium, velut hæredibus, ac tanquam iure tranſlatitio traderet, gerendam ponè permiſit extero Cyrenæo. Ne illud quidem hortamento perſimili vacat, & pari conſilio; quòd cum idem amantiſſimus noſtri Dominus imaginem vultus ſui relinquere vellet in terris, non eam expinxerit hilarem, ac lætam, aut fulgorem, & radios vndique diffundentem, ſed quæ ſputis fœda, quæ cruenta, & propemodum vlceroſa, quæ vibicibus, ac ſanguine interſtincta eſſet, eam in illo ad lanienam itinere Veronices impreſſam linteo tranſmiſerit poſteris intuẽdam. Quid enim tum egit aliud, niſi vt nobis ſupremo vitæ tempore quaſi teſtamento relin-

relinqueret quod propoſitum ad imitandum haberemus exemplar? Noſtrarum adeo partium eſt audire iubentem extrema, & ea facere imperata, quæ non tam vltima deſcripſit voce, quam nouiſſimo ſanguine conſignauit. Non eſt filiorum inerti querela defunctum proſequi parentem: ſed quæ mandarit exequi confeſtim, & ſupremæ ſatisfacere voluntati. Morientem illum fleuerunt fortaſſis etiam ignoti, quorum in oculos tam miſeranda facies incurrere potuit. Sed morientis obtemperare vocibus eorum eſt proprium, quos in adoptionem filiorum aduocauit.

DE CHRISTI FVNERE, AC SEPVLCRO

AD VRBANVM VIII. Pont. Max.

IPSO DIE PARASCEVES ORATIO XIV.

Anno Iubilei M. DC. XXV.

ORIENTEM ſolem plures admirari, quàm occidentem, Beatiſſime Pater, eorum fuit olim haud inconſulta vox, qui naſcentem ex integro diem in ſolis occaſu non cernerent. Nobis inconſultiſſima ſit, quos oporteat, nihil ſanè minus in obitu, quàm in exortu coruſcantem æquè, ac fulgurantem ſuſpicere Iuſtitiæ Solem. Certè ſumma ratione integerrimi huius occaſus Hiſtorici veridicis litteris id præci-

puè

puè conſignarunt, illo denato, exanimatoque, turbam latè circumfuſam in miſerandum cadauer inſaturabiliter intuentem vndique ſtetiſſe, cognataſque feminas ſediſſe per otium admirabundas contra ſepulcrum. perinde ac ſi reſtinctis luminibus, aulæisque ſubductis, in Theatro viderent aliquid, quod aliorum aciem effugiſſet. Placet in conuerſa ſcena parumper inſiſtere: quando iam actu ſupremo ad exitum perducto, cauea tamen adhuc plena ſpectatoribus eſt, nouamque rerum admiratur faciem ſublato choragio. Hæret quippe caſſus anima, confixus in ſtipite ſempiternus, atque immortalis Deus: ſatellitio ſtipatur, & Prætoriana cohorte: à clientibus, amicisq́ ſtudiosè refigitur; exoticis imbuitur vnguentis; integitur empta pretio ſindone, funeratur impendiò. Placet inquam exquirere quid cauſæ ſit, cur is, qui neque caput vnquam reclinauit in ſuo, nec inter extremos animi, corporiſque dolores ſuorum alloquio recreatus eſt viuens, mortuus tamen, extractuſque de cruce, non ſolemnia tantum admiſerit officia, ſed regias prope lautitias funeris adamarit.

Nimirum obito vadimonio, perſolutoque iam aére, pro quo vas, ac vinctus in ſupplicium ierat, aliquam operæ compenſationem, atque hoſtimentum repetit, quod inter agendum, patiendumque pro reo intempeſtiuum fuiſſet expoſcere. Erat enim eius, qui ſe ſponſorem,

præ-

prædemque pro nobis obtulerat, non id inter tormenta cogitare, quantum à reis, vadatiſque accepturus eſſet remunerationis, & gratiæ, ſed vnum perquirere, ac ſpectare, vt conſentaneas, ac reſpondentes illi ſceleri lueret pœnas, cuius expiandi ſibi ſumpſerat partes. Rectè igitur hac ſola cogitatione penitus imbutus, in eo ſuburbano, vbi viatores, lictoreſque Præſidis expectat, auellitur à ſuis quantum iactus eſt lapidis: vt oſtendat, quàm enixè laboret dum ſuperſtitionis humanæ comminuit ſimulacrum, è Virginis vtero tamquam lapis è monte diuulſus, deuolutusq; per Caluariæ collem, & delapſus in tumulum. Quin auelli neceſſe fuit à nobis eum, qui veluti præcurſor ibat ad Patrem, vt interpellaret, interueniretq; pro nobis. Cuius patrocinij munus anticipat in horto Gethſemani, procumbens in genua, & innoxio ſanguine terram extergens, quam intelligit omnibus inceſtam ſceleribus, atque immerentium eſſe cruore contaminatam. Ita factum videlicet eſt, vt eo demum ſudore perfuſa, & tam pio placata libamine, linguam illam contraheret, ac teneret, quam ad poſtulandam vindictam inde vſque à primo parricidio iam exertauerat, alterumque contra diduceret os, ad commiſerationem, ac veniam erratis hominum implorandam. Vtinam nos noſtris obnoxij criminibus, ac propriè rei te ſequeremur Orator eloquentiſſime; tecumque vel vna vigilaremus hora, qui

qui ad peccandum inſomnes, ac peruigiles fuimus. Næ ille deſertor infelix ad ſui Seruatoris exitium intempeſta nocte diſcurrens trium ſociorum increpat ſocordiam; qui ad pernoctandum cum Domino delecti, eo vigilante, ſopore iacent altiſſimo conſepulti. Profectò cum delinquimus, nauitate, ac vigilantia Proditori ſimiles ſumus: cum delicti petenda eſt venia, iſtorum ſomnum, ac deſidiam imitamur. Verumtamen à ſuis operam, ſocietatemque non exigit is, qui prouinciam hanc ſolus ſibi depopoſcit, tam pro Iudæ perfidia, quàm pro cæterorum ignauia ſuo ipſius capite, ac labore ſatisfacturus. Itaque Sacerdotum Principis execrabilem illam ingreſſus domum, vt noſtri nobis ignominias animi expictas in ſuo corpore demonſtraret, obuelata facie, deſtitutus, ac ſolus, ibi colaphis illico cæditur, vbi Petrus, occæcata iam mente, cælum conteſtans, ac peierans à tenebrarum Principe in receſſu conſcientiæ depalmatur. E baſilica Pontificis in Prætorium Iudicis abſtractus, veſtibus exuitur ſuis, induitur coccineis, coronatur vepribus, inſtruitur arundine, per ludibrium adoratur: quia ſuperbiſsimi terrarum domini velut humanitatem exuti, diuitijſque per iniuriam partis vndique coronati, ſanguinaria ſe crudelitate conueſtiunt: quibus & pro ſceptro leuitas arundinis eſt, & aſſentatoriè potius illuditur, quàm verè ſeruitur. Neque tamen id ſatis erat, niſi arundinem

dinē ipſam è manu ſedentis arriperent buſtuarij mirmillones,eaq;percuterent tēpora,quæ paulò ante ſpinoſis opibus exornarāt.Erat enim perferendum etiam pro militum auaritia,& furacitate ſupplicium:quorum iniquæ prædæ niſi capite Seruatoris exoluerētur,in caput Principum redundarent,à quibus nocendi poteſtatē acceperunt. Quid verò eſt,cur abundè deluſus, illa ſpoliatur chlamyde,ſuiſq; rurſus indumentis operitur,niſi quòd eam humanæ mentis elationem ad viuum exprimit,cuius cauſa ſic illuditur, & cruciatur? Quotus enim quiſq. ita ſibi placens, inflatuſque adeò ſit,vt mortalitatis aliquando memor,cinerem,ac tineam operimentum ſuum eſſe non videat,nec demùm intelligat alieno ſe pallio gloriari? Vel ea ſacris nobilitata monumentis duo ſuperbiæ mōſtra,Herodes,atq;Antiochus exemplo nobis,ac teſtimonio locupletiſsimo ſunt:qui auro, ac purpura inſolenter induti, cum diu, multùmque alienam veſtem oſtentaſſent, ad extremum in ſuis vermibus expirarunt. Ex illo deriſionis improbiſsimæ ſuggeſtu ducitur extra pomœrium; & in eo monte cruci ſuffigitur, cui caluaria, hoc eſt vertex humani capitis arrogantiæ ſedes indiderat nomen. quaſi ad arrogantiam illam hominis extermina ndam, quæ in peſtilentiæ poſita tribunali, ſuis non tam ornatur laudibus, quàm delectatur opprobrijs, ibi figenda crucis humilitas eſſet, vbi ſolium ſuperbia collocarat. Nemo autem quærat, cur latro-

latronibus interiectus occumbat, niſi qui neſciat,à nobis noſtrum ipſorum animum, & cor, Dei templum, factum eſſe ſicariorum gurguſtium,& ſpeluncam latronum. Ibi enim anticipatione flagitij iugulantur innocentes,ibi furta, & parricidia fiunt, vbi cogitationes peſſimæ latent, vbi cædes, ac rapinæ, vbi vrbium, ac prouinciarum coquuntur incendia.

Inter hæc inquā ſuæ ſponſioni tam cōgruentia tormenta nullum in ſe poſtulauit officium ad leuandam pœnam, conſtanti iudicio & voluntate ſuſceptam. Quin acerbiores etiam, amplioresque cruciatus exoptans, ſitire ſe magno clamore denunciat, cum totius vexatione corporis in ſupremo vitæ, mortiſque confinio torqueretur. Si enim æſtus, doloriſque ſui lenire tantummodo moleſtiam ea denunciatione, ac querimonia voluiſſet, nihil erat, cur de ſiti clamaret,ſileret de cruce, quæ peior eſt ſiti.

Cæterum conſummato vadimonij munere digreſſus è vita, quaſi benè iam meritus operis ſui mercedem expoſceret,non modo clientium in ſe gratiam non reſpuit vltrò delatam; verum etiam prior ipſe requirere viſus eſt, & è longinquo repetere. Quì enim & Decurio nobilis ab Arimathæa, & alter ille inter ſuos honoratus, ac facilè princeps conuenire tempori, numeroque potuiſſent ad funus, aut quì tam confidenter auſi eſſent ab inhumano Iudice poſtulare pendentis è cruce cadauer, niſi fuiſſent

ſent ab eo diuinitus euocati, cui tanta cum ſedulitate pollinɛturam, & tumulum adornabant? Suſpendioſos lugeri vetabat Quiritium lex, & honore ſepulcri, ſupremoque prohibebat officio. & tamen ea Præſidis indulgentia eſt, vt qui Romani iuris ſtudio in Chriſti damnatione, ac cæde fuerat immaniſsimus, in eiuſdem funere, contempta Romanorum lege, ſit pius. Igitur inſtinctu Numinis excitati duo illi viri pecunioſi, atque ſummates, aromatis, ac totius inſtrumento ſepulturæ probè muniti veniunt in Caluariam, Parente Virgine mæſtiſſima, cæteraque familia repente recreata: quibus ad humandum corpus tam multa deerant, quàm ſupererant lacrymæ. Quid enim in ea rerum confuſione molirentur? Diſcederent ne, ac tantiſper inhumatum relinquerent, dum Hieroſolymam irent ad rogandum, parandumque cruciario funus? At, neque nox imminens eam dabat cunctationem, ac moram, nec audebat ignobilis turba Præſidem conuenire, nec tàm inopi concilio præſtinandis vnguentis, coëmendisque linteis pretium, ac pecunia ſuppetebat. Reſiſterent in ſtatione, ac circa crucem excubias agerent? Non patiebatur muliebris ille, ſiue timor, ſiue pudor, matronas honeſtiſsimas, intendentibus ſeſe tenebris, inter inſanientium ludibria militum eſſe. Itaque Mater infelix, ignara conſilij, oculos à Filio non auertebat; Ioannes alienatus à ſenſibus, & ſtupore

pore

pore defixus intuebatur in Virginem, Magdalena complexa crucem hærebat attonita; &, quod in ſummis accidere luctibus ſolet, ipſa iam defecerat vox, & exaruerat gemitus. Ad extremum,ex illorum acceſſu Procerum animo iam reuocato, vnà omnes admouent operi manus: diuellunt è patibulo cadauer, curiosè perungunt, integumentis operiunt, in hortum inferunt, in ſepulcro inibi excauato componunt, admoto ad oſtium lapide claudunt.

Putet ne mortalium aliquis,hæc,ad iuſta tantum Hebræorum more peragenda fieri ſimpliciter, nec tradita nobis eſſe pro monitis, & hortamentis? ò plumbeam intelligentiam noſtram, ò nos ſtultos, ac læuos, niſi plus aliquid in Chriſti funere, quàm quod oculi cernunt, animo, & cogitatione videamus: Age igitur. Ne mortuus quidem iniuſſu Pilati de cruce deponitur. Quid hoc eſt aliud, niſi eum, qui Patris imperio crucem aſcenderat, ex eadem niſi alieno conceſſu deſcendere noluiſſe? Integerrimorum hominum tractatur, atque vngitur manu: conditur obuolutus candido linteo, ac byſſinis inſtitis obligatus in ſepulcro marmoreo, & quidem nouo, ac Virginis vtero ſimili, nec vllis ante cadaueribus inquinato. Nempe noſtra ipſorum conſcientia perſtringitur hic & conuenitur: qui leuiſſimè dealbati, aut ne dealbati quidem, neque cum iſtorum aliquo conferendi, ſacra tamen quotidie facimus, ac

tan-

tangimus, hoc eſt eiuſdem funeris veluti repotia quotidie celebramus. Neque verò ſileri debet, quòd in ſepulcro ponitur haud ſuo, ſed alijs exciſo, ac præparato. Quid enim ſepulcrum in terris haberet qui ſolium diuinitatis habebat in cælo? Habeant qui mortis tenentur imperio tumulum ſuum: debellator mortis inferri debuit in alienum: quia non ſua, ſed aliena morte defungebatur. Cur autem is, qui pauperes ſemper in delicijs habuit, opulentos tamen, ac nummatos corporis ſui voluit habere ſandapilarios, & pollinctores? Enimuerò copioſi docentur, ac diuites, opes, ac fortunas haud vſquam melius, quàm in exornando, & condiendo Chriſti corpore collocari. Atque vt nullos omninò ſumptus ſuperuacaneos eſſe, ac magnificentiæ lineam in hoc officio tranſiliri nō poſſe cerneremus, aloës, ac myrrhæ libræ quaſi centum effunduntur vbi longe pauciores humationi locupletiſſimæ ſuperfuiſſent. O te ſapienter effuſum, Auguſtorum apex, fundator pacis, & rei Chriſtianæ confirmator, ac propugnaculum Conſtantine: cuius Imperium totidem Chriſto Liberatori tumulos, ac monumenta poſuit, quot templa & ſumptuoſis extruxit operibus, & latifundijs, ac pecunia locupletauit. Tuo nunc videlicet exemplo eidem Imperatori, ac Domino ſacris in Ædibus tamquam in tumulis ampliſſimis condito aurum, gemmæ, pretioſa veſtis, orientis ſolis odo-

odoramenta, prouinciarum, ac regnorum omnium tributa ſubſeruiunt.

Claudet orationem ea confidentia, quæ in tanti Curatoribus funeris obſeruatè laudatur, cum ad præſidem audacter ingreſſi dicuntur, ac ſepulturæ poteſtatem impetraſſe. Quippe monemur, eos, qui de Chriſti ſepulcro laborant & gloria, oportere magnanimos, atq; audaces eſſe, nec vlla vitæ, rerumq; pericula pertimeſcere. Libet hic etiam exclamare. ò bellatorum illa trecenta millia generoſa, & fortia, quæ olim ad vindicãdum vitæ ſepulcrum, patriæ, ac propinquorum amore poſthabito, Vrbano II. nominis auſpicati Pontifice præeunte verbis, ac bene precante, velut aquilæ fulminea cruce diuinitus armatæ in Aſiam ex cunctis Europæ regionibus aduolarũt: & ò nos, homunciones, ac pigras animas; qui patimur, iterum ad Chriſti ſepulcrum, non quidem Romanum militem, ſed Barbarorum auaritiam excubare. Te adeo ſempiterni Reſtitutor æui, mortiſq; depulſor impenſe precamur, obteſtamurq; vt obſepto iam itinere ad monumentum ſalutis, ſemper quidem, ſed hoc potiſſimum anno remiſſionis, aperias orbi terrarum in hac Vrbe, Apoſtolorum, ac Martyrum vrna, fontem vitæ, cæli valuas, ærarium gratiæ, Et quoniam tumuli tui caremus hæreditate, nec iuxta licet occumbere, id etiã vehementer oramus, & indulgentiã ſaltem impertiare nobis aliquam ex agro ſanguinis, & ſepulturæ locum tribuas in ſepulcro peregrinorum. T IN

IN FVNERE CARDINALIS DOSSATI GALLI.

Cuius obitum alÿ Cardinales, viriq; Principes è vita digreſſi anteiuerant.

ORATIO XV.

Hem obnoxia communi mortalitati natura : hem æqua ſummorum, infimorumque conditio. Aliud ex alio ducendum vobis eſt funus Illuſtriſſimi Principes, & neſcio quo pacto vilia hoc tempore capita mors aſpernata, id vnum agere videtur, vt in purpura veſtra triumphet. Quare, cum ita ſæpe ad ornanda lugubri pompa ordinis ampliſſimi iuſta conueniatis, eſſet orationi meæ molliendus hic aditus, niſi iſta frequentia, niſi omnium in extinctum veſtri Senatus ampliſſimum Patrem, Arnaldum Doſſatum, ardor, ac ſtudium audientiam mihi nihilo minus facilem pollicerentur. Excurram ergo, quoniam ita iubetis, hoc campo : ſed quia per obiecta mihi ſpatia longius euagari, neque tenuitas mea, neque

que publicæ occupationes veſtræ patiuntur, per compendia potius iero, quàm per viam. Initium itaque faciam ab ea parte, quam alius fortaſſe velut impedimentum cauſæ callida declinatione defugeret. Habent enim plerique, quod ipſo ſtatim initio magnificè dicant de patria, de natalibus, deque illius claritate, quem ornant. quo equidem in genere omnino laborare me fateor: ſed ita, vt hoc ego ſummum cauſæ præſidium putem, & quaſi fontem, vnde mihi ſit ducenda laudatio. Nulla ergo fuerit Arnaldo Doſſato in ſplendidiſſimo illo Galliæ regno clara, & nobilis patria, nullæ imagines, nulli tituli, nulli maiores. Quid hoc aliud eſt, niſi fabrum fuiſſe fortunæ ſuæ? quid aliud, niſi laudis ſuæ nullum habere participem? cum ex ea, neque patriæ claritas, neque generis antiquitas, neque parentum imitatio poſſit ſibi quidpiam vſurpare? Haud ſcio, an optabilius ſit, ita naſci, vt ſolus tibi lucere poſsis, quàm ortum nanciſci maiorum nobilitate, hoc eſt aliena luce perilluſtrem. Certe ſapientiſſimus hic vir auditus eſt ſæpe, cum diceret quaſi per iocum, & glorians, ſibi puero ex patrimonio libellam ita exilem, & gracilem obueniſſe, vt vix fuerit ſatis perſoluendis exequijs, & componendo parenti.

Sic igitur ille, miſeris, obſcuriſque, genitoribus, progenitoribus nullis, Caſſanaberri in Conuenarum Aquitaniæ ignobili pago, veluti magnus fluuius ex paruis initijs ortus, ad gloriam,

virtutis via, honeſtaque contentione graſſatus, paulatim auctus, amplificatuſque eſt: atque ad honorem ſummo proximum in hac Vrbe tandem aliquando peruenit. Et quantam quidem virtutem, quàm exaggeratam fuiſſe neceſſe eſt, Ampliſſimi Patres, quæ à veſtro iſto quaſi mortalium Deorum Concilio comprobata, in hoc auguſtiſſimum Honoris templum, corona inſignis, & purpura eſt introducta?

Glorioſiſſimum eſt apud omnes nationes huic Imperio, tam multos veluti Reges facere poſſe, aut Regibus pares habere Senatores: ſed illud ſimul intelligunt vniuerſi: qui ſine veteri nobilitate, ſine opibus, ſine clientelis, ſine vlla commendatione fortunæ in iſtum Senatum adlegatur, eum excellentiſſima ſapientia, ſpectatiſſimaque virtute munitum eſſe oportere. Illis igitur aduentitijs, externiſque deſtitutus adminiculis Arnaldus, quantum habuerit ad honorem, quem conſecutus eſt, in virtute præſidium, ita facilè intelligemus, ſi altius eius vitæ rationem, ac ſtudia repetamus.

Admodum adoleſcens, ac penè puer vtroque parente orbatus, incredibile dictu eſt, quantopere & ipſe per ſe, & quadam inductione naturæ, pietatem, verecundiam, temperantiam, caſtimoniam, omnemq; morum integritatem amarit, quantaq; cum animi, corporiſque patientia litteras ſit perſecutus. Quibus non mediocriter inſtructus, ad Pariſienſem primum,

deinde ad Biturigenſem Academiam profectus, Iacobum Cuiacium ſcriptis, famaque percelebrem, multum, & diligenter audiuit. Tum reuerſus Pariſios, omni diſciplinarum genere, inprimiſque Iuriſperitia ſingulariter inſtitutus, multo ſane tempore in foro eſt, iudicijſque verſatus. Sed admonitus tandem à Paulo Foxio Archiepiſcopo Toloſano, clariſſimo viro, atque doctiſſimo, vti concertatoriam illam, iudicialemq; palæſtram tam pio videlicet ingenio reclamantem, repugnantemq; relinqueret; paruit ſaluberrimo hominis conſilio, ab eoque, & in familiaritatem domi, & in ſtudiorum conſuetudinem eſt receptus. Interea Foxius Romam ad Pótificem Legatus à Rege decernitur. Quo in obeundo munere, cùm idoneum hominem habere cuperet, quo vteretur à ſecretis, ea gratia Romam adduxit in illa legatione Doſſatum, quem & fidelem, & ſapientem, & grauem in diuturna conſuetudine comperiſſet.

Hic enimuero egregia Doſſati virtus iuſtum aliquando nacta theatrum, cœpit agere partes ſuas pro dignitate. Coluerat ille quidem antea ſemper in omni vitæ parte, atque adeo iam inde à puero innocentiam, ac probitatem: dederat exquiſitæ doctrinæ, ingenij, conſilijque ſpecimen ſingulare. Sed neſcio quo modo illa gloriæ ſemina velut in ſolo maligno non reſpondebant; tantæque, tam amplæ, tam magnificæ virtutes tanquam in receſſu, ac ſolitudine pre-

mebantur. Hìc ad maturitatem perductæ illæ gloriæ fruges: hìc illa virtutum lux aperto, ac libero cælo diffuſa, incidit in honeſtorum hominum oculos, venitque in prædicationem nobilitatis. Habet hoc Roma Vrbium Regina, maieſtatis, & gloriæ domiciliũ; vt nulli conuenarum infenſa nouitati ſit, & hoſpitali quaſi iure omnẽ virtutem quamtumuis peregrinam amplexa, in ſuo eam lumine collocet, hoc eſt in foro, atq. theatro terrarum. Quod ius quanta cum fidelitate reddiderit Arnaldo Doſſato, communia de illius virtute populi præconia teſtificantur. Quotus enim quiſque non prædicat hominis tanti prudentiam, iuſtitiam, benignitatem, cæteraq. moderati animi lumina, quæ alio fortaſſe loco velut in obſcuro delituiſſent? In ore omnium eſt, & vulgò dicitur, tantam, tamq. præclaram ei eruditionem fuiſſe, atq. doctrinam, vt non modo iuriſprudentiſſimus eſſet, quam ipſe facultatem profitebatur, verum etiam Theologiæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, Humanitatiſque ita intelligens, ac peritus, vt excellens in ſingulis haberetur. Ducuntur alij quaſi quodam inſtinctu ad ſolam ſcientiam iuris ciuilis, alij tantum ad eloquentiam, alij ſolum ad diuinam rerum cognitionem, alij ad naturalium inueſtigationem, inquiſitionemq. cauſarum; ſic prorſus, vt cum illa veri cupiditate, quæ nos vehementiſſimè rapit, ac trahit ad ſe, hoc etiam hauſiſſe malignius à natura videamur, vt nemo queat pluribus diſci-

ſci-

ſciplinis excellere. Huic, ita pariter ad omnia verſatile fuit ingenium, vt quod de Porcio Catone ſcribitur, natum ad id vnum putares, quodcunq. facere aggrederetur: Si ius conſuleres, peritiſſimus, ſi dicendum eſſet, eloquentiſſimus, ſi de diuinis, humanisq. rebus diſputandum, longe videbatur omnium ſcientiſsimus. Et extitit profecto à vobis mirifica tam variæ, multiplicisque doctrinæ adprobatio, Patres Ampliſsimi: à quibus ſapientiſsima eius in Senatu reſponſa cum adſenſu, atque admiratione ſuſpiciebantur. Extitit egregium Pontificis Max. de tanta ſapientia teſtimonium, cum eum ad grauiſsimas illas, de Tridentino Concilio, deq. librorum delectu Conſultationes honorifico ſanè iudicio cooptauit. Neq. enim Reipublicæ ſterilis erat illa Doſſati cognitio: ſic, vt deſides philoſophos imitaretur, qui diſcendi ſtudio à rebus agendis abducti, quos iuuare deberent, eos deſertos eſſe patiuntur. Ita enim ſolitudine ille, atq. commentatione doctrinæ delectabatur, vt quod eo labore pararet, conferret in medium ad publicas vtilitates. Et quoniam probè norat, omnem virtutis vim actione cōtineri; coniunxerat cum ea mentis agitatione omnia omnino animi ornamenta, quæ, vel ad diuinum cultum, vel ad aliorum cōmoda referuntur. Inter ſummas grauiſsimarum rerum occupationes nihil vnquam illi prius, aut antiquius fuit, quàm vt Deum caſtè coleret, ac veneraretur. Nam præter ſanctiſſima

ſacra, quibus ſæpiſſimè litabat, ſtatas, ſolemneſq. domi precationes inſtituerat, quibus, ipſo quaſi præeunte, omnem circa familiam affuſam adeſſe volebat: neque in illo pietatis officio poterat quiſpiam è domeſticis impunè deſiderari. Vſu receptum in Gallia eſt, vt pleriq. iuuenes, ex ipſo flore nobilitatis, Romam, ad belli, paciſque perdiſcendas artes accedant: quo de genere multi ſæpe in Vrbe, atque aſsiduè commorantur. Hi, diebus feſtis, animo vacuo, ſoliti erant ad Arnaldum, quaſi ad morum magiſtrum, immò tanquam ad oraculum conuenire. Quibus ille benignè, ac perhumaniter acceptis, iubebat primum ſacris intereſſe, quæ ipſemet ritè purèque, ac ſumma cum religione faciebat. Tum ad eos reuerſus, multa de Deo, multa de rerum humanarum fluxu, atque interitu, multa de Chriſtiani hominis officio diſſerebat: atque, vt erat totius cognitione antiquitatis eruditiſsimus, ſuos cuique maiores, omnibus antiquiſsima Galliæ decora commemorabat; in primiſq. vniuerſos ad fidem erga Regem, ad pietatem erga patriam hortabatur. Quibus illi facibus, vt eſt ea natio appetentiſsima gloriæ, vehementer excitati, dici vix poteſt, quantum ad omnem honeſtatem, & laudem accenderentur. Ita ille homines ſuæ vigilantiæ minimè demandatos inſtituebat: ex quo facilè poſſet intelligi, quantoperè laboraret in ſuis, niſi alia via rem exploratam haberemus. Ex litteris quippe optimi viri, qui

eius

eius in Gallia Baiocenſe Sacerdotium opera vicaria procurabat, accepimus, tantam in ea prouincia Doſſato Antiſtite, intra quatuor annos factam fuiſſe diuini cultus acceſsionem; quantam ne intra quadraginta quidem ſuperiores facere potuerunt. Et libenter quidem in hoc eius ornando erga diuinum cultum ardore diutius immorarer, niſi orationem ad ſe traherent alia: quæ quia pertinent ad plures, faciliorem habent ab omnium adſenſu laudationem.

Nam quid ego primum dico de ſolertia, deque publicæ, priuatæque gerendæ rei arte mirabili, ac dexteritate? Intellectum eſt ſuperioribus annis in multis, maximeque cum perturbatæ, diſtractæque res Galliæ, fuerunt Pontificia poteſtate componendæ. Cum enim fuiſſet à Foxio Legato, quod ſupra commemoraui, delectus à ſecretis, atque in hac Vrbis luce propoſitus; tum ingenio, tum hauſta iam Romæ diſciplina ita ſuas partes impleuit, vt à Nicolao Villaroo intimo Regni Conſiliario, artiumque ciuilium peritiſſimo habitus ſit admirabilis opifex rerum agendarum. Quapropter eum abſens, & quem nunquam de facie nouerat, ita cœpit amare, magnificiſq. apud Regem quotidie verbis extollere, vt extincto in ea legatione Foxio, Arnaldus decretus ſit Regius Romæ procurator, ad quem legationis mandata deuoluerentur: quæ profectò illo tempore adminiſtrauit ſolus, & poſtea ſemper, tum à Regni Tutoribus, tùm à

Lega-

Legatis publica Galliæ negotia ſumma cum laude participauit. Et quidem quàm grauia, quàm difficilia Deus immortalis? Non enim multo poſt cœpit tota Gallia primo ſeditionum motibus agitari, deinde grauiſsimo bello percuti: ad extremum cæſo Rege, quaſi ruente faſtigio conquaſſari. Quid inde conſecutum ſit, luctuoſius eſt, quàm vt debeat hoc loco commemorari: ciuium cædes, amicorum diſſidia, cognatorum infidelitates, contempta religio, rapta profana, ſacra profanata. Rerum tandem aliquando potitus eſt Henricus Quartus, inuictiſſimus bello Rex: in cuius hodie ſinu Gallia conquieſcit. Videbatur ex ſumma victoria, ſumma pax conſecuta: ſed cum priore bellorum turbine omne diuinum Ius conuulſum, atque peruerſum eſſet; niſi religio conſtitueretur, ſæuiores in dies ex hac nube procellæ metuebantur. Statuit ergo fortiſſimus Victor huic quoque periculo prouidere; ac petenda publicè à Pontifice venia, triumphum ſuum memorabili pietatis exemplo nobilitare. Arduum hoc erat, & quod nauum hominem, cui res demandaretur, ſummaque prudentia præditum poſtulabat. Itaque Rex, cui, vt ſumma belli peritia, ita incredibilis eſt ad internoſcendum cuiuſque ingenium, prudentiamque calliditas, cum Iacobo Peronio Epiſcopo Ebroicenſi, humani, diuiniq; Iuris peritiſſimo, diſertiſſimoque in paucis negotium dediſſet, vti Romam profectus, ageret

in

in Senatu de reconciliatione,deque veteri religione reſtituenda,multis in Gallia prætermiſsis, viris alioqui ſapientiſſimis, Peronio Collegam Arnaldum Doſſatum, qui Romæ iam erat, ſuo iudicio deſignauit. Is, quanta cum prudentiæ ſignificatione in hoc præcipuo laudum ſuarum actu verſatus ſit, recordamur vniuerſi. Implicitum ſanè, inuolutumque negotium illud fuit. erant quippe multa inter ſe diſtracta, atque pugnantia ex multorum ſententia componenda. In ea tamen re peragenda, ita ſe ipſe tractauit, vt & Pontifici ſatisfecerit, & Regi ſummopere placuerit,& Chriſtianæ Reip.pepererit,pacato nobili regno,tranquillitatem.

Quæ res illi meritò, & in Gallia commendationem honorabilem attulit, & Romæ Regio poſtulatu dignitatem, ac purpuram maturauit: quam ipſe propterea in omni ſermone, vt erat animi voluntate gratiſſimus, acceptam vni Regi Galliæ referebat. Ac ne idcirco venundatum eius ſuffragium, eoque beneficio ad æqua, ad iniqua iam obſtrictum, atque oppigneratum putaremus; dicere ſolitus erat, ſcire ſe, Regem ſuum non niſi iuſta flagitaturum: ſi tamen inciderent ea tempora, quibus temporibus aliter id eueniret,atque ipſe putaret,tum enimuero nunquam futurum affirmabat,vt eius rogatu ne anguſtiſſimum quidem vnguem recti lineas tranſiliret. Nullæ in eo fallaciæ, nullus fucus:admirabilis animi candor, incredibilis æquitatis, iu-

ſtitiæ-

ſtitiæque tenacitas; recti amor, ac ſtudium inauditum. Ex quo fonte modeſtia quædam, ac moderatio fluxit omni poſteritati memoranda. Viginti amplius annos Romæ fuit, & bonam quidem partem in Principum rationibus procurandis: quo toto tempore nullas vnquam opes, nullas ſibi copias comparauit: ita videlicet in hoc ſanctiſſimo foro ſimpliciter, ac more maiorum, ſine cupiditate atque auaritia verſabatur. Sacerdotium in Gallia, & honeſtum opinor, & opulentum à Rege ſuperiore ſibi oblatum, bona fide acceperat: ſed quia ſuboriri cœpit in ea poſſeſſione aliqua diſceptatio, illa ſe ſtatim abdicauit, libero iure Pontifici, Eccleſiæque remiſſo. Munera, tanquam libertatis humanæ pretia, animique corruptelas, neque accepit ipſe, neque accipi vnquam eſt paſſus à ſuis. E quibus vnum, cum non nihil in eo genere aliquando peccaſſe cognouiſſet, illico reddere iuſſit accepta, & lucri iacturam compenſauit de ſuo: vt ſimul exiſtimationi domeſticæ conſuleret, ſimul alienæ cupiditati moderaretur. Tenent plerique memoria, quàm carus eſſet Arnaldus Eſtenſi Cardinali ſuperiori, Principi celeberrimo, maximoque. Is, cum extrema iam valetudine teſtamentum conderet, Arnaldo, qui pro neceſsitudine, atque officio aderat, quatuor aureorum millia legauit. cumq; pertimeſceret, ne vir moderatus, ac bonus difficile à teſtamenti procuratoribus eam ſummam extorqueret,

per-

pergrandem illi, clariſſimamq; gemmam, quæ viginti aureorum millibus æſtimabatur, in manus coniecit, vt eam veluti prædem haberet, quoad legata perſoluerentur. Erat Arnaldo eo tempore, vt poſtea ſemper, res familiaris anguſta: conditio minimè iniqua videbatur; res expetibilis, & quæ facilè cupiditatem alliceret. nunquam tamen ille, neque rei magnitudine, neque amicorum hortatu, neque precibus optimi Principis, qui hoc etiam atque etiam vehementiſſimè contendebat, adduci potuit, vt eo pignore videri vellet, vel parum alienæ fidei credere, vel ex amicitia facere mercaturam. Permultos, opinor, quos de temperantia laudare ſolemus, vicit hac animi moderatione Doſſatus; ſed ſunt alia in quibus videtur ipſum ſe ſignificatione modeſtiæ ſuperaſſe. Tantam de illius fide, atque prudentia Rex proxime ſuperior opinionem animo conſignarat, vt de eo ad ſe recipiendo cogitaret: quo, & ab intimo conſilio vteretur, & à ſecretis. Cum ergo ei tàm amplum, honorificumque munus per nuncium obtuliſſet, conſtantiſſimè recuſauit homo bonus, ac temperatus; maluitque in mediocri fortuna ſecuritatem, quàm ruinæ periculum in ſuprema.

Aſperum aliquis hominem, ac ſeuerum putabit, qui opes, qui munera, qui gratiam tanta cum elatione repudiaret. Fit enim ſæpe, vt homines obſeruatè iuſti, ſupraque modum cupiditate inuicti, incommodo ſint ingenio, innocentia

centia rigida,probitate quodammodo peracerba.Nihil profectò minus in hoc homine deprehenderes: immò dicere ſolitus erat, æquum, & bonum latius patere debere,quàm ius:atque adeò Catonem facetè reprehendebat, quòd ſeruos venderet,vbi conſenuiſſent. Quare tantum abeſt, vt clariſſima illa vitæ ſuæ decora vlla vnquam ſeueritatis macula contaminaret, vt è magnis eius,plurimiſque virtutibus nulla eſſet, quæ plus extaret, emineretque ſupra cæteras, quàm benignitas, manſuetudo, facilitas, aliaque animi ornamenta leniora. Nemo vnquam ad eum acceſsit,officium petiturus,quem benignè non exciperet,foueret,& quibuſcunq; poſſet rebus adiuuaret.atq; vt haberet quo miſerorũ egeſtati conſuleret, multa ſibi de breui ſuo cẽſu,curtaq;ſupellectili detrahebat. Quid quod ea vir dignitate libellos etiam ſupplices calamitoſis,deſtitutiſq;dictabat,eorumq;negotia;& in ſeſe recipiebat, vt ſua, & tanta cum vigilantia, curaq;tractabat;vt Regiam procurationem diligentius tractare nõ potuiſſet?In quo genere,niſi longitudinẽ fugerem, non prætermitterem officia,quę pleriq;Religioſorum ordines gratiſsima teſtificatione commemorant. Vt enim ab expoſita illa ſua, liberalique voluntate neminem vnquam arceret,libentius tamen, atque impenſius, vt erat religioſus,ac pius, talium cauſas,ac negotia procurabat. Intelligit quid à me dicatur D.Bernardi familia, intelligunt, è Franciſcana,

na, atque Dominicana in Gallia ij, qui veteri reuocata diſciplina,arctiorem vitæ modum, rationemque ſequuntur: ac ne ſingulos enumerando percenſeam, intelligimus omnium maximè nos, quicumque huic Ieſu Sodalitati nomina dedimus: quibus ſi glorioſum eſt hoc tempore toti Galliæ regno ſumma bonorum gratulatione reſtitui; tanta gloria, niſi eam ſibi totam liberaliſsimus Rex vindicaret,nonnihil in hunc pium, atque officioſiſsimum Principem referenda eſſet:qui,ne requiſitus quidem, quantum poſtea compertum eſt, ſedulò ſtudioſèque per litteras cum Rege hac de reſtitutione tranſegit.

Nimium quantum, neſcio quid immenſum bellicoſiſsime, ac Religioſiſsime Rex Henrice debemus tibi:qui cum iracundiæ facile modum habeas, de nobis bene merendi finem inuenire non potes. Parum videlicet erat iſtius animi prolixitati, tuæ nos gratiæ reconciliare, niſi etiam obrueres beneficio,quos ornares.Tu nobis iſta tua clementia, ac liberalitate feciſti, vt optabilius eſſet,vel errore bonorum,vel improborum conſpiratione, è regno tuo, hoc eſt ex antiquiſsimo Religionis Aſylo cum ignominia, infamiaque depelli. quàm hoc honorifico iudicio tuo, quam hac publica virtutis commendatione,gloriaque carere.Debemus inquam tibi tantum, quantum explicare non poſſumus. Sed patere Arnaldo etiam Doſſato hac nos officij commemoratione gratos eſſe: quem tu,niſi

tuo

tuo tantum iudicio, ac voluntate beneficus in nos eſſe voluiſſes, vocaſſes profecto in aliquam tanti beneficij ſocietatem.

Redeo ad ipſum Doſſatum, immò verò non redeo:ſed nunc ipſum breuiſsima hominis com mendatione perorabo. Habent in eius interitu, quod doleant vniuerſi:Senatus, qui conſultiſsimum virum:Tribunalia,quæ ſanctiſsimum iudicem:eruditi, qui præſidem:illiterati, qui patronum:Religioſorũ ordines,qui tutorem,ac paren tem cariſsimũ amiſerunt.Sed nemo maius quàm Gallia ex hoc eius obitu vulnus accepit; cuius cõſilio difficillimis tẽporibus cõſeruata eſt, cuius ſapiẽtia inter varias,diſtractasq;perfidioſorũ hominũ opiniones,ſectasq;in veteri officio,hoc eſt in Rom.Pont.Imperio ac poteſtate retẽta eſt.

In vobis tantum Clariſsimi Principes Gioioſa Cardinalis,atq; Betune orator,amiſſo iam communis tutelæ collega, regnũ illud ampliſsimum reſpirabit; veſtrum auxilium implorat, veſtras reſpicit manus:in vos ſunt omnium preces,ſupplicationesq;conuerſæ.Si,quod eo viuo,collata opera faciebatis, aduocationem illi Regno veſtram,atq. præſidium ſoli commodabitis, ſi eorum,quos Doſſatus, tanta cum charitate complectebatur,inopiam ſubleuandam, hereditario quaſi iure ad vos trãſmiſſam eſſe,& officijs acceſsiſſe veſtris exiſtimabitis; erit cur Gallia lenius,æquiuſq;iacturam ferat,erit cur minus nos de tanto nobis ſublato præſidio doleamus.

IN

IN FVNERE ROBERTI CARD. BELLARMINI.

ORATIO XVI.

Habita Romæ, in Templo domus Profeſſæ eiuſdem Societatis Idib. Octob. Anno 1621.

MAGNVM è Collegio Purpuratorum ſuperioribus hiſce diebus extulimus hominem: magnum ſanè parentem, ac patronum amiſimus: magnum ipſa religio cuſtodem luget, ac defenſorem: magnum, vt ſemel dicam, mihi video propoſitum argumentum, ROBERTVM BELLARMINVM Cardinalem, Tutorem, Præſidem, Conſiliarium, Senatorem Chriſtianæ Reipublicæ magnum. Mentiuntur haud dubiè, ac ſæpe mortalibus imponunt Mathematici quidam doloſa Chaldæorum inſtituti diſciplina, qui diuinare ſe putant, ac futura prædicere: nec quiſquam paulo ſapientior eſt, qui genus hoc

hominum, vt dixit ille, conſulentibus infidum, ſperantibus fallax, qui malitioſam hanc artem commentis, & mendacijs illaqueantem plurimos, vetari legibus ſemper, ſemperque retineri non conqueratur. Mirantur tamen aliqui, cur ex fallaci doctrina reſponſa quædam fortuita ſanè, atque inconſtantia, ſed euentum interdum habentia, vulgòque probata proficiſcantur; tum præſertim, cum totius anni futuras belli, paciſque viciſſitudines, aëris ſalubritatem, aut luem, annonæ pretium, pecudum valetudinem, aut morbos, hominum interitus, & funera ex aſtrorum notatione generatim, vniuersèque ſignificant. Quam profectò nonnullis admirationem in hunc Bellarmini deceſſum curioſius, quàm par eſſet intuentibus, mouit nuper iſtorum aliquis, qui pronunciare non dubitauerat, hoc annò vertente, magnum è viuis eſſe demigraturum Antiſtitem. Excitarat adeo plurimorum expectationem illa prædictio, perquirentium, ecquis ea magni nominis appellatione deſignaretur ad obitum. Sed confeſtim ambigua ſuſpicione liberauit eorum animos exemptus è mortalium numero Bellarminus; cuius tanta magnitudo nominis eſt, vt hunc demum eſſe putauerint, cuius exitus è vita fortuitò fuiſſet, & caſu denunciatus. Mihi quidem neque prædictum harioli, neque vulgi ſimplex iſta probatur, & credula natio: veruntamen ex illa interpretatione prorſus intelligo, hoc omnes exiſtimaſſe, id-

que

que me poſſe probantibus vniuerſis, ac iure contendere, Magni cognomentum multo ſane magis in purpuratum hunc Antiſtitem cadere debere, quam in eos, qui olim à magnitudine rerum geſtarum illum ſibi titulum inuenerunt. Eum enim verè magnum dici poſſe, atque hoc nomen in eo tantummodo poni debere crediderim, in quo virtus illa deprehendatur, quæ quoniam humano faſtigio ſuperior eſſe videtur, ac maior, ab officiorum præceptoribus appellatur Heroica. hæc autem non vna eſt militaris illa fortitudo, quam poëtæ immanibus etiam, & truculentis hominibus interdum attribuunt; ſed ipſius quoque temperantiæ, manſuetudinis, ac modeſtiæ, ſingularum denique virtutum apex, & extremitas vltima præclaro illo nomine cohoneſtatur. Nullis adeo virtutis Heroicæ legibus inhibemur, quo minus hunc ſacri Senatus moderatiſsimum, ac modeſtiſsimum Patrem dicere magnum excellenti nomine debeamus; cum ipſis quoque lenioribus congruere virtutibus nomen illud Heroicum poſſit, ſi eum gradum eminentem, ſupremamque determinationem attingant, quæ non tam in homines conuenire videatur, quam in aliquos omni humano captu, atque ingenio celſiores. Quamquam ne illius quidem fortitudinis, cui ſolum Heroicum nomen imperitia poëtarum impartit, ſi minus expreſſam vim, certe ſimilitudinem aliquam in hoc homine prorſus, omninoque

V 2 deſi-

deſiderabimus ; ſi eius intueri ſcripta illa voluerimus, quorum impreſſione bellum Chriſtianæ Reipublicæ perduellibus acerrimum fecit, facietque quoad litteræ loquentur, & monumenta ſtabunt, quoad erit humanum genus, quoad ipſa rerum vniuerſitas communi populorum omnium rogo, ac tumulo conflagrabit. Statuarum ſe poëta Pindarus eſſe gloriatur, & dicit artificem; non tamen ea ſigna cælare, ac facere, quæ vel temporum, hominumve iniuriæ ſint obnoxia, vel motu careant, ac vita, vel ſua ſemper in baſi, & loculamento conſiſtant; ſed carmina condere ſtatuis meliora, quæ terras, ac maria peruagentur, quæ victorum coronas toto terrarum orbe circumferant, quæ nullis ſint, aut bellorum, aut temporum, aut aliarum calamitatum procellis, ac tempeſtatibus opportunæ. Glorietur hic etiam noſter, ea ſe compoſuiſſe, ac reliquiſſe poſteritati armamenta doctrinæ, quorum beneficio, ac vi, non in vna, vel altera terrarum ora, non vno, vel altero tempore, ſed vbique, ac continenter implacabile bellum cum deſertoribus olim geſſerit, geretque ſemper in poſterum, vita quidem functus; ac ſpiritu caſſus, at in monumentis illis æternùm ſpirans, atque ob rem pro Chriſtiana religione feliciſsimè geſtam, ipſa nominis immortalitate ſuperſtes. Sed vt planius, explicatiuſque propoſitum attingam, & ea, quæ de doctrina dicenda eſſe arbitror, in loco dicam, ac ſeparatim, ita ſtatuo:

in Bellarmino, quem iure magnum appellari debere contendimus Antiſtitem, magnam oppidò fuiſſe ſapientiam, magnam religionem, ac pietatem, magnam rerum humanarum contemptionem, temperantiam, manſuetudinem, modeſtiam, ac moderationem, cæteras denique virtutes huiuſmodi faciliores etiam magnas; hoc eſt eas, quæ communibus egreſſæ finibus, humanum viciſſe modum, menſuramq; mortalitatis omnem ſuperaſſe videantur. Et quoniam doctrinæ ſplendor eximius in hoc primo veſtibulo confeſtim occurrit, huius ego ductum aduerſitoris vltrò, ac libentiſsimè ſequar, qui & clariſsimam præferet cæteris virtutibus in itinere facem, & Heroicam in hoc homine laudem eſſe multo facillimè demonſtrabit.

Ex honeſtis, boniſq; maioribus in vrbe Politiana, quod norunt vniuerſi, Bellarminus eſt natus: quibus vt ipſe continuò moribus, ac pietate reſpondere ſtuduerit ſingulis; multo ſe tamen ſimiliorem exhibuit auunculo ſuo Marcello Ceruino Pontifici Maximo, religioſiſsimo, doctiſsimo, ac prudentiſsimo viro, quem Chriſtianus orbis tamquam è cœlo per machinam in hoc Theatrum extemplò demiſſum effusè gratulatus eſt, ex eodem repente ſubductum vehementer indoluit. Anno ætatis ſextodecimo nondum exacto, humanarum pertæſus, atq; affectus faſtidio rerum, Sodalitatem hanc noſtram infantem adhuc, & prope creſcentem in

cunis precibus expetijt infimis: ſed cum à patre ad explorandam animi conſtantiam in quodam vico Ceruinorum attineretur, præterquam quod, operi futuro præludens, ad paganos de Deo, deque Chriſtiani hominis officio concionabatur aſsiduè, in conſanguineorum etiam æqualium Academia, vbi alium alij ſcriptorem explicabant, orationem ipſe pro Milone Ciceronis egregiam, atque vt antiquorum aliqui loquuntur, orationum Reginam auſus eſt illa ætate puer interpretari. quo tempore, vt eius quoque facultatis, in qua mirabili modo iuuentutis prodere ſe ſolet ingenium, & amœnitas animi, ſpecimen aliquod daret, carmen fundere cœpit, & bonum, & multiplex: nam cum alia multa latina, popularique lingua poëmata fecit, tum vnum, quod primum fuit, de virginitate præclarum, & eclogam, elegiamque de Roberti Nobilij Cardinalis obitu longè pulcherrimas; quæ in hominum honeſta corona pronunciatæ, non modo cum acclamatione ſunt exceptæ, verum etiam auditæ cum lacrymis. Cum hac indole poſt aliquod tempus hanc Sodalitatem ingreſſus, illico cœpit inter excellentia ingeniorum lumina, quibus etiam tum effloreſcebat hic cœtus, ita præfulgere, vt philoſophicis tantum imbutus artibus, necdum ſacris initiatus, ſimul ad domeſticos de virtutum cultu ſtatis ex more diebus verba faceret, ſimul humaniores in Gymnaſio doceret litteras, ſimul ſacras expli-

ca-

caret in templo, tanta cum approbatione, quantam ne ipſi quidem veterani promerebantur. In quo munere cum Monti Regali Ciſpadanorum vrbi præclaram initio nauaſſet operam, Florentiæ deinde, ac Pataui), tum denique Venetijs, in Vrbe domina, prima noſtrorum hominum iam inde ab initio Societatis altrice ſummam conſecutus eſt laudem: vbi eum nobiliſsimi, diſertiſsimique Senatores, quorum illa Reſpublica florentiſsima, & ſingulari ſapientia regitur, & abundat numero, non cum admiratione ſolum audiuerunt è loco ſuperiore dicentem, verum etiã ad extremum opera perſunctum ſua, & diſcedentem exoſculari cum pietate voluerunt. Pauciſsimi quidem ſuere, ſed tamen fuerunt aliqui ad militaria ſtudia ſic facti, vt exercitus antè duxerint, & copias, quàm aut in tirocinio fuerint, aut inter gregarios ſtipẽdia fecerint: id quod nominatim cõtigiſſe Lucullo ferunt; qui propter incredibilem ingenij magnitudinem ſubitò ingreſſus eſt imperator in Aſiam, cum fuiſſet rei bellicæ rudis ex Vrbe profectus. Sed quod in re militari tam rarum exemplum eſt, id ego video in omni doctrinæ laude Bellarmino adoleſcenti ſingulariter eſſe conceſſum. vt enim Auguſtinus omnium illa genera rerum, obſcuriſsimo ab Ariſtotele ſtylo deſcripta, nullo magiſtro præeunte percepit, ſic ipſe difficillimas quaſdam, grauiſsimaſque docere aggreſſus artes, optimus repente magiſter apparuit earum

rerum, quarum, aut nunquam, aut certè vix fuiſſet ante diſcipulus. Miſſus in Belgium eſt necdum Theologiæ cognitione penitus inſtitutus in ſchola, nec vllis inſtructus Ordinibus ex ijs, qui Sacerdotio præparant viam; ita prorſus, vt neceſſe habuerit Leodij minores omnes, & è maioribus ac ſacris vnum accipere, reliquis autem Gandaui à Cornelio illo Ianſenio, cuius in Euangelio laus, & perfecta lucubratio eſt, aliquando fuerit inſignitus. Et tamen illa ætate iuuenis, ac tiro ſacrarum intereà monumenta litterarum latina concione Louanij ſic interpretabatur in templis, in exedra Theologiam, excellentem illam, diuinamque ſcientiam ita docebat, vt clamoribus vndique factis, ad eum audiendum vtriuſque rei cauſa ab innumerabili multitudine cum pugillaribus, & palimpſeſtis ex tota prouincia concurreretur. Hìc videlicet, vbi nouitius præceptor inter imperatoria munera tam egregia rudimenta ponebat, meditari cœpit bellum, quod poſtea, & indixit animosè, & ſuſcepit ardenter, & promouit conſtanter, & bona demum ex parte profligauit aduerſus Eccleſiæ transfugas, quibus in toto terrarum orbe vix habet alios hoſtes Chriſtiana Religio capitaliores. Vagabantur multis ſane locis, & Chriſti fundum, regnumq; vaſtabant hæc monſtra, ferocitate formidoloſa, veneno peſtifera, numero infinita. Repebant humi quædam, mor-

mordebantque prætereuntes, quaſi dracones, & colubri per inſidias: alia volutabantur in cœno, nec extra popinas, & ganeas egrediebantur. alia velut Harpyiæ quædam Angelorum illum panem, & Regum delicias conabantur inficere: alia tamquam tauri cornibus, pedibuſq; aras, ac Cælitum imagines euertebant; alia Regibus, ac Dynaſtis infenſa ſanguine reſpergebant vrbes, templa, fora, loca omnia vulneribus, ac cæde cruentabant. Singula denique ſeparatim ipſa per ſe monſtra erant immania, communiter, & coniunctim Hydram componere videbantur, cuius vulnera periculoſiora eſſent, & fœcundiora, quàm ſanitas. Non tamen eſt tanto labore, periculoq; deterritus hic Imperator: ſed comparata ſibi diſciplinarum, litterarum, linguarumq; omnium copia tanta, quantam ne multi quidem ſimul homines aſſequi poſſent, claſsicum cecinit illud, quo tamquam leonis rugitu perterrefactæ minores belluæ, ad meditandum effugium intra latibula ſe condiderunt. Bezæ quippe coryphæi, atque anteſignani repentino veluti fulmine percuſsi, è Geneuæ gurguſtio demum audita vox eſt, vi quadam diuina, & quaſi machina veritatis extorta; cùm primo illo controuerſiarum inſpecto volumine, vbi de pontificis auctoritate diſſeritur, exclamare coactus eſt; hic liber enim verò nos perdidit. Eoſdem alij quoque clamores emiſerunt, ac lacrymas, impendiòque cogitare cœperunt,

qua

qua ratione ruinæ poſſent occurrere, quam ſuis imminere ceruicibus intuebantur. Confeſtim in Britannia certum excitauere ſuggeſtum, ſedemq; conſtituerunt à cæteris ſeiunctam, & propriam, ex qua refelleretur accuratè, ac ſedulò Bellarminus. hoc enim confutato, putabant arcem omnem Catholicæ religionis amoliri ſe poſſe; quemadmodum eorum vnus ſcriptis ad virum primarium hiſce litteris haud dubie ſignificauit. gaudere ſe, quòd Bellarmini vulgata eſſent opera, quorum lectione plenisſimè demum, certiſsimèq; poſſet intelligi, quid in vnaquaque de religione controuerſia Romanæ vindices Eccleſiæ cenſerent, quæve medulla eſſet Pontificij dogmatis intima, quæ non magis in ipſo Pontifice, quàm in Ieſuitis (ſic enim ipſe loquitur) eſſe crederetur. Infelicē, & eum, quem omnino merebatur exitum nacta eſt tam inſolens, ac putida diligentia: cum ex ea ſchola permulti de ſuo iam dubitantes errore, plurimi quoque mutato planè conſilio, atq; ad veritatem conuerſi quotidie digrederētur. Intellexerunt adeò, fruſtra ſe demum conari clauam illam infringere, quam Hercules haberet in manu: & iam tota Britannia in eos, qui curioſè, obſeruateq; meditabundi cernuntur in via, commune quaſi prouerbium dicitur; de Bellarmino refellendo, tamquam de Atlantico mari per cotylam exorbendo cogitare. Quin ita ſibi perſuaſerant omnes; Bellarminum ſtatura procera, huma-

ma-

magnumque ſupra modum eminenti præditum fuiſſe natura; nec ijs habebant fidem, qui teſtabantur, hominem ſe Romæ, alibique vidiſſe non ita magnum, ac paruo potius inſtructum corporis habitu, quàm excelſo. Neque enim fieri poſse putabant; vt prægrandi quoque ſtatura, & corpore non eſſet ille, qui animo, ac doctrina fuiſſet contra Gigantes iſtos, Titanasque Centimanus. In ſumma, veritatis ineluctabilis eſt vis, fruſtraque teſtes adornantur aduerſus conſcientiæ iudicium, quod corrumpi, deprauariq; non poteſt. Nam cum omni lapide commoto, efficere ſe non poſſe cernerent, vt vel captionibus, ac præſtigijs, vel fictis etiam fabulis huius hominis eleuarent exiſtimationem, imminuerent famam, cœperunt eundem ipſi quoque mirificè prædicare, verbiſq; ac re illum plurimi pendere, quem aſpernari ſine ſua vituperatione non poſſent. Bataui quippe, ſicuti nuper accepimus, in ſua ipſorum publica bibliotheca Bellarminum vel primum eſſe volunt, vel collocant inter primos: & alij, qui aduerſus eum ſcribere tamen aliquid audent, communem reueriti populorum opinionem, eundem ita commendant, vt nos ad hominem exornandum Oratores haud alios, quàm vituperatores iſtos quærere debeamus. Placet iſtorum verba, quoniam hoſtium teſtimonia ſunt, de ſcripto pene, ac de volumine recitare. *Magnum*:

inquit

inquit eorum aliquis(Cęcilium illum alloquens Angliæ Quæſtorem)*magnum nomen Bellarminus:de quo homine cum meam opinionem quæreres, reſpondi vt ſenſi, me illum iudicare virum ſanè doctum, ingenio felici, iudicio ſubtili, lectione multiplici præditum; qui ſoleret etiam apertius, ac ſimplicius agere, quàm cæteri, argumentum preſsius vrgere, atque ad cauſam arctius adhæreſcere: cumque legiſſet omnes argumentationes, reſponſioneſq́ꝫ, ſelegit quas iudicaret eſſe neruoſiores. Arduum ſanè opus*, exclamat alius, Bellarmini quæſtiones illas infinitas in certa volumina relatas, admirans, *arduum opus: quod exigit ſcientiam prope infinitam, non modo variarum diſciplinarum, & linguarum, ſed etiam totius antiquitatis, omnium hiſtoriarum, ac temporum. multa iſto in opere, atque inſtituto veluti pilatas acies agmine facto oportet homini occurriſſe, cum in tantis rebus, argumentiſque ſcientiam adeo multiplicem deſiderari putauerit, vt hæreticos non vnius generis, ſed varia variorum examina vna acie proſterneret*. Auditis elogium inimico profectum ex ore, ac veritatem apertiſsima confeſsione de mendacio triumphantem? euerſos ſe, proſtratoſque profitentur. ſed ne ſolidum victori concedere gaudium videantur, & ſe pythones iſti, comminuto iam capite, cauda tamen, ac reliquo corpore commoueant, in huius partem laudis, ac gloriæ collegas etiam vocant, quorum

rum auxilio Bellarminus illa tam ardua monumenta perfecerit. non enim inducere poſſunt animum,opus ita ſpiſſum,tantiſque difficultatibus impeditum vnius labore hominis, ac ſtudio confici,expediriq; potuiſſe. Scio equidem hoc commentum iugulatum eſſe nuperrimè viri doctiſsimi oratione, ac ſtylo, qui & codices ex Romani Collegij bibliotheca produxit autographos Bellarmini manu perſcriptos, & verè, ſanctèque teſtatus eſt, hominem ſe vidiſſe cum quæſtiones illas exararet,non modo nullis adhibitis eius laboris, operæq; conſortibus, ſed ne amanuenſibus quidem, aut exceptoribus accerſitis. addam tamen etiam ego ſymbolam meam; & iſtos, qui ſuo iudicio errare, ac decipi volunt, inuitos ſanè, repugnanteſque omni prorſus errore liberabo.

Eſt his, qui Bellarmini laborem, & gloriam cum alijs communicatam volunt, ingenium, vt credo,mediocre,memoria fortaſſe non mala, doctrina,quæ ſupra litteraturam non attollatur, ſtudium haud multum, comeſſationes, compotationesq; creberrimæ, impietas in Cælites, in homines arrogantia non ferenda: quibus cum moribus diuina ſe conciliare ſapientia non poteſt, quæ modeſtis, ac bonis viris gratiam dare, ſuperbis, elatisq; ſe reſiſtere profitetur. Bellarmino fuit ingenium ſingulare, ordine lucido perſpicax,verſatile,factum ad omnia;memoria, vt ſemel dicam, pene diuina, quæ quicquid le-

geret,

inquit eorum aliquis (Cęcilium illum alloquens Angliæ Quæſtorem) *magnum nomen Bellarminus: de quo homine cum meam opinionem quæreres, reſpondi vt ſenſi, me illum iudicare virum ſanè doctum, ingenio felici, iudicio ſubtili, lectione multiplici præditum; qui ſoleret etiam apertius, ac ſimplicius agere, quàm cæteri, argumentum preſsius vrgere, atque ad cauſam arctius adhæreſcere: cumque legiſſet omnes argumentationes, reſponſioneſq́; ſelegit quas iudicaret eſſe neruoſiores. Arduum ſane opus,* exclamat alius, Bellarmini quæſtiones illas infinitas in certa volumina relatas, admirans, *arduum opus: quod exigit ſcientiam prope infinitam, non modo variarum diſciplinarum, & linguarum, ſed etiam totius antiquitatis, omnium hiſtoriarum, ac temporum. multa iſto in opere, atque inſtituto veluti pilatas acies agmine facto oportet homini occurriſſe, cum in tantis rebus, argumentiſque ſcientiam adeo multiplicem deſiderari putauerit, vt hæreticos non vnius generis, ſed varia variorum examina vna acie proſterneret.* Auditis elogium inimico profectum ex ore, ac veritatem apertiſsima confeſsione de mendacio triumphantem? euerſos ſe, proſtratoſque profitentur. ſed ne ſolidum victori concedere gaudium videantur, & ſe pythones iſti, comminuto iam capite, cauda tamen, ac reliquo corpore commoueant, in huius partem, laudis, ac gloriæ collegas etiam vocant, quorum

rum auxilio Bellarminus illa tam ardua monumenta perfecerit. non enim inducere poſſunt animum,opus ita ſpiſſum,tantiſque difficultatibus impeditum vnius labore hominis, ac ſtudio confici,expediriq; potuiſſe. Scio equidem hóc commentum iugulatum eſſe nuperrimè viri doctiſsimi oratione, ac ſtylo, qui & codices ex Romani Collegij bibliotheca produxit autographos Bellarmini manu perſcriptos, & verè, ſanctèque teſtatus eſt, hominem ſe vidiſſe cum quæſtiones illas exararet,non modo nullis adhibitis eius laboris, operæq; conſortibus, ſed ne amanuenſibus quidem, aut exceptoribus accerſitis. addam tamen etiam ego ſymbolam meam; & iſtos, qui ſuo iudicio errare, ac decipi volunt, inuitos ſanè, repugnanteſque omni prorſus errore liberabo.

Eſt his, qui Bellarmini laborem, & gloriam cum alijs communicatam volunt, ingenium, vt credo,mediocre,memoria fortaſſe non mala, doctrina,quæ ſupra litteraturam non attollatur, ſtudium haud multum, comeſſationes, compotationesq; creberrimæ, impietas in Cælites, in homines arrogantia non ferenda: quibus cum moribus diuina ſe conciliare ſapientia non poteſt, quæ modeſtis, ac bonis viris gratiam dare, ſuperbis, elatisq; ſe reſiſtere profitetur. Bellarmino fuit ingenium ſingulare, ordine lucido perſpicax,verſatile,factum ad omnia;memoria, vt ſemel dicam, pene diuina, quæ quicquid legeret,

qua ratione ruinæ poſſent occurrere, quam ſuis imminere ceruicibus intuebantur. Confeſtim in Britannia certum excitauere ſuggeſtum, ſedemq; conſtituerunt à cæteris ſeiunctam, & propriam, ex qua refelleretur accuratè, ac ſedulò Bellarminus. hoc enim confutato, putabant arcem omnem Catholicæ religionis amoliri ſe poſſe; quemadmodum eorum vnus ſcriptis ad virum primarium hiſce litteris haud dubie ſignificauit. gaudere ſe, quòd Bellarmini vulgata eſſent opera, quorum lectione pleniſsimè demum, certiſsimèq; poſſet intelligi, quid in vnaquaque de religione controuerſia Romanæ vindices Eccleſiæ cenſerent, quæve medulla eſſet Pontificij dogmatis intima, quæ non magis in ipſo Pontifice, quàm in Ieſuitis (ſic enim ipſe loquitur) eſſe crederetur. Infelicē, & eum, quem omnino merebatur exitum nacta eſt tam inſolens, ac putida diligentia: cum ex ea ſchola permulti de ſuo iam dubitantes errore, plurimi quoque mutato planè conſilio, atq; ad veritatem conuerſi quotidie digrederētur. Intellexerunt adeò, fruſtra ſe demum conari clauam illam infringere, quam Hercules haberet in manu: & iam tota Britannia in eos, qui curioſè, obſeruateq; meditabundi cernuntur in via, commune quaſi prouerbium dicitur; de Bellarmino refellendo, tamquam de Atlantico mari per cotylam exorbendo cogitare. Quin ita ſibi perſuaſerant omnes; Bellarminum ſtatura procera, hu-

manumque ſupra modum eminenti prædi-
tum fuiſſe natura; nec ijs habebant fidem, qui teſtabantur, hominem ſe Romæ, alibique vidiſſe non ita magnum, ac paruo potius inſtructum corporis habitu, quàm excelſo. Neque enim fieri poſse putabant; vt prægrandi quoque ſtatura, & corpore non eſſet ille, qui animo, ac doctrina fuiſſet contra Gigantes iſtos, Titanasque Centimanus. In ſumma, veritatis ineluctabilis eſt vis, fruſtraque teſtes adornantur aduerſus conſcientiæ iudicium, quod corrumpi, deprauariq; non poteſt. Nam cum omni lapide commoto, efficere ſe non poſſe cernerent, vt vel captionibus, ac præſtigijs, vel fictis etiam fabulis huius hominis eleuarent exiſtimationem, imminuerent famam, cœperunt eundem ipſi quoque mirificè prædicare, verbiſq; ac re illum plurimi pendere, quem aſpernari ſine ſua vituperatione non poſſent. Batavi quippe, ſicuti nuper accepimus, in ſua ipſorum publica bibliotheca Bellarminum vel primum eſſe volunt, vel collocant inter primos: & alij, qui aduerſus eum ſcribere tamen aliquid audent, communem reueriti populorum opinionem, eundem ita commendant, vt nos ad hominem exornandum Oratores haud alios, quàm vituperatores iſtos quærere debeamus. Placet iſtorum verba, quoniam hoſtium teſtimonia ſunt, de ſcripto pene, ac de volumine recitare. *Magnum*:

inquit

inquit eorum aliquis (Cęcilium illum alloquens Angliæ Quæſtorem) *magnum nomen Bellarminus: de quo homine cum meam opinionem quæreres, reſpondi vt ſenſi, me illum iudicare virum ſanè doctum, ingenio felici, iudicio ſubtili, lectione multiplici præditum; qui ſoleret etiam apertius, ac ſimplicius agere, quàm cæteri, argumentum preſsius vrgere, atque ad cauſam arctius adhæreſcere: cumque legiſſet omnes argumentationes, reſponſioneſq́ꝫ, ſelegit quas iudicaret eſſe neruoſiores. Arduum ſane opus,* exclamat alius, Bellarmini quæſtiones illas infinitas in certa volumina relatas, admirans, *arduum opus: quod exigit ſcientiam prope infinitam, non modo variarum diſciplinarum, & linguarum, ſed etiam totius antiquitatis, omnium hiſtoriarum, ac temporum. multa iſto in opere, atque inſtituto veluti pilatas acies agmine facto oportet homini occurriſſe, cum in tantis rebus, argumentiſque ſcientiam adeo multiplicem deſiderari putauerit, vt hæreticos non vnius generis, ſed varia variorum examina vna acie proſterneret.* Auditis elogium inimico profectum ex ore, ac veritatem apertiſsima confeſsione de mendacio triumphantem? euerſos ſe, proſtratoſque profitentur. ſed ne ſolidum victori concedere gaudium videantur, & ſe pythones iſti, comminuto iam capite, cauda tamen, ac reliquo corpore commoueant, in huius partem laudis, ac gloriæ collegas etiam vocant, quorum

rum auxilio Bellarminus illa tam ardua monumenta perfecerit. non enim inducere poſſunt animum,opus ita ſpiſſum,tantiſque difficultatibus impeditum vnius labore hominis, ac ſtudio confici,expediriq; potuiſſe. Scio equidem hóc commentum iugulatum eſſe nuperrimè viri doctiſsimi oratione, ac ſtylo, qui & codices ex Romani Collegij bibliotheca produxit autographos Bellarmini manu perſcriptos, & verè, ſanctèque teſtatus eſt, hominem ſe vidiſſe cum quæſtiones illas exararet,non modo nullis adhibitis eius laboris, operæq; conſortibus, ſed ne amanuenſibus quidem, aut exceptoribus acceſſitis. addam tamen etiam ego ſymbolam meam; & iſtos, qui ſuo iudicio errare, ac decipi volunt, inuitos ſanè, repugnanteſque omni prorſus errore liberabo.

Eſt his, qui Bellarmini laborem, & gloriam cum alijs communicatam volunt, ingenium, vt credo,mediocre,memoria fortaſſe non mala, doctrina,quæ ſupra litteraturam non attollatur, ſtudium haud multum, comeſſationes, compotationesq; creberrimæ, impietas in Cælites, in homines arrogantia non ferenda: quibus cum moribus diuina ſe conciliare ſapientia non poteſt, quæ modeſtis, ac bonis viris gratiam dare, ſuperbis, elatisq; ſe reſiſtere profitetur. Bellarmino fuit ingenium ſingulare, ordine lucido perſpicax,verſatile,factum ad omnia;memoria, vt ſemel dicam, pene diuina, quæ quicquid legeret,

geret, ſcriberetque ſtatim, ac ſubitò reciperet, quicquid recepiſſet, fideliſsimè, conſtantiſsimèque retineret. ſuit ſtudium ita pertinax, & tam inſatiabile, vt, non dico diem ſine linea, ſed ne momentum quidem temporis elabi ſine operæ pretio pateretur; temperantia verò incredibilis, vigiliæ plurimæ, pietas, animique demiſsio diſciplinarum ſtudio maior. Vultis igitur acutiſſimi Silones ex me diſcere quid cauſæ ſit, cur ille aduerſum vos, hoc eſt aduerſus impietatem ſine ſocijs, auxilijſque ſcribere potuerit opus, quod tam multa librarijs æra meretur, quod in ſola Germania vigeſimam habet editionem, quod immortalitatem ſibi iure pollicetur, quod cum fieret, multorum, vt dicitis, & creditis ipſi, defatigauit ingenium; vos autem collato ſtudio, longoque poſt tempore librum proferatis in lucem, vel non magnum, vel quantumuis magnum certe non bonum, & qui vix natus exareſcat, Principum edicto proſcriptus, atque obliteratus incendio? vultis inquam id ex me noſſe? poſſum enim hoc vobis oraculum facilè reddere, totumq; Sibyllæ folium vno verbo recitare. Cum vos in viola decumbebatis, & pluma, ille vigilans, ac pro religione velut excubias agens, in rerum diuinarum, humanarumque contemplatione verſabatur. Cum vos in voluptatibus eratis, & procuratione corporis, ille temperantia, ieiunioque oblectans animum, vel in Patrum ſanctiſsimorum legendis, euoluen

diſque

diſque monumentis erat totus, vel feriatus à ſtudio cum Superis colloquebatur, & Deo. cùm veſtris vos innixi viribus, & ingenio ſtylum in Eccleſiam, hoc eſt in Chriſti corpus armabatis, ille ſibi diffiſus, ac doctrinæ ſuæ, tela præparabat, quæ regereret in aduerſarios, pia plus precatione, quàm lucubrationibus, & vigilijs, plus modeſtia, quàm minis, plus commodorum omnium deſpicientia, quàm rerum copia communitus.

Sed hæ nimirum illæ virtutes ſunt, quas in Bellarmino fuiſſe ſummas huius orationis initio dixi. pergam igitur, atque à doctrina gradum faciam ad ea, quæ cum illa ſingulari ſcientia vinculo prorſus admirabili, ac perdifficili copulatione coniunxit. Quàm enim arduum ſit, leniores quaſdam, manſuetioreſque virtutes doctrinæ præſtabili, & rerum omnium cognitioni ſubnectere, ſcimus omnes, qui litterarum aliquo colore leuiter aſperſi, neceſſe habemus aſsiduè ſpiritus, atque animos premere, hoc eſt cauere, ne nobis ipſis ſapientes nos eſſe videamur ideo, quòd ſupra vulgares, atque imperitos homines plus aliquid intelligamus. Neque verò illam hic ego vitæ partem attingendam puto, quæ nondum iniecta purpura, ſed luce tantummodo lucebat ſua: cum ſit eius conditionis ita propria moderatio, & rerum humanarum contemptio, vt quamquam dicere ſingularia poſſum, nihil tamen præter modum admirabile me dicturum

eſſe

eſſe confidam. Sin autem ex acceſsione purpuræ, non modo nihil eum de modeſtia, deque animi demiſsione, nihil de felicitatis, ac rerum omnium deſpicientia remiſiſſe, verum etiam eas virtutes auctiores longè feciſſe, ac meliores oſtendero, aliquid ſine dubio proferam in medium ab ea vitę, fortunæq; mutatione vehementer abhorrens. Vt enim hic ordo Purpuratorum illuſtriſsimus omnis planè moderationis, omniumque virtutum ſua ſanctitate ſit cuſtos; ſplendorem tamen habet eiuſmodi, qui perſtringat interdum virorum quoq; bonorum aciem, habet tantam ſupremo cum honore propinquitatem, vt animum alioqui firmum, ac ſtabilem poſsit aliquantulum eius cupiditate labefactare. Sed non labefactauit animum eius, qui purpuram illam, hoc eſt honorem primo proximum tam ingratis accepit, quàm alij ſitienter expetunt, qui tacitum, & quietum plus amaret otium, quàm alij turbidam, inquietamque felicitatem; qui faſtigium omne dignitatis, & culmen finitimum putaret eſſe ruinæ locum. Erat iam Bellarminus, quamquam ipſe frequentiam fugeret, hominumque notitiæ ſubduceret ſe..., nomine celebratiſsimus, & fama. fuerat iam olim à Cardinali Borromeo ſanctiſsimo, quem nunc aris colimus, & ſacris, expetitus ardenter, fruſtraq; Mediolanum è Belgio, prouincialibus enixè repugnantibus, accerſitus: fuerat à Sixto V. Pont. Max. cum Henrico Cardinali Caietano

no Legato difficili ſane tempore miſſus in Galliam : fuerat ab alijs deinceps in dubijs de religione quæſtionibus ſæpè conſultus; à Clemente autem Octauo diligi,honorarique præter ceteros ac multo maxime videbatur. Animaduertebat ipſemet eius in ſe Pontificis illuſtria quædam & peculiaria beneuolentiæ ſigna : ſed vir antiqui moris, ac probitatis ſuſpicari ſerò cœpit, ad Purpuratorum ordinem ampliſſimum ſe deſtinari. Peſtem adeo ſibi ratus imminere, admonet de ſuſpicione ſua communem familiæ noſtræ, præſidem, ac Rectorem in tempore; oratque, vt tantum periculum à ſe, ac propter exemplum à tota quoque Sodalitate defendat. Dum ſibi, dum publicæ rei tanto cum ſtudio ac ſollicitudine cauet, ecce tibi qui eum nunciarent Cardinalem eſſe iam factum, vetarentque domo pedem efferre, niſi ab eius voluntate diſcedere vellet,cuius imperio traheretur ad purpuram. Diceres afflatum ſidere peſtilenti, non ingrato nuncio verberatum. latebras meditabatur, & fugam, antiqua proculdubio renouaturus exempla,niſi fuiſſet aliorum iudicio,atquè auctoritate prohibitus. Quippe animi dubius, inopſque conſilij,ſapientiores Patres,&doctiores, quorum ipſe in Pœnitentiario Diui Petri Collegio Præfectus erat,ac Moderator, in conſultationem accitos anxiè percontatur, ecquid ſibi faciendum in illo temporis,ac rerum articulo cenſeant; remanſionem ne ſuadeant, an taci-

tam ad Pontificem abitionem, vt de ſuo eum dolore, deque ſacramento, quo eiuſmodi vetabatur honorem capeſſere, faceret in priuato colloquio certiorem. Reſpondent ad vnum omnes, id integrum non videri, nec eſſe deliberationi locum; vbi præcepto tam amplo ad reſiſtendum domi cogeretur. Abit è concilio triſtis: & quoniam clauſa videbat effugia, quærere molimina cœpit, certo ad Aldobrandinum Cardinalem homine dimiſſo, qui aditum ad Pontificem ſuo nomine poſtularet. Cum ne iacta quidem hac anchora ſolum comprehenderetur, eundum fuit in cœtum, vbi ceteri Collegæ hominem opperiebantur. Antequam de more tonderetur, antequam noui ordinis indueretur veſtibus, diù, multumq; laboratum eſt. Itum perfectis omnibus in cœnationem ex more, vbi gratulationes erant, velut in natalitijs epulis, & læta colloquia. ſolus ipſe interea lugere, ac lacrymari, ſolus angi, & fortunam complorare ſuam, tamquam in ſilicernio funeſtorum eſſet non in conuiuio Purpuratorum. Ductus denique cum reliquis ad Pontificem, cum ſui conſilij rationem, atque impedimentum, quo ab honore delato prohiberetur aggreſſus eſſet exponere, indicta contumaciæ pœna, niſi deſiſteret, ac ſilere continuò iuſſus, ceruicem aliquando ſuppoſuit iugo, quod citra lethiferi peccati culpam detrectare non poterat. Libenter, hærerem hoc loco, vbi magnani-

mæ contemptionis offendimus exemplum ita rarum, vt gloriari pene poſſimus, hoc noſtro ſæculo natum eſſe. libenter, inquam, hic immorarer, niſi virtutes hominis antiquas in hoc honoris gradu retentas amplificataſq; niſi nouas etiam expoſiturus eſſem, quas in idonea propoſuit ſcena, ſuoq; velut in lumine collocauit.

Principio, quemadmodum in commentario legi, quem ſuo ipſe chirographo conſignatum reliquit, id apud ſe certiſſimo decreto ſancitum voluit, vt priſtini parſimoniam victus, piæque conſuetudinem precationis, ac ceteram viuendi rationem antiquam perpetuò retineret: deinde, vt nullos à Pontifice redditus, prouentuſuè peteret annuos, nulla prorſus à Principibus acciperet munera, quibus occæcantur etiam lyncei: tum, vt nullas ſibi pararet opes, quibus affines, & conſanguinei redderentur opulentiores. Quæ profectò quàm exaggeratè, cumulatèque præſtiterit omnia, duorum, & viginti decurſus annorum ſemper æquabilis, ac ſimilis ſui, ſanctiſsima demum innocentis vitæ concluſio declarauit. Quod enim attinet ad diuinarum commentationem rerum, ac pias preces, numquam commiſit, quin eius ſtudij cauſa de nocte conſurgeret, & fecit ſemper, vt ad veterem vſum aliquid plus temporis, & vacationis accederet: quod ad cibi, vitæque degendæ modum; & cum priori temperantia ieiunia ſingulis hebdomadis terna coniunxit, & à

Generali Societatis noſtræ Moderatore legem efflagitauit, qua ſupellectilem, familiam, inſtrumentum omne domeſticum veluti certiſsima regula metiretur. De prouentibus autem quàm nihil omnino laboraret, aliàs quidem ſemper, ſed tunc maximè demonſtrauit, cum poſt accepti honoris initia, nullis ipſe copijs inſtructus, debenti penſionem Epiſcopo non copioſo remiſit totam, condonauitque minimè rogatus in perpetuum, & Clementi Pontifici opulentum ei, quod primo quoque tempore ſuppeteret ſacerdotium pollicenti conſtanter affirmatèque reſpondit, quicquid hoc eſſet diuitiarum, & opulentiæ alijs ſe libenter, vltròque concedere: ſibi ſportulam, & cubiculum in ea Societate, cuius etiam tum pars eſſet aliqua, deeſſe non poſſe. Suſcepit ille quidem aliquando Capuæ Sacerdotium, & quoniam ita iubebatur, eius ciuitatis Antiſtitem ſe paſſus eſt fieri: ſed vtrum in eo quæſtum pecuniæ, an animarum facere compendium vellet, ab ijs intelligite, qui totam nobis eius muneris ineundi, procurandique rationem in hunc modum expoſuerunt. Principem vrbis ædem, ipſamque domum Archiepiſcopi male materiatas, & ſqualore obſitas haud mediocri ſumptu primo loco refecit, nec feſtum vllum ire ſinebat diem, quo non ipſemet in templo concionem haberet: deinde numero familiarum deſcripto, quarum vel anguſta res eſſet, vel grauis inopia,

ſin-

ſingulis menſibus certa pecuniæ ſumma ſuble-uabat ſingulas: denique, vt ne ijs quidem deeſſet, qui vicatim, oppidatimque ſtipem emendicant, iuſsit in ipſo domus atrio, veſtibuloque diribitores eſſe, qui petentibus aduenis quotidiè cibatum, ac nummos impertirentur. Atque hoc inſtitutum in obeunda quoque prouincia, & ditione, quam ſingulis omnino luſtrabat annis per pagos vbique concionabundus, accuratè retinuit, neminem vmquam paſſus abire vacuum ex ijs, quos aliqua premi rerum egeſtate cognouiſſet. In quo genere quoniam vnum videtur eſſe, quod exponi ſolitariè velit, ac ſeparatim enarrari, non committam, vt temerè cum cæteris inuoluatur.

Nihil in tota ſui muneris adminiſtratione prius habuit, aut antiquius, quàm vt corrigeret populorum capita, ſacerdotes: inter quos cum vnum offendiſſet alea iam infamem, & talo, nec vllis aut verbis, aut minis reuocare poſſet ab angiportis in templum, rogauit hominem quid eſſet cauſæ, cur tam impotenter ab aris, & ſacrificio ad alueum raperetur, ac pyrgum. Reſpondet, rem ſibi domi curtam eſſe, nec facile, niſi per ludum conſulere poſſe rationibus ſuis. Extemplo (videte manſuetudinem ne dicam, an liberalitatem Antiſtitis?) extemplo numerata pecunia, omnem illi quæſtum, ac lucrum aleæ repræſentauit, imperauitque, vt quoties tantundem, aut plus etiam argenti vellet, toties

ad accipiendum ſine rubore, ac verecundia reuerteretur. Emendatus ille confeſtim (quis autem ea charitate non emendaretur?) emendatus inquam, & redditus ex aleatore ſacerdos, toti ciuitati miraculum fuit. Ne aliud quidem huic omni ex parte perſimile obtegi ſilentio, aut negligenter, & per incuriam præteriri poteſt exemplum. eſt enim hoc etiam ſpectabile, non liberalitatis modo, ſed etiam charitatis, ac manſuetudinis argumentum. Externus quidam, profugus, ac vagus ementito cum habitu, impuraque ad latus adiuncta pellice ſacerdos, ſiue caſu, ſiue conſilio delatus eſt Capuam. vbi deprehenſus, & patefactus, qui carceres, ac triremes expectare meritò poterat, abſtractus à meretricula, pœnitentia luſtratus, toga demum indutus, ac pallio, reperit apud Bellarminum Antiſtitem eam animi ſalutem, ac vitæ, quam ei diuturna illa, & erratica deſperatio denegabat. Accipite verò nunc, non dicam probabilis auaritiæ, cuius ille vel vacuum nomen auerſabatur, ſed piæ cuiuſdam cupiditatis & parſimoniæ genus. Veniebat cùm cæteris ſacerdotibus in odeum, canebatque quotidie, non ea tantum gratia, vt alijs præiret exemplo, verum etiam, vt quoniam Capuæ Archiepiſcopus ex inſtituto veteri Canonicus item eſt, ſua ipſe quoque diurna ſtipendia, quæ pauperibus elargiretur, excerperet. hæc enim quia

pri-

priuato illo labore, tamque ſtudioſo parabat incommodo, dicebat verè, propriè que ſe dare de ſuo, cætera, quæ capiebantur ex ſacerdotij fructibus, ex alieno ſe dare ſibi videbatur. Non poſſum omnia perſequi, nec vna tantum oratione complecti, quæ per hoc benignitatis, ac miſericordiæ ſtudium edidit opera commemoratione, monumentiſque dignißima ſempiternis. Deerat iam omnis pecunia, exhauſtus propè iam erat ìpſe liberalitatis, ac beneficentiæ fundus: non ærarium, quod ei nullum vmquam fuerat, ſed horrea, cellæ, promptuaria vacua iam erant, & inania. neque enim ille cibaria, non veſtem, non culcitram, non pallia ſupereſſe domi patiebatur. Reclamare omnes œconomi, & rei familiaris àdminiſtri monere ſeriò, ne viatici quidem aliquid reliquum eſſe ad habendum in Vrbem iter, cuius, extincto Clemente Pontifice, propter futura comitia neceſsitas impendebat: cum ille interea id ſolum ad ea monita reſpondere ſatis haberet, auerſari ſe ſuperuacaneam ſecuturæ diei prouidentiam, nec ſibi quicquam odioſius eſſe, quàm quæ veritatis oraculo damnaretur, de futuro, ac de craſtino cogitationem. Et quoniam hoc Chriſti Seruatoris effatum firmiſsimè conſignauerat animo, eam perpetuò retinuit ad obitum vſque conſuetudinem, ac diſciplinam, vt Calendis Ianuarij, cum accepti, datique conſuluiſſet ephemeridas, erogari continuò iuberet quicquid ex

anno priori ſupereſſet. Neque enim eum annum auſpicari ſe ritè credebat, qui domum ſuam omni ſpoliatam viuendi præſidio non inueniret. Et dubitabimus, vtrum illud quoque promiſſum exſoluerit, quod tertio loco tum fecit, cum ſtatim inter Ampliſsimos Patres adlectus, ſecum ipſe, ac Deo teſte ſibi propoſuit, nullas ſe collecturum opes, quibus agnatos, ac poſteros opimaret? O teſtamentum illud tuum; Bellarmine, pulcherrimæ teſtimonium temperantiæ, ac paupertatis. Vultis hic ego reſignem tabulas, quas decimo circiter ab hinc anno confecerat, & ſupremam hominis innocentiſsimi voluntatem, aſſemque pronunciem totum? *Corpus meum,* inquit, *efferri iubeo ſine deſignatoribus, & pompa; nec edito lecto, ſed in humili, vulgarique feretro collocari volo, nullis ornatum inſignibus, aut flabellis.* Non potuit huic obtemperari mandato, quia Pontifici Maximo viſum eſt aliter: ſed profectò quemadmodum imperarat, faciendum neceſſariò ſic fuiſſet, niſi eius hæredes inopiæ, qui domus huiuſce fuerunt Patres, tum ad alia multa, tum ad hæc etiam iuſta peragenda non nihil ex corrogata ſtipe contuliſſent. *Ad expiationem animæ meæ nullam ego deſigno, legoque pecuniam, cui cogendæ, cumulandæue nullis vmquam temporibus operam dedi: ſed ſpero, ſcioque mihi non defuturam parentem, altricemque meam Sodalitatem illam, cuius ego defunctis ſocijs pro mea*

virili

virili parte non defui. *Fratri meo*, (erat enim tum ſuperſtes) huic autem fratri ſuo quid expectatis, aut opinamini relicturum eſſe? apud argentarios, & redemptores pecuniam? domi ſigna marmorea, vel auream veſtem? foris oppida, vel latifundia? ò alieniſsima Bellarmini à communi mortalium cogitatione conſilia. *Fratri meo reddi volo pictam in tabula Octaui Clementis effigiem*. hæc eſt tota legati ſumma, hoc fraternæ monumentum opulentiæ, tam parui reſtitutio commodati. *Angelo nepoti meo* (viuebat hic etiam, cum teſtamentum conderetur) *dari iubeo pictas tabulas duas, alteram Roberti Cardinalis de Nobilibus, alteram Diui Caroli Borromei, & argenteam crucem Sanctorum diſtinctam, ornatamque reliquijs, quam è collo penſilem gerere mihi mos eſt*. Nec huic quidem, aut cæteris aliquid amplius teſtamento reliquit. Superſunt enim alij ex paterno, maternoque genere probæ indolis adoleſcentes, quos indonatos propter inopiam eſſe permittit, nec aliqua parte huius, quæ nulla propemodum eſt, hæreditatis aſpergit. Sed ire ſinite iuuenes optimi, quæ fortunæ rapit iniquitas, & inconſtantia. magna vobis à patruo, auunculoque veſtro traditur, & legatur hæreditas, qui tanta cum omnium in ſe beneuolentia vixit tanta cum gloria deceſsit è viuis. Vidiſti? quanto ſenſu diligeretur ab omnibus, quanta mortalium omnium commendatione celebra-

retur:

retur : vidiſtis in morbo ſupremo adeuntem ad illum ſingulari cum amoris ſignificatione Pontificem : vidiſtis ad eius genua primarios accidentes viros, manum exoſculantes, aliquid religionis cauſa depoſcentes ex ijs, quæ ille vel vſu tractaret, vel gereret corpore: vidiſtis denique illo demortuo, totius in hoc templum Vrbis Romæ concurſum, vndamque populi, militum perrumpentis cuſtodiam, & corpus, aut lectum manu contingere geſtientis. Huius vos amoris, & gloriæ ab eo, ſi neſcitis, abſque teſtamento, & ſyngrapha ſcripti eſtis hæredes: in huius vos aſsis, & patrimonij partem venitis: quàm, ſi ſapitis, Attali conditionibus anteferre debetis. Quemadmodum enim improbi parentes nullam perniciem, peſtemque creant maiorem liberis ſuis, quàm cum odium ſibi conflant, & maleuolentiam popularem, ſic innocentes, & boni maiores nullam tradunt poſteris opulentiorem hæreditatem, quàm cum principum ſibi demerentur amorem, & beneuolentiam ciuium. Has videlicet opes ipſi vos ab illa paupertate decerpetis. demonſtrabimini prætereuntium digito : relegetur in ore veſtro Cardinalis optimi dignitas, & maieſtas, diligetur in indole virtus, ac ſanctitas, ipſa demum in vos, niſi degeneres eſſe volueritis, honoratiſsimi patrui promerita redundabunt.

Cæterum iniuria virtutum ſit, in eo magnopere diuitiarum, opumque contemptionem admi-

admirari, quem excellentiora bona quaedam, & potiora, hoc eſt ſummum honorem in terris, ac vitam ipſam ſcimus incredibili magnanimitate neglexiſſe. Dixi de honoris deſpicientia ſanè multum, cum demonſtraui, quanto cum ſenſu, ac dolore ſe paſſus eſt inter Purpuratos adſcribi; ſed dicenda ſunt ampliora. Neque enim ex eorum numero Bellarminus fuit, qui cum honores ingratis acceperint, in acceptis deinde, quae humanae mentis eſt inconſtantia, ſibi placere paulatim incipiunt, & maiores vehementius expetere, quàm minores ante repudiaſſent. Non hanc ille morum diſsimilitudinem, ac varietatem vmquam oſtendit: ſed eodem vultu ſemper honorem intuitus, quo eum olim repugnanter accepiſſet, auditus eſt aliquando cum diceret, ſibi videri flammas aſpicere ſuo corpori circumfuſas, cum ſe mitra indutum, & purpura contemplaretur. Quin à probatiſsimis ego teſtibus accepi, atque ab ijs ipſis, quibus cum animi ſui conſilia communicauit, ſedulò de ſe abdicando, deponendaque purpura deliberaſſe; nec ante deſtitiſſe, quàm intelligeret, ſplendidè ſane, atque ad aucupandam ſanctimoniae famam appoſitè, ſed fruſtra, caſſoque conatu id ſe petiturum, quod ne Petro quidem Damiani prorſus, omnique conceſſum fuiſſet ex parte. Tanta quippe dignitas, ac ſanctitas huius purpurae putatur eſſe, vt inter res illas euanidas, ac fluxas, quibus ad ſeuerioris

rioris vitae rationem quaerendam remitti nuncius à pijs, ac religioſis hominibus ſolet, numerari non poſſe videatur. Quae profectò cauſa Cardinales olim impulit, vt cum Ardicinus ſecundus à Porta, ordine hoc ampliſsimo relicto, digreſſus eſſet ad Monachos, ab Innocentio Pont. VIII. qui eam illi veniam inuitus dederat, vt reuocaretur in Collegium, quotidianis, & precibus, & querimonijs efflagitarint.

Vnus tamen eſt in hoc honorum curriculo ſcopulus, quem paucisſimi praeternauigant; vnum illicium eſt, quo etiam callidi capiuntur, ac boni; vltimus ille nimirum gradus, & ſuprema poteſtas; qua partibus explentur omnibus ipſa vota mortalium. quippe animus etiam moderatus ac temperans cauſas ſibi videtur habere probabiles, cur apicem illum exoptet, in quo grauiſſimi Patres, & prima illa ſanctitatis antiquæ lumina prolapſionem, caſumque reformidarunt. Sed hic ſcopulus, & breuia, hæ tam artificioſæ periculi latentis illecebræ illum fallere non potuerunt, qui & curioſè diſcrimina perpenderet omnia, & nihil in humanis, niſi quod eſt humile, tutum putaret, & nominatim ab illo culmine ſibi timeret tamquam à ſaxo naufragijs opportuno. Pronunciabat enim definiendo, idque crebris vſurpare ſermonibus ſolitus erat, Pontificium munus laborem periculoſiſsimum, ac periculum laborioſiſsimum eſſe. Et quia circumſpecti, ac ſuſpicioſi gu-

ber-

bernatoris eſt, etiam ea, quæ non eueniunt, ſed tamen accidere poſſunt, animo ſecum ante peragere, dixit aliquando, gaudere ſe, quòd qui ad purpuræ dignitatem ineuitabili præceptione fuiſſet, ac neceſſitate compulſus, ad ſupremum Eccleſiæ Sacerdotium adigi non poſſet imperio; cum tantum præcipiendi ius in interregno quemadmodum exiſtimabat ipſe, ſit nemini. Sic enim paratus erat ad id quoque muneris, honoriſque repudiandum, vt putaret, Cardinalium ſuffragatione omnium, ac voluntate ſe cogi non poſſe; in ea tantum opinione decipi ſe paſſus, & monitorem, quem etiam audiuit, hoc vno loco requirens, qui ſcriptis, ac doctrina totum terrarum orbem inſtituiſſet: Cum hac ergo præparatione, munimentoque Conclaue primum ingreſſus, cum officij cauſa Patres Ampliſſimos, vt occaſio ſe ſe dabat, alloqueretur, & ſalutaret aliquos, admonebat; ne ſibi clauum Eccleſiæ traderent, qui genus duceret à maioribus ætate longæuis, ac viuacisſimis: periculum ſubeſſe, ne Pontificem viderent nonagenarium. Altius hæc in aliquorum pectus deſcendere poterant, quàm quæ facetè dicuntur, & commodè. tanta tum quippe res agitur, vt nulla prorſus vrbanitas omni vacare periculo queat. Sed tamen ipſe loquebatur ex animo, & per iocum illum à deliberatione, ſi qua foret, feriò Patres deterrere voluiſſet, quemadmodum dictis diſertiſsimis, ac re po-

ſtea

ſtea ſignificauit. Nam & precibus à Deo inter Comitia contendebat aſſiduis, vt ſe à tam edito faſtigio procul auerteret; & cum Cardinalis quidam, grauitate, doctrina, religione ſpectatiſsimus ei diceret, in illo Conclaui, agi de ipſo iam cœptum ad Pontificatum euehendo, ſuamque propterea in opus tam ſalutare diligentiam, ſtudiumque deferret, non modo nullis hominem proſecutus eſt gratijs, verum etiam enixè rogauit, ne, ſi ſaluum ſe cuperet, quicquam eiuſmodi, ſed alia omnia moliretur. quin articulatim, ac diſtinctè ſubiunxit, ſe profectò Principatum illum abnuere, & ſic eſſe paratum, vt ne ſtipulam quidem, quæ tum fortè iacebat humi, ad eum conſequendum honorem tollere loco vellet, aut commouere. Sed numquam in eo clarior apparuit huiuſce neglectus Imperij, quam cum ſuo quodam munere perfunctus, quod Præfectos aliquos offendiſſet Regios, & potentes & magnos; admonituſque à familiari per litteras, vt videret etiam, atque etiam, ne quid ageret ſuis aliquando rationibus obfuturum, habere ſe gratiam amico pro beneuolentiæ ſignificatione reſpondit, verumtamen ipſo Sacerdotij principatu, ad cuius adeptionem ſui functionem muneris impedimento futuram intelligeret interpretando, nihil omnino ſe commoueri; immo diſertè ſe Pontificem eſſe nolle. ſi quid grauius minis illis intentaretur. Marcelli Cer-

uini

uini ſe nepotem eſſe minime degenerem. qui cum Cardinalis eſſet, Tridentum à Romano Pontifice ad cogendum, regendumque Concilium allegatus, ne propoſita quidem à Cæſarianis acerbiſſima nece deterreri potuit, aut impediri, quo minus officio ſatisfaceret ſuo, idque perficeret, quod ab omnium Imperatore Deo ſibi demandatum eſſe intelligebat.

Commodùm in hoc exemplum incidimus, quod non honoris tantummodo contemptionem habet, ſed etiam corporis, ac vitæ. Demonſtraturus enim extremo loco ſum, ipſam quoque vitam à Bellarmino fuiſſe neglectam, ac pro nihilo ductam; ne quid reſtaret, quod ille infra ſe poſitum habere non videretur. Viro ſapienti, ac bono dolorem condonat Ariſtoteles de vitæ iactura, ſenſumque in ipſo periculo mortis acerbiorem: quia cum illi vita ſit proba, cunctiſque virtutibus inſtructa, omnium intelligit maximè cum moritur, quanto, & quàm excellenti bono ſpolietur. Sed neceſſe non habuit iſtam ab Ariſtotele veniam accipere Bellarminus, qui maiori cupiditate flagrabat interrumpendæ vitæ, quàm alij producendæ. Intellectum id quidem ſemper eſt, ſed tum præſertim, ac maximè, cum in morbo, qui fuit illi poſtremus, ſiue caloris, æſtuſque vi aliquantulum aberraret interdum à mente, ſiue remittente flagrantia, ſanitate vteretur integra, nullæ ab eo voces emittebantur aliæ, niſi quæ

vehementer è vitæ ſtatione deceſſum efflagitarent. Nemini, qui ſuas ei preces apud Cæleſtes offerret, non reſpondit, æqui ſe bonique facere tam pium officium, ſed tamen id vnum excipere, ne ſibi vitam à Deo poſcerent, quam funditus ipſe repudiaret, ac nollet. Quin ab ipſo Pontifice Optimo, ac Maximo ſuum ei ſtudium inter aras, ac ſacra pollicente, illa lege, conſilioque tàm amplum ſe munus accipere velle profeſſus eſt, vt maturius, ac citius è corporis vinculis auolaret in cælum, non vt ex eo mortis periculo liberaretur. Fuit ille quidem in tota valetudinis regendæ ratione facillimus, nec vmquam grauius inter corporis acerbitates, ac dolores eſt queſtus: ſed vnus tamen eius aliquando gemitus exauditus eſt, & expoſtulatio non leuis, cum ſeptimà poſt decubitum die habere ſe meliuſculè intellexit ex medicis, quà die domum ſe ſuam, (ſic enim ipſe cælum appellabat) commigraturum eſſe pro certo ſperauerat. Illuxit denique tempus exoptatum, cum admonitus, exiguum ſibi vitæ ſpatium ſupereſſe, contineri non potuit, quin in ſumma illa confecti, afflictique corporis imbecillitate penè ſemiuiuus, atque intermortuus ter ingenti, claraque voce, ò bonum nuncium exclamaret. Ne multa. commeatum, ac viaticum peregrinationi depoſcit idoneum: quod cum humi ſtratus, & ſic in genua quemadmodum poterat innixus excepiſſet, iterum lecto

com-

:ompoſitus, inter iucundiſsimas de cæleſti pa-
ria collocutiones, ac preces horam præſtola-
ıatur extremam. quæ cum aliquando tandem
dfuiſſet, crucem extemplo complexus arctiſ-
mè, ac velut illa comite facturus iter, hume-
is, colloque leniter acclinans, haud multo
oſt ſine laterum vexatione, ſine ſpiritus an-
ore, ſine deprauatione vultus, & corporis,
ıortalitatem expleuit in terris, immortalitatem
ıter Cælites inchoauit. vir omnino dignus,
ui octogeſimo circiter ætatis anno decedens,
ımquam acerbo præriperetur obitu, ſic om-
um ordinum vocibus, & luctu complorare-
ır. Populare prouerbium eſt, bouem vetu-
m non lugeri, in homines bene ſenes, &
:andiores ætate conueniens; quorum exceſ-
ıs quia tempeſtiuus eſſe videtur omnibus,
nicorum luctu vacat, & comploratione do-
ıeſticorum. ſed hoc dictum alioqui verum, &
iuturno comprobatum experimento in Bel-
rmini funere deprehendimus falſum, qui &
m ſenex ploratus ab omnibus eſt, & ſi ad plu-
s quoque prouectus fuiſſet annos ſemper exi-
matus fuiſſet immaturè decedere. Nimirum,
: vetus quidam poëta loquitur;

onſules fiunt quotannis, & noui Proconſules.

:d (non dicam equidem quod apud eundem
ſequitur.

ɔlus, aut Rex, aut poëta non quotannis naſci-
tur:

ſtea ſignificauit. Nam & precibus à D
Comitia contendebat aſſiduis, vt ſe à
edito faſtigio procul auerteret; & cum
nalis quidam, grauitate, doctrina, relig
ſpectatiſsimus ei diceret, in illo Concla
de ipſo iam cœptum ad Pontificatum e
do, ſuamque propterea in opus tam
diligentiam, ſtudiumque deferret, non
nullis hominem proſecutus eſt gratijs,
etiam enixè rogauit, ne, ſi ſaluum ſe c
quicquam eiuſmodi, ſed alia omnia mol
quin articulatim, ac diſtinctè ſubiunxit,
fectò Principatum illum abnuere, & ſ
paratum, vt ne ſtipulam quidem, quæ
fortè iacebat humi, ad eum conſequ
honorem tollere loco vellet, aut comm
Sed numquam in eo clarior apparuit
neglectus Imperij, quam cum ſuo
munere perfunctus, quod Præfectos
offendiſſet Regios, & potentes & mag
monituſque à familiari per litteras, vt
etiam, atque etiam, ne quid ageret
quando rationibus obfuturum, haber
tiam amico pro beneuolentiæ ſign
reſpondit, verumtamen ipſo Sacerd
cipatu, ad cuius adeptionem ſui fu
muneris impedimento futuram intell
terpretando, nihil omnino ſe comm
mo diſertè ſe Pontificem eſſe noli
grauius minis illis intentaretur, Ma

ere

ISSIMI,

lentiſſimi

TISTÆ

E S I I

NT. MAX.

RIS.

NALES.

XVII.

DEM ipſe quocum-
culos, cogitationem-
onuerto, admonitores
videre videor officij
: qui quantam prouin-
aliorum imperio ſu-
rim, quàm amplum,
à me orationis genus,
ius inſtructiſsimi loci ſi,
nt. Quid enim ſignifi-

Digitized by Google

Rex enim quotidie naſcitur ex Regibus, & poëtarum natio plus etiam quàm vellemus, in Republica ſoboleſcit) ſed dicam inquam id quod ipſa res eſt, nec in idonea laude verebor inuidiam. Solus Bellarmino ſimilis ordinis ampliſsimi Senator, ita doctus, ac ſapiens, ita modeſtus, ac moderatus, ita religioſus, ac pius, ita Reipublicæ ſalutaris, non modo non quotannis naſcitur, ſed requiretur in annos plurimos, & longa poſt ſæcula deſiderabitur. Non tamen eius à nobis vmquam deſiderabitur auxilium, non fides, non Eccleſiæ patrocinium, ac tutela; cuius militantis ipſe, dum viueret, tam præclara ſtipendia meruit, cuius ouantis, vita iam functus, & triumphum capit, & obtinet gloriam. Excurrit ille nunc inter felices animas, Ambroſios, Auguſtinos, alioſque mortis beneficio triumphantes, ac liberos: reſpicit è cælo relicta, videt nos alta nocte circumdatos, & diuinis perfuſam radijs aciem promittit in ſpatia tam vaſta terrarum. Suas adeo partes intelligit eſſe, pro Chriſtiana Republica non iam amplius columbæ gemitum dare, quod ſcripto libello fecit in lugentium campis, ſed per aduocationem adeſſe, atque intercedere; quod & præſtitit olim viuens in terris, & nunc præſtare multo facillimè poteſt in triumphantium concilio collocatus.

IN

In Funere ILLVSTRISSIMI, atque Excellentiſſimi IO. BAPTISTÆ BVRGHESII PAVLI V. PONT. MAX. FRATRIS.

AD CARDINALES.

ORATIO XVII.

EQVIDEM ipſe quocumque oculos, cogitationemque conuerto, admonitores mihi videre videor officij mei: qui quantam prouinciam aliorum imperio ſuſceperim, quàm amplum, copioſumque requiratur à me orationis genus, lugubri, funeſtaque huius inſtructiſsimi loci ſignificatione demonſtrent. Quid enim ſignifi-

Rex enim quotidie naſcitur ex Regibus, & poëtarum natio plus etiam quàm vellemus, in Republica ſoboleſcit) ſed dicam inquam id quod ipſa res eſt, nec in idonea laude verebor inuidiam. Solus Bellarmino ſimilis ordinis ampliſsimi Senator, ita doctus, ac ſapiens, ita modeſtus, ac moderatus, ita religioſus, ac pius, ita Reipublicæ ſalutaris, non modo non quotannis naſcitur, ſed requiretur in annos plurimos, & longa poſt ſæcula deſiderabitur. Non tamen eius à nobis vmquam deſiderabitur auxilium, non fides, non Eccleſiæ patrocinium, ac tutela; cuius militantis ipſe, dum viueret, tam præclara ſtipendia meruit, cuius ouantis, vita iam functus, & triumphum capit, & obtinet gloriam. Excurrit ille nunc inter felices animas, Ambroſios, Auguſtinos, alioſque mortis beneficio triumphantes, ac liberos: reſpicit è cælo relicta, videt nos alta nocte circumdatos, & diuinis perfuſam radijs aciem promittit in ſpatia tam vaſta terrarum. Suas adeo partes intelligit eſſe, pro Chriſtiana Republica non iam amplius columbæ gemitum dare, quod ſcripto libello fecit in lugentium campis, ſed per aduocationem adeſſe, atque intercedere; quod & præſtitit olim viuens in terris, & nunc præſtare multo facillimè poteſt in triumphantium concilio collocatus.

IN

In Funere ILLVSTRISSIMI, atque Excellentiſſimi IO. BAPTISTÆ BVRGHESII PAVLI V. PONT. MAX. FRATRIS.

AD CARDINALES.

ORATIO XVII.

EQVIDEM ipſe quocumque oculos, cogitationemque conuerto, admonitores mihi videre videor officij mei: qui quantam prouinciam aliorum imperio ſuſceperim, quàm amplum, copioſumque requiratur à me orationis genus, lugubri, funeſtaque huius inſtructiſsimi loci ſignificatione demonſtrent. Quid enim ſignifi-

Rex enim quotidie naſcitur ex Regibus, & poëtarum natio plus etiam quàm vellemus, in Republica ſoboleſcit) ſed dicam inquam id quod ipſa res eſt, nec in idonea laude verebor inuidiam. Solus Bellarmino ſimilis ordinis ampliſsimi Senator, ita doctus, ac ſapiens, ita modeſtus, ac moderatus, ita religioſus, ac pius, ita Reipublicæ ſalutaris, non modo non quotannis naſcitur, ſed requiretur in annos plurimos, & longa poſt ſæcula deſiderabitur. Non tamen eius à nobis vmquam deſiderabitur auxilium, non fides, non Eccleſiæ patrocinium, ac tutela; cuius militantis ipſe, dum viueret, tam præclara ſtipendia meruit, cuius ouantis, vita iam functus, & triumphum capit, & obtinet gloriam. Excurrit ille nunc inter felices animas, Ambroſios, Auguſtinos, alioſque mortis beneficio triumphantes, ac liberos: reſpicit è cælo relicta, videt nos alta nocte circumdatos, & diuinis perfuſam radijs aciem promittit in ſpatia tam vaſta terrarum. Suas adeo partes intelligit eſſe, pro Chriſtiana Republica non iam amplius columbæ gemitum dare, quod ſcripto libello fecit in lugentium campis, ſed per aduocationem adeſſe, atque intercedere; quod & præſtitit olim viuens in terris, & nunc præſtare multo facillimè poteſt in triumphantium concilio collocatus.

IN

In Funere ILLVSTRISSIMI, atque Excellentiſſimi IO. BAPTISTÆ BVRGHESII PAVLI V. PONT. MAX. FRATRIS. AD CARDINALES.

ORATIO XVII.

EQVIDEM ipſe quocumque oculos, cogitationemque conuerto, admonitores mihi videre videor officij mei: qui quantam prouinciam aliorum imperio ſuſceperim, quàm amplum, copioſumque requiratur à me orationis genus, lugubri, funeſtaque huius inſtructiſsimi loci ſignificatione demonſtrent. Quid enim ſignifi-

Digitized by Google

vehementer è vitæ ſtatione deceſſum efflagitarent. Nemini, qui ſuas ei preces apud Cæleſtes offerret, non reſpondit, æqui ſe bonique facere tam pium officium, ſed tamen id vnum excipere, ne ſibi vitam à Deo poſcerent, quam funditus ipſe repudiaret, ac nollet. Quin ab ipſo Pontifice Optimo, ac Maximo ſuum ei ſtudium inter aras, ac ſacra pollicente, illa lege, conſilioque tàm amplum ſe munus accipere velle profeſſus eſt, vt maturius, ac citius è corporis vinculis auolaret in cælum, non vt ex eo mortis periculo liberaretur. Fuit ille quidem in tota valetudinis regendæ ratione facillimus, nec vmquam gra[illegible]us inter corporis acerbitates, ac dolores e[illegible]queſtus: ſed vnus tamen eius aliquando gemitus exauditus eſt, & expoſtulatio non leuis, cum ſeptimà poſt decubitum die habere ſe meliuſculè intellexit ex medicis, quà die domum ſe ſuam, (ſic enim ipſe cælum appellabat) commigraturnm eſſe pro certo ſperauerat. Illuxit denique tempus exoptatum, cum admonitus, exiguum ſibi vitæ ſpatium ſupereſſe, contineri non potuit, quin in ſumma illa confecti, afflictique corporis imbecillitate penè ſemiuiuus, atque intermortuus ter ingènti, claraque voce, ò bonum nuncium exclamaret. Ne multa. commeatum, ac viaticum peregrinationi depoſcit idoneum: quod cum humi ſtratus, & ſic in genua quemadmodum poterat innixus excepiſſet, iterum lecto
com-

compoſitus, inter iucundiſsimas de cæleſti patria collocutiones, ac preces horam præſtolabatur extremam. quæ cum aliquando tandem adfuiſſet, crucem extemplo complexus arctiſſimè, ac velut illa comite facturus iter, humeris, colloque leniter acclinans, haud multo poſt ſine laterum vexatione, ſine ſpiritus angore, ſine deprauatione vultus, & corporis, mortalitatem expleuit in terris, immortalitatem inter Cælites inchoauit. vir omnino dignus, qui octogeſimo circiter ætatis anno decedens, tamquam acerbo præriperetur obitu, ſic omnium ordinum vocibus, & luctu complorare-tur. Populare prouerbium eſt, bouem vetulum non lugeri, in homines bene ſenes, & grandiores ætate conueniens; quorum exceſſus quia tempeſtiuus eſſe videtur omnibus, amicorum luctu vacat, & comploratione domeſticorum. ſed hoc dictum alioqui verum, & diuturno comprobatum experimento in Bellarmini funere deprehendimus falſum, qui & tam ſenex ploratus ab omnibus eſt, & ſi ad plures quoque prouectus fuiſſet annos ſemper exiſtimatus fuiſſet immaturè decedere. Nimirum, vt vetus quidam poëta loquitur;

Conſules fiunt quotannis, & noui Proconſules.

Sed (non dicam equidem quod apud eundem ſequitur.

Solus, aut Rex, aut poëta non quotannis naſcitur:

Rex enim quotidie naſcitur ex Regibus, & poëtarum natio plus etiam quàm vellemus, in Republica ſoboleſcit) ſed dicam inquam id quod ipſa res eſt, nec in idonea laude verebor inuidiam. Solus Bellarmino ſimilis ordinis ampliſsimi Senator, ita doctus, ac ſapiens, ita modeſtus, ac moderatus, ita religioſus, ac pius, ita Reipublicæ ſalutaris, non modo non quotannis naſcitur, ſed requiretur in annos plurimos, & longa poſt ſæcula deſiderabitur. Non tamen eius à nobis vmquam deſiderabitur auxilium, non fides, non Eccleſiæ patrocinium, ac tutela; cuius militantis ipſe, dum viueret, tam præclara ſtipendia meruit, cuius ouantis, vita iam functus, & triumphum capit, & obtinet gloriam. Excurrit ille nunc inter felices animas, Ambroſios, Auguſtinos, alioſque mortis beneficio triumphantes, ac liberos: reſpicit è cælo relicta, videt nos alta nocte circumdatos, & diuinis perfuſam radijs aciem promittit in ſpatia tam vaſta terrarum. Suas adeo partes intelligit eſſe, pro Chriſtiana Republica non iam amplius columbæ gemitum dare, quod ſcripto libello fecit in lugentium campis, ſed per aduocationem adeſſe, atque intercedere; quod & præſtitit olim viuens in terris, & nunc præſtare multo facillimè poteſt in triumphantium concilio collocatus.

IN

In Funere ILLVSTRISSIMI, atque Excellentiſſimi IO. BAPTISTÆ BVRGHESII PAVLI V. PONT. MAX. FRATRIS.

AD CARDINALES.

ORATIO XVII.

EQVIDEM ipſe quocumque oculos, cogitationemque conuerto, admonitores mihi videre videor officij mei: qui quantam prouinciam aliorum imperio ſuſceperim, quàm amplum, copioſumque requiratur à me orationis genus, lugubri, funeſtaque huius inſtructiſsimi loci ſignificatione demonſtrent. Quid enim ſignifi-

cat, Ampliſsimi Patres tam frequens iſte conſeſſus, quid atra, & pulla veſtis, depoſita Tyria, niſi tantam eſſe Io. Baptiſtæ Burgheſij dignitatem ac laudem, vt veſtrum etiam luctum, veſtræq; purpuræ mutationem, in ſuo funere poſtularit? Quid hic omnium ordinum concurſus? quid confluentis turbæ clamores, quid totius vrbis admurmuratio, niſi teſtimonium eximię compoſiti Principis virtuti iam pridem debitum, hodierna Quiritium acclamatione vobis inſpectantibus, ac veluti iudicibus impartiri? Quid compactilis illa moles Ægyptiarum æmula Pyramidum in medio templo luminibus impoſitis excitata, niſi tam florentem, ac firmam eius eſſe gloriam, quem ereptum lugemus, vt in ſolido collocata, nulla ſit temporum deterenda vi, nulla hominum obliuione delenda? Illa verò ſimulacra, quæ lamẽtantium habitu ſuis diſpoſita locis circa cernuntur, quid aliud ſunt, niſi fictæ illarum laudum, ac virtutum imagines, quas à me oportere ad viuum exprimi hac oratione intelligo? His adeo cauſis nonnihil in veſtibulo pertimeſcerem ſalebras, niſi viderem vnicuique, qui hunc hodie locum aſcendiſſet, eundem timorem, qui me occupat, fuiſſe propemodum euenturum. Quis enim in eo dicturus funere non commoueatur, quod tanto priuatorum ſtudio colitur, quod eorum præſentia decoratur, & luctu, qui ſummæ proximam obtinent in terris maieſtatem, in quo propinquitatis iure

eum

eum ipſum lugere par eſſet, cuius magnitudo. ac dignitas omni mortalium faſtigio maior, hoc etiam à cæteris diſtat, quod nobis lacrymari licet, illi non licet? Tuum ſanè PAVLE Beatiſſime Pontifex Maxime luctuoſiſsimum, & religioſiſsimum hoc officium eſt; quod quia præſentia illuſtrare non potes, iubes imperio. Tuum ſequuntur hodie mœrorem atrati Eccleſiæ Senatores, qui ad hæc bene merenti, cariſſimoque Fratri perſoluenda iuſta ſplendidiſsimo cœtu conuenerunt. Tuo denique dolori vox hæc mea reſpondebit; oratoris incenſo potius obſequentis animo, quàm eloquentis. Facio enim vt poſſum, conatumque meum, ac voluntatem cum luculentis aliorum officijs, ſtudijſque coniungo. Atque vt ab antiquorum conſuetudine quàm minime poſſum, aberrem, clariſsimos illos maiores ducta pene ſerie commemorabo, à quibus originem hauſit is, quem pro virili parte ornare contendo, vt ijs velut alienis facibus in hoc funere præeuntibus, cætera propriarum virtutum pompa videatur illuſtrior. Neque enim callide hic à me declinandus eſt locus, quod faciunt ij, qui quoniam dignitate carent, ac ſplendore maiorum, tenebras eo nomine laudant, quod glorioſius videatur, ſibi ipſi parere, quam ab alijs per manus, & quaſi tranſlatitiam accipere nobilitatem. Dixerint hæc Stoicorum penè more magnificè qui vel in genere lucem deſiderant, vel in alienæ

lucis obiectu ſuam ipſorum turpitudinem timent. Nihil horum Burgheſio pertimeſcendum eſt, cuius ſpectata nobilitas clariſsimo ducta fonte, incorrupto ſubinde tractu per inciles defluxit, eiuſque tandem virtute pulcherrima, veluti puriſſimo excepta ſolo; ripas, atque alueum amplificauit, vnde clarior auctiorque ad poſteros emanaret. Nam quemadmodum exigua, & minuta ſydera, quòd in tenebris luceant non admiramur, admiramur Luciferum quòd ad primos etiam Solis radios fulgere poſſit, ita facillimum putamus, ex maiorum obſcuritate in lucem venire, in eorundem claritate ſplendeſcere, perdifficile, ac glorioſum. Tres omnino ſunt hominum ordines, à quibus gloria nominis excurrit ad poſteros, atque ad certas familias, tanquam è capitibus deriuatur. Aut enim difficili Reipublicæ tempore pro dignitate, ac laudabiliter arma tractarunt; aut doctrina, magiſtratu, alijſque pacis artibus, humano generi, maximeque patriæ profuere, aut ſpectata religione, ac pietate ſingulari præſtabiles habiti ſunt. Quorum omnium copia ita Burgheſij præteritis ante temporibus abundarunt ſemper, vt quoties in nonnullis, quæ Senis ſunt, antiquorum monumentis, ea nominatur gens, appellatione, illa præſertim tempeſtate gloriſsima, nobilis, & generoſa dicatur. Nam, vt ab ijs initium capiam, qui militari laude floruerunt, hos ego Burgheſios in-

anna-

annalibus video eſſe clariſsimos : Auguſtinum, qui copiarum imperium habuit, Burgheſium Auguſtini filium, cui à Republica commiſſus exercitus eſt in finitimos Florentinos, Euſebium, qui pedites egregie duxit, ac Ricci cognomentum eſt nactus, Salluſtium, qui Tribunus factus pluribus militum ordinibus imperauit; Ioannem denique Baptiſtam etiam Tribunum, ac Ductorem inſignem, ſed omnibus anteferendum. Incredibile dictu eſt quàm multis vrbibus, ac Principibus viris impigram hic operām exercitu ducendo, regendoque nauarit. Ab Alexandro Mediceo, qui in ciuitate, atque intra domeſticos parietes hoſtes habebat, Prætorianis illis Cuſtodijs, quæ Principem ſtipant, honorificentiſſimè præfectus eſt. Malateſtam Balleonum, qui Peruſiam occuparat, neſcio quo humanæ mentis errore ſecutus, Hiſpellum eius nomine cum imperio tenuit, & pro eo contra Principem Arauſicanum fortiſsimè propugnauit. Volaterras à Ciuibus accitus, nihil habuit prius, quàm vt vrbem ab iniuria Thedaldi acerrimè, ac vigilantiſsimè tueretur: deinde cum Donato, primi nominis eo tempore militum duce, congreſſus, eum, exercitumque omnem fudit, atque internecione deleuit. Quid multa? Hæc etiam, Vrbium caput, nobiliſsima Vrbs, huius Tribuni ſalutares atque inuictas experta eſt manus, cum Borbonius, vltima parietinarum, quæ ſupererant fax,

impuras, ac ſacrilegas copias Templis, quibus olim ipſi pepercerant Barbari, circumduxit. Tum enimuerò Ioannes hic Baptiſta Burgheſius, Horatij credo Coclitis æmulatus laudem, Palatinum pontem non longe ab eo loco ſitum, vbi ſteterat ille in Sublicio ſolus, tanto cum animi ardore aduerſum hoſtes connitentes, irruenteſque defendit, vt ſi minus ſucceſſu, conatu quidem certè, atque audacia potuerit cum antiquo illo Coclite comparari.

Hæc iſtorum arma lenioribus aliorum ſtudijs ornata ſunt; qui litteris, qui temperanda in Magiſtratu Republica, qui legationibus obeundis, qui Iuriſprudentia familiæ laudem exaggerarunt, tranquillitatem, ac pacem patriæ pepererunt. Triginta amplius Iuris peritiſsimos viros in ea gente fuiſſe comperio, quorum adeo nonnullorum ſapientiſsima reſponſa hodieque ſeruantur. Eloquentia in primis, atque Humanitate, omni denique diſciplinarum genere claros, ac nobiles, inuenio multos: qui Præfecturas extra patriam, aliarumque Ciuitatum honores maximos, virtutis, & ſapientiæ beneficio adepti ſunt, præcipuè duos; Petrum, qui Leone Decimo Pontif. Max. Senatorium munus in Capitolio geſſit, ipſumque Pontificem ſuæ patriæ ſubiratum dexteritate, ac prudentia conciliauit; Alexandrum, qui Bononiæ atque Anconæ iuridicundo præſuit. Innumerabiles

vero

verò ſunt, qui domi ſuæ omnes Reipublicæ partes attigerunt: in quibus haud dubiè principatum obtineat Auguſtinus, Iuriſconſultus, vt leuiſsimè dicam, inſignis. Nam præterquam quod exercitum duxit imperator, populi Princeps, qui maximus erat in ea Republica Magiſtratus, quintùm eſt factus, ſæpiſsimèque miſſus ad exteras Ciuitates, ac Reges Legatus; ad Venetos, à quibus equeſtris etiam ordinis, dignitatem accepit, ad Caliſtum Romanum Pont. III. ad Pium II. ad Sigiſmundum Imperatorem; à quo cum non modo perhumaniter, ſed magnificentiſſimè quoque fuiſſet acceptus, ampliſſimis honorum generibus in digreſſu decoratus exceſſit. Filium ſuſcepit hic Auguſtinus Burgheſium illum, qui militibus item cum imperio præfuit; de quo admirabilia ſunt, quæ maiores litteris, monumentiſque teſtata reliquerunt. Hunc, poſt fugatum, cæſumque Florentinorum exercitum, à Calabriæ Duce, qui poſtea Neapolitanum Regnum obtinuit, in Imperiali monte, vbi copias habebat, equitem conceptis verbis appellatum aiunt: hunc eloquentiſsimum, hunc Iuris prudentiſsimum faciunt: hunc quatuor & triginta perpetuos annos in Senenſi Academia principatum tenuiſſe: hunc veluti Delphicum alterum Oraculum ex Italia tota conſultum tradunt; hunc inopum, hunc pupillorum, hunc viduarum patrocinium ſuſcepiſſe; hunc vnum omnem

nem Rempublicam virtute, auctoritate, conſilio adminiſtraſſe; vita denique functum communi vrbis lamentatione, ipſo tibicinum ſilentio, quod per biduum indictum eſt, omnium ordinum, puerorum etiam luctu deploratum, elatum publico ſumptu, honeſtiſsimo Ciuium comitatu, Oppidorum, quæ ſunt in Senenſi ditione, legatis, opificum Collegijs cereos præferentibus ad ſepulcrum longiſsima pompa deductum; denique teſtificatione populi Patrem patriæ nominatum. Ex hoc tanto, ac tam illuſtri viro genitus eſt Iacobus Burgheſius domi ſuæ honoratus, & nobilis, omnibuſque perfunctus Reip. muneribus, quæ viris honeſtis, atque prudentibus in ea ciuitate inſtituto quodam veteri demandantur. Ex quo deinde, patrum noſtrorum memoria, ſingulari Dei beneficio Marcus Antonius ille natus eſt, cuius virtus in hoc gentium Theatro coronam habuit; cuius vox oraculum fuit, cuius felicitas priuati hominis faſtigium adimpleuit. Is, vt Spartam, quam à maioribus ſic ornatam acceperat, amplificaret, Romam contendit; Iuris ciuilis ſcientia, conſilio, autoritate, ad lucem clariſsimus vir facile venit: ex antiquiſsima huius Vrbis nobilitate Flaminiam Aſtallam Coniugem duxit. Suſcepit ab ea liberos, & multos, & præſtantiſsimos: quorum vnus Horatius acerrimo vir ingenio, paulatim, & quaſi per gradus ad magnos honores euectus, tantum non

in ipſa purpura compoſitus eſt: alter Horatio natu maior Camillus: cum & locum, & fortunam defuncti iam fratris expleſſet, immaturo pene tempore primæ maturus gloriæ, creatus Pontifex, fecit, vt M. Antonio parenti non modo Burgheſia familia, ſed ipſa etiam Chriſtiana Reſp. in omnem deberet æternitatem. Hoc enim vno procreato filio, quantum non dico genti ſuæ, ſed toti terrarum orbi ſplendorem adiunxerit, æſtimet is, qui poſsit Pauli Quinti virtutem, & Romani maieſtatem Pontificis æſtimare. Neque verò multa neceſſe eſt de Aſtallorum claritate Burgheſijs addita commemorare, cum planiſsimum, ac notiſſimum ſit, eam familiam in peramplo ſuorum ſtemmate, non ſplendida ſolum oppidorum ditione, atque imperio claros innumerabiles viros, cenſere poſſe, ſed præterea, multos, qui Vexillo populi Romani à Pontificibus accepto, qui Sacerdotijs ampliſsimis, vetuſtiſsimam generis nobilitatem illuſtrarunt. Hæc inquam, atque alia ex ordine illo complura non dico; ſed ſatis habeo confirmare, in M. Antonij filijs ex Flaminia Aſtalla ſuſceptis, quorum eſt vnus Ioannes hic Baptiſta Burgheſius Pontificis Max. frater, nihil eorum deſiderari, quæ in Thucydidis claritate commendarunt antiqui; quem vt oſtenderent nobiliſsimum eſſe, non ſolum ab Oloro Thraciæ Rege ortum aiebant, ſed maternum præterea genus ducere à Miltiade ſpectatiſsi-

mo Athenienſium Imperatore.

Reſtat tertium illud claritatis, & gloriae genus, quod à religione, ac pietate præſtantibus viris dicebam ad familias corriuari. Id ſi apud Burgheſios amplè reperero, nae ego ſplendidiſſimam eam gentem fuiſſe demonſtrabo. Poſſem equidem à prima penè ſanctitatis luce lucem huic familiæ conciliare; cum etiam Catarina illa caſtiſima Senenſis Virgo, cui cæleſtes honores in Templis habemus, ad Burgheſios longa quadam affiniũ ſerie nonnihil affecta eſſe videatur: ſed vnius commemoratione contentus ſim Petri Burgheſij; qui cum eſſet iuris conſultiſſimus, præcipuaque apud ciues exiſtimatione floreret, rebus humanis pro nihilo habitis, nomen ſuum Ieſuatis adſcripſit: apud quos tanta deinde cum vitæ ſanctimonia verſatus eſt, vt inter Beatos eius ordinis ſit relatus.

Multi præterea ſunt qui religionis ſuæ ſpecimen inſigne dedere: antiquiſſimus ille ex Dominicana familia Burgheſius, qui milleſimo treceteſimo fundatæ ſalutis anno ſingulari cum ſanctitatis, ac ſapientiae fama Senenſi Cœnobio præfuit; Chriſtophorus, qui pulcherrimum, vt ijs temporibus, Sacellum in S. Dominici æde ſuæ pietatis monumentum reliquit, alijq; quos neque otium eſt, neque attinet recenſere. Vnus tamen ille Burgheſius à me ſupra laudatus præteriri non poteſt. qui, vt in vetuſtis Dominicanorum Aduerſarijs ſcriptum reperimus; in po-

ſtremo

ſtremo ex hac vita digreſſu, primo quidem D. Catarinæ, cuius ipſe ſtudioſiſsimus erat, admirabili precatione, pietatiſque pleniſſima, opem, omnibus audientibus implorauit: tum ad Euchariſtiam conuerſus, quam erat eo tempore ſuſcepturus, tam pijs eam, religioſiſq; ſalutare inſtitit verbis, vt omnes qui aderant non ad lacrymas ſolum, ſed ad vitam etiam ſanctius componendam ſedulò percellerentur.

Altius quidem hæc repetenda, & diligentius alienæ laudes euoluendæ fuerunt, vt Ioan. Bapt. Burgheſij, Pont. Max. fratris quas ſumus explicaturi virtutes oſtendant, non modo nullam tam claro generi fuiſſe ab eo maculam aſperſam, ſed ſummam etiam gloriam accerſitam: quippe qui, & perhoneſtum cum Landis, lautiſsimis Romæ Ciuibus inierit matura iuuentute coniugium, & ea morum ſpecie, ac dignitate ſe ipſum inſtruxerit, quæ hominem ita liberali, atque ingenua virorum oriundum ſerie facilè poſſet ornare. Sit ergo luſtrandi, recenſendique maiorum agminis aliquando finis: ac lucidus earum virtutum exponatur ordo, quæ ſicut omnem vitæ partem olim illuſtrarunt, ita perantiquas haſce ſuperiorum imagines, quaſi pomparum fercula hodierno funere comitantur. Non habeo magnopere neceſſe anteactam hominis vitam vſque à principio redordiri, ac diu, multumque in ſingulorum annorum replicanda memoria commorari. omnes enim intel-

telligunt, ac ſciunt, in illo ætatis flexu, in quo tam multa ſunt ad vitium diuerticula, vt Herculi tantum, aut Vlyſsi, hoc eſt fortiſsimis, ac ſapientiſsimis viris ea tributa prudentia, & conſtantia ſit, cuius beneficio declinarent præcipites ad extremum ſcopulos, & Syrenas illas inſidioſiſsimas exitioſæ voluptatis conciliatrices; ſciunt inquam vniuerſi, in tam lubrico, atque ad prolapſionem opportuno mortalibus loco neminem animi continentia, neminem innocentia vitæ, neminem pudicitiæ fama fuiſſe Burgheſio præſtantiorem. Hunc videlicet natura ad omnem virtutem erectum; ad piè, caſtèque viuendum propenſum eduxit, voluntas promouit, ſtudium exercuit, Dei Opt. Max. patrocinium, ac tutela ſeruauit. Curſum enim ab adoleſcentia, ſumma cum ſignificatione modeſtiæ, ac probitatis inſtitutum, conſecuto tempore paulatim incedens ita retinuit ſemper, vt non modo verbis, aut re nunquam ea repagula perfregerit, quæ circumduxerat verecundiæ ſuae, verum etiam, quod maximè pudicis viris euenire dicitur à Sapientibus, de ipſa pene pudicitia loqui erubuerit. Hunc hominis pudorem, & caſtimoniam plane admirabilem ſumma erga Deum, & Cælites omnes, inprimiſque aduerſus Virginem Maximam ſecuta religio eſt, quam & ardentiſsimo ſemper animo coluit, & primis ſecundum Deum honoribus impartiuit, & adſciuit ſibi, ſuiſq; ſingulari quodam ſtudio tu-

telarem.

telarem. Nam praeter quam quod illa religionis noſtrae myſteria, quae Sacramenta vocamus, frequenter obibat, nullum ſanctum, ac ſepoſitum in Faſtis Virgini praeterire ſinebat diem, quo ſolemnibus ſacris piè, ſanctèque ad eam venerandam animum non expiaret. Quid dicam de quadam non liberalitate ſolum, ſed liberalitatis magnificentia in pauperes? cum in ipſo quoque vitae priuatae modo ſtatos ſingulis menſibus deſignaſſet dies, quibus, egentibus ſtipem, aliquanto etiam prolixiùs, quàm eius iuſtae paterentur opes, elargiretur. Quid de ſumma animi conſenſione, qua cum fratribus concordiſsimè vixit? quid de voluntatis obſequentis officio nominatim erga eum, quem clariſsima virtus ad ſupremum extulit honoris gradum? cum eius ante nutum ſemper ſic obſeruaſſet, vt factum inde Chriſtianæ Reip. moderatorem, ac Principem, pia quadam, religioſaque animi reuerentia proſequi potuerit magis; obtemperationis, ac pene apparitionis aſsiduæ diligentia non potuerit. Hæc, aliaque permulta, quæ in Burgheſio laudis, & gloriæ ornamenta cernebantur antequam germanus, eorum qui ſupererant natu maximus toti terrarum orbi præficeretur, explanari à me, ac multis dici facilè poſſent: cum ea præſertim ſint, quæ ſummum illi humaniſsimi fratris amorem, & gratiam conciliarant. ſed admonet locus, in quem imprudenter incidi, admonent obiecti ad di-

dicendum cancelli, vt ea quàm primum attingam, ad quæ iam inde ab initio feſtinabat oratio. Vt enim ea virtus ſpectatiſsima ſemper, ac laudatiſsima fuiſſet, poſtea tamen in ſummo fratris imperio luculentum nacta theatrum, ita primarum partium geſtum fecit, vt ad extremum vſque actum, quod raro contingit in vitæ fabula, perpetuo populi plauſu excepta atque adprobata ſit. Non eſt tam admirabile, dixerit aliquis, in mediocri fortuna moderatum eſſe: in ſumma ſibi temperare, ac modum habere, vbi nullus fortunæ ſit modus, id verò incredibilis cuiuſdam modeſtiæ ſit, & continentiæ prope diuinæ.

Rectè quidem id dicitur, quia difficile atque arduum eſt, vt cecinit ille, opibus non tradere mores, hoc eſt, cum fortunae mutatione ipſum quoque animum non immutare. ea denique ſolida virtus eſt, quae conſtantiam habet, quae tenorem ſeruat, quae nunquam deflectit è via, quae ſiue aduerſae, ſiue ſecundae, ſiue ſecundis atque aduerſis interiectae res adſint, filum inſtituti curſus haud interrumpit. Noua hic mihi, eaque pulcherrima enaſci videtur ad dicendum ſeges ab ea moderatione animi, ac temperantia, quam in noua, hoc eſt in illa omnibus optatiſsima fortuna Burgheſius ad finem vſque retinuit. Non tam enim voce ſapientium, quàm oraculo quodam enunciatum eſt, facilius inimicam, atque aduerſam, quàm proſpe-

ram,

ram,ac ſecundam ferri fortunam ab animo poſſe; longèque plures inuentos eſſe, qui eius contra venientis, obluctantiſque impetum ſuſtinerent, quàm qui perbellè cadentis aura de loco, ac de gradu conſtantiæ non mouerentur. Numeretur igitur in paucis Ioannes Baptiſta Burgheſius; cuius animi ſtatum fortuna neque ſubita felicitate conturbare,neque fulgore illo, qui mortalium oculos repente capit, ne minimi quidem ex parte percellere potuit.Hic videlicet numeros expleuit omnes aequabilitas illa, quam in eo domeſtici,ac propinqui admirabundi ſuſpiciebant, cum dicerent, hominem eſſe, qui neſciret iraſci. Nam quemadmodum humana felicitas tum abſolui dicitur, cum vitae ipſius exitu beato, hoc eſt poſtrema de calamitate victoria terminatur; ſic ea iſtius aequitas animi tum demum apparuit cunctis abſoluta partibus,atque perfecta, cum eo loco poſita eſt, vbi poſtremi erant fluctus, quibus non turbaretur modo, ſed mergeretur. Cum enim ea floreret gratia, qua eum florere par erat, qui Pontificem tanta coniunctione ſanguinis attingebat, cumque nonnullas in hac gentium Regina ciuitate obtineret primi ordinis Praefecturas, honeſtiſsima ſanè ciuium frequentia quotidie ducendus, ac reducendus fuit, occurrentium turba ſalutandus; ſupplicantium non modo vocibus, ſed muneribus etiam appetendus. Non illum ſuae felicitatis admiratio, non popu-

telligunt, ac ſciunt, in illo ætatis flex
tam multa ſunt ad vitium diuerticula,
li tantum, aut Vlyſsi, hoc eſt fortiſsim
pientiſsimis viris ea tributa prudenti
ſtantia ſit, cuius beneficio declinare
tes ad extremum ſcopulos, & Syre
ſidioſiſsimas exitioſæ voluptatis co
ſciunt inquam vniuerſi, in tam lubri
prolapſionem opportuno mortalib
minem animi continentia, nemine
tia vitæ, neminem pudicitiæ fam
gheſio præſtantiorem. Hunc vide
ad omnem virtutem erectum; ad
viuendum propenſum eduxit, volu
uit, ſtudium exercuit, Dei Opt.
nium, ac tutela ſeruauit. Curſum
leſcentia, ſumma cum ſignificatio
ac probitatis inſtitutum, confe
paulatim incedens ita retinuit ſe
modo verbis, aut re nunquam
perfregerit, quæ circumduxe
ſuae, verum etiam, quod max
ris euenire dicitur à Sapientibu
pudicitia loqui erubuerit. Hu
dorem, & caſtimoniam plane a
ma erga Deum, & Cælites om
aduerſus Virginem Maximam
quam & ardentiſsimo ſempe
primis ſecundum Deum hon
& adſciuit ſibi, ſuiſq; ſingular

telarem. Nam [illegible] anarum in ſumma fe-
nis noſtrae [illegible] quædam animi elatio ,
mus, frequenter [illegible] atque omnia magno
poſitum [illegible] minora faſtigio , atque
diem ; quo [illegible] batur Quantum quæ-
ad eam [illegible] eceſsitudine illi con-
Quid dicam [illegible] , ne caeli quidem cir-
ſed liberalitas [illegible] mperium obtinet qui
cum in ipſo [illegible] iſtribuit, oracula red-
tos ſingulis [illegible] ſinum vbi concuſſus eſt
egentibus [illegible] , quae ex tam vicino
quàm [illegible] nnis Baptiſtae domum
Quid de [illegible] o facta eſſe exiſtimatis ?
fratribus [illegible] diceret , quicquid prio-
tatis [illegible] is ; alienum eſſe , non
quem [illegible] uae magnificè ſtruebatur
[illegible] am ſe praeparare , non
ſic [illegible] amiliari amplificanda illò
[illegible] ur , id velut externum , ac
[illegible] , aliorum arbitrio facile
magis ; [illegible] quicquam frequentius , aut
aſsidua [illegible] colloquio iterare ſolitus
[illegible] moriturum, ac propterea
[illegible] ae corporis, & fortunae bo-
[illegible] gnopere laborandum. O vi-
[illegible] tuaq; maiorem fortuna. ò in-
[illegible] erantiam animi tui . ò nouum
[illegible] is antiquiſſimae moderationis,
[illegible] mplum. Quid enim ſignificabat
[illegible] ox , quid ea mortis tuae , velut

li plauſus è ſtatu mentis eiecit, non potentium aſſentatio in fraudem illexit, non corruptorum munera, non deprecantium ſtudia de iuſtitiae ſanctitate detraxerunt.

Neque tamen ſuſpicandum propterea eſt, ſeueritatem illam aſperam, ac duram fuiſſe, quae difficilem, atque implacabilem hominem redderet. erat enim id etiam aſſecutus, vt quae virtutes ſpecie diſpares ſunt, ac penè pugnantes, eas in ſe ipſo prudentia quadam ſingulari, coniungeret. Nihil illo clementius, nihil humanius, aut placabilius eſſe, nec fingi poterat. Omnium horarum homo, vniuerſis, notis æquè, atque ignotis facilis, benignus, commodus; ad omnem humanitatis rationem factus, atque à natura ſine doctrina compoſitus. Nulla in eo cælandi conſilij ſtudia, nulli verborum ambitus perplexi, nulla orationis ambiguæ calliditas, nullæ fallaciæ, nullæ ſimulationes, quibus veri iudicium adulteratur. Quod ſi quiſpiam à me parum dici putat, cum audit, iſtum ſimulandi, ac diſsimulandi prorſus arte caruiſſe, reputet aliquantum animo, euoluatque illa fraudis integumenta, quibus hodie res iuxta priuatæ, ac publicè tranſiguntur; intelliget profecto, ne id quidem Burgheſio nocuiſſe, quod hoc ſæculo natus ſit.

Multæ præterea ſunt in hoc viro magnæ, incredibileſque virtutes mihi ad dicendum propoſitæ: ſed nulla tamen amplior eſſe videtur, aut

illu-

illuſtrior, quàm rerum humanarum in ſumma felicitate deſpicientia, & quædam animi elatio, qua primam fortunam, atque omnia magno mortalibus æſtimata ſuo minora faſtigio, atque infra ſe poſita eſſe arbitrabatur. Quantum quæſo erat, tam propinqua neceſsitudine illi coniunctum eſſe, qui nullis, ne caeli quidem circumſcriptum limitibus imperium obtinet: qui gentibus vniuerſis iura diſtribuit, oracula reddit; in cuius confugit ſinum vbi concuſſus eſt orbis terrarum? Sed ea, quae ex tam vicino felicitatis apice ad Ioannis Baptiſtae domum aſpirabant, quanti ab eo facta eſſe exiſtimatis? Auditus eſt ſaepe cum diceret, quicquid prioribus accederet fortunis, alienum eſſe, non ſuum: domum illam, quae magnificè ſtruebatur in Campo, alijs vtendam ſe praeparare, non ſibi. Si quid de re familiari amplificanda illo praeſente tranſigeretur, id velut externum, ac nihil ad ſe pertinens, aliorum arbitrio facile permittebat: neque quicquam frequentius, aut planius in omni penè colloquio iterare ſolitus erat, quàm ſe breui moriturum, ac propterea de fluxis, caducisque corporis, & fortunae bonis non eſſe ſibi magnopere laborandum. O virum, excellentem tuaq; maiorem fortuna. ò incredibilem temperantiam animi tui. ò nouum temporibus noſtris antiquiſſimae moderationis, ac probitatis exemplum. Quid enim ſignificabat magnifica illa vox, quid ea mortis tuae, velut

li plauſus è ſtatu mentis eiecit, non potentium aſſentatio in fraudem illexit, non corruptorum munera, non deprecantium ſtudia de iuſtitiae ſanctitate detraxerunt.

Neque tamen ſuſpicandum propterea eſt, ſeueritatem illam aſperam, ac duram fuiſſe, quae difficilem, atque implacabilem hominem redderet. erat enim id etiam aſſecutus, vt quae virtutes ſpecie diſpares ſunt, ac penè pugnantes, eas in ſe ipſo prudentia quadam ſingulari, coniungeret. Nihil illo clementius, nihil humanius, aut placabilius eſſe, nec fingi poterat. Omnium horarum homo, vniuerſis, notis æquè, atque ignotis facilis, benignus, commodus; ad omnem humanitatis rationem factus, atque à natura ſine doctrina compoſitus. Nulla in eo cælandi conſilij ſtudia, nulli verborum ambitus perplexi, nulla orationis ambiguæ calliditas, nullæ fallaciæ, nullæ ſimulationes, quibus veri iudicium adulteratur. Quod ſi quiſpiam à me parum dici putat, cum audit, iſtum ſimulandi, ac diſsimulandi prorſus arte caruiſſe, reputet aliquantum animo, euoluatque illa fraudis integumenta, quibus hodie res iuxta priuatæ, ac publicè tranſiguntur; intelliget profectò, ne id quidem Burgheſio nocuiſſe, quod hoc ſæculo natus ſit.

Multæ præterea ſunt in hoc viro magnæ, incredibileſque virtutes mihi ad dicendum propoſitæ: ſed nulla tamen amplior eſſe videtur, aut illu-

illuſtrior, quàm rerum humanarum in ſumma felicitate deſpicientia, & quædam animi elatio, qua primam fortunam, atque omnia magno mortalibus æſtimata ſuo minora faſtigio, atque infra ſe poſita eſſe arbitrabatur. Quantum quæſo erat, tam propinqua neceſsitudine illi coniunctum eſſe, qui nullis, ne caeli quidem circumſcriptum limitibus imperium obtinet; qui gentibus vniuerſis iura diſtribuit, oracula reddit; in cuius confugit ſinum vbi concuſſus eſt orbis terrarum? Sed ea, quae ex tam vicino felicitatis apice ad Ioannis Baptiſtae domum aſpirabant, quanti ab eo facta eſſe exiſtimatis? Auditus eſt ſaepe cum diceret, quicquid prioribus accederet fortunis, alienum eſſe, non ſuum: domum illam, quae magnificè ſtruebatur in Campo, alijs vtendam ſe praeparare, non ſibi. Si quid de re familiari amplificanda illo praeſente tranſigeretur, id velut externum, ac nihil ad ſe pertinens, aliorum arbitrio facile permittebat: neque quicquam frequentius, aut planius in omni penè colloquio iterare ſolitus erat, quàm ſe breui moriturum, ac propterea de fluxis, caducíſque corporis, & fortunae bonis non eſſe ſibi magnopere laborandum. O virum, excellentem tuaq; maiorem fortuna. ò incredibilem temperantiam animi tui. ò nouum temporibus noſtris antiquiſſimae moderationis, ac probitatis exemplum. Quid enim ſignificabat magnifica illa vox, quid ea mortis tuae, velut

li plauſus è ſtatu mentis eiecit, non potentium aſſentatio in fraudem illexit, non corruptorum munera, non deprecantium ſtudia de iuſtitiae ſanctitate detraxerunt.

Neque tamen ſuſpicandum propterea eſt, ſeueritatem illam aſperam, ac duram fuiſſe, quae difficilem, atque implacabilem hominem redderet. erat enim id etiam aſſecutus, vt quae virtutes ſpecie diſpares ſunt, ac penè pugnantes, eas in ſe ipſo prudentia quadam ſingulari, coniungeret. Nihil illo clementius, nihil humanius, aut placabilius eſſe, nec fingi poterat. Omnium horarum homo, vniuerſis, notis æquè, atque ignotis facilis, benignus, commodus; ad omnem humanitatis rationem factus, atque à natura ſine doctrina compoſitus. Nulla in eo cælandi conſilij ſtudia, nulli verborum ambitus perplexi, nulla orationis ambiguæ calliditas, nullæ fallaciæ, nullæ ſimulationes, quibus veri iudicium adulteratur. Quod ſi quiſpiam à me parum dici putat, cum audit, iſtum ſimulandi, ac diſsimulandi prorſus arte caruiſſe, reputet aliquantum animo, euoluatque illa fraudis integumenta, quibus hodie res iuxta priuatæ, ac publicè tranſiguntur; intelliget profecto, ne id quidem Burgheſio nocuiſſe, quod hoc ſæculo natus ſit.

Multæ præterea ſunt in hoc viro magnæ, incredibileſque virtutes mihi ad dicendum propoſitæ: ſed nulla tamen amplior eſſe videtur, aut illu-

illuſtrior, quàm rerum humanarum in ſumma felicitate deſpicientia, & quædam animi elatio, qua primam fortunam, atque omnia magno mortalibus æſtimata ſuo minora faſtigio, atque infra ſe poſita eſſe arbitrabatur. Quantum quæſo erat, tam propinqua neceſsitudine illi coniunctum eſſe, qui nullis, ne caeli quidem circumſcriptum limitibus imperium obtinet: qui gentibus vniuerſis iura diſtribuit, oracula reddit; in cuius confugit ſinum vbi concuſſus eſt orbis terrarum? Sed ea, quae ex tam vicino felicitatis apice ad Ioannis Baptiſtae domum aſpirabant, quanti ab eo facta eſſe exiſtimatis? Auditus eſt ſaepe cum diceret, quicquid prioribus accederet fortunis, alienum eſſe, non ſuum: domum illam, quae magnificè ſtruebatur in Campo, alijs vtendam ſe praeparare, non ſibi. Si quid de re familiari amplificanda illò praeſente tranſigeretur, id velut externum, ac nihil ad ſe pertinens, aliorum arbitrio facile permittebat: neque quicquam frequentius, aut planius in omni penè colloquio iterare ſolitus erat, quàm ſe breui moriturum, ac propterea de fluxis, caducisque corporis, & fortunae bonis non eſſe ſibi magnopere laborandum. O virum, excellentem tuaq; maiorem fortuna. ò incredibilem temperantiam animi tui. ò nouum temporibus noſtris antiquiſſimae moderationis, ac probitatis exemplum. Quid enim ſignificabat magnifica illa vox, quid ea mortis tuae, velut

dicendum cancelli, vt ea quàm primum attingam, ad quæ iam inde ab initio feſtinabat oratio. Vt enim ea virtus ſpectatiſsima ſemper, ac laudatiſsima fuiſſet, poſtea tamen in ſummo fratris imperio luculentum nacta theatrum, ita primarum partium geſtum fecit, vt ad extremum vſque actum, quod raro contingit in vitæ fabula, perpetuo populi plauſu excepta atque adprobata ſit. Non eſt tam admirabile, dixerit aliquis, in mediocri fortuna moderatum eſſe: in ſumma ſibi temperare, ac modum habere, vbi nullus fortunæ ſit modus, id verò incredibilis cuiuſdam modeſtiæ ſit, & continentiæ prope diuinæ.

Rectè quidem id dicitur, quia difficile atque arduum eſt, vt cecinit ille, opibus non tradere mores, hoc eſt, cum fortunae mutatione ipſum quoque animum non immutare. ea denique ſolida virtus eſt, quae conſtantiam habet, quae tenorem ſeruat, quae nunquam deflectit è via, quae ſiue aduerſae, ſiue ſecundae, ſiue ſecundis atque aduerſis interiectae res adſint, filum inſtituti curſus haud interrumpit. Noua hic mihi, eaque pulcherrima enaſci videtur ad dicendum ſeges ab ea moderatione animi, ac temperantia, quam in noua, hoc eſt in illa omnibus optatiſsima fortuna Burgheſius ad finem vſque retinuit. Non tam enim voce ſapientium, quàm oraculo quodam enunciatum eſt, facilius inimicam, atque aduerſam, quàm proſperam,

ram,ac ſecundam ferri fortunam ab animo poſſe; longèque plures inuentos eſſe, qui eius contra venientis, obluctantiſque impetum ſuſtinerent, quàm qui perbellè cadentis aura de loco, ac de gradu conſtantiæ non mouerentur. Numeretur igitur in paucis Ioannes Baptiſta Burgheſius; cuius animi ſtatum fortuna neque ſubita felicitate conturbare,neque fulgore illo, qui mortalium oculos repente capit, ne minimi quidem ex parte percellere potuit.Hic videlicet numeros expleuit omnes aequabilitas illa, quam in eo domeſtici,ac propinqui admirabundi ſuſpiciebant, cum dicerent, hominem eſſe, qui neſciret iraſci. Nam quemadmodum humana felicitas tùm abſolui dicitur, cum vitae ipſius exitu beato, hoc eſt poſtrema de calamitate victoria terminatur; ſic ea iſtius aequitas animi tum demum apparuit cunctis abſoluta partibus,atque perfecta, cum eo loco poſita eſt, vbi poſtremi erant fluctus, quibus non turbaretur modo, ſed mergeretur. Cum enim ea floreret gratia, qua eum florere par erat, qui Pontificem tanta coniunctione ſanguinis attingebat, cumque nonnullas in hac gentium Regina ciuitate obtineret primi ordinis Praefecturas, honeſtiſsima ſanè ciuium frequentia quotidie ducendus, ac reducendus fuit, occurrentium turba ſalutandus, ſupplicantium non modo vocibus, ſed muneribus etiam appetendus. Non illum ſuae felicitatis admiratio, non popu-

li plauſus è ſtatu mentis eiecit, non potentium aſſentatio in fraudem illexit, non corruptorum munera, non deprecantium ſtudia de iuſtitiae ſanctitate detraxerunt.

Neque tamen ſuſpicandum propterea eſt, ſeueritatem illam aſperam, ac duram fuiſſe, quae difficilem, atque implacabilem hominem redderet. erat enim id etiam aſſecutus, vt quae virtutes ſpecie diſpares ſunt, ac penè pugnantes, eas in ſe ipſo prudentia quadam ſingulari, coniungeret. Nihil illo clementius, nihil humanius, aut placabilius eſſe, nec fingi poterat. Omnium horarum homo, vniuerſis, notis æquè, atque ignotis facilis, benignus, commodus; ad omnem humanitatis rationem factus, atque à natura ſine doctrina compoſitus. Nulla in eo cælandi conſilij ſtudia, nulli verborum ambitus perplexi, nulla orationis ambiguæ calliditas, nullæ fallaciæ, nullæ ſimulationes, quibus veri iudicium adulteratur. Quod ſi quiſpiam à me parum dici putat, cum audit, iſtum ſimulandi, ac diſsimulandi prorſus arte caruiſſe, reputet aliquantum animo, euoluatque illa fraudis integumenta, quibus hodie res iuxta priuatæ, ac publicè tranſiguntur; intelliget profecto, ne id quidem Burgheſio nocuiſſe, quod hoc ſæculo natus ſit.

Multæ præterea ſunt in hoc viro magnæ, incredibileſque virtutes mihi ad dicendum propoſitæ: ſed nulla tamen amplior eſſe videtur, aut illu-

illuſtrior, quàm rerum humanarum in ſumma felicitate deſpicientia, & quædam animi elatio, qua primam fortunam, atque omnia magno mortalibus æſtimata ſuo minora faſtigio, atque infra ſe poſita eſſe arbitrabatur. Quantum quæſo erat, tam propinqua neceſsitudine illi coniunctum eſſe, qui nullis, ne caeli quidem circumſcriptum limitibus imperium obtinet; qui gentibus vniuerſis iura diſtribuit, oracula reddit; in cuius confugit ſinum vbi concuſſus eſt orbis terrarum? Sed ea, quae ex tam vicino felicitatis apice ad Ioannis Baptiſtae domum aſpirabant, quanti ab eo facta eſſe exiſtimatis? Auditus eſt ſaepe cum diceret, quicquid prioribus accederet fortunis, alienum eſſe, non ſuum: domum illam, quae magnificè ſtruebatur in Campo, alijs vtendam ſe praeparare, non ſibi. Si quid de re familiari amplificanda illò praeſente tranſigeretur, id velut externum, ac nihil ad ſe pertinens, aliorum arbitrio facile permittebat: neque quicquam frequentius, aut planius in omni penè colloquio iterare ſolitus erat, quàm ſe breui moriturum, ac propterea de fluxis, caducíſque corporis, & fortunae bonis non eſſe ſibi magnopere laborandum. O virum, excellentem tuaq; maiorem fortuna. ò incredibilem temperantiam animi tui. ò nouum temporibus noſtris antiquiſſimae moderationis, ac probitatis exemplum. Quid enim ſignificabat magnifica illa vox, quid ea mortis tuae, velut

impendentis toties atq; in omni ſermone inculcata neceſſitas, niſi ea, quae domum tuam caſus attulerat, ita te reſpicere, quaſi propediem exitura quà venerant? Quid ſignificabat illa felicitatis tuae tam magna contemptio, niſi animum te ſupra fortunae promiſſa iam erexiſſe, neq; aliquid dignum in rebus humanis putare, quod admirareris, quod cuperes, quod ſperares? Deus immortalis quid eſt hoc? Fulgor ille nouae felicitatis nihil perſtrinxit oculos tuos? nihil animum extulit noua potentia? Fortuna, quae modeſtiae inimica eſt, atq; conſilio, tenorem animi tui non labefactat? Ita prorſus. Non tam infirmus ſum, inquit; vt diuitias pati non poſſim. non quòd in opulentam domum tranſciptus ſum, idcirco me ſuſpiciam, atque admirer. non quòd opes circa me fulgent, animoſior eſſe debeo. eodem animi habitu, argentum tractabo, quo fictilibus vterer. ſic mihi denique viuendum eſt quaſi quotidie morituro. Haec ille dicere videbatur non tam nouus ampliſſimae felicitatis occupator, quàm nouus in ampliſſima felicitate philoſophus. Quae quoniam praeſcripti temporis excluſus anguſtijs pluribus explicare, atque amplificare non poſſum, venio ad poſtremum actum: quem tantum abeſt vt imperitorum poëtarum more ille neglexerit, vt corollarium etiam eſſe voluerit laudum ſuarum.

Cum obitus ſui tempus appetere neſcio qua præſenſionis vi propemodum diuinaret, multis id ve-

id velut exploratiſsimum, maximèque ſummo Pontifici confirmauit; à quo etiam illo nomine de induſtria denique contendit, vt ſibi mox è viuis exceſſuro tùm poſtremò bene precaretur, ac ſaluberrimo ſigno veniam daret. Inde digreſſus, domum reuertit, atque illicò cœpit ex morbo periculoſe decumbere, toto languere corpore, acerbiſsimis, grauiſsimiſque doloribus, vehementer vrgeri. Quid hic à domeſticis ageretur, facilius eſt cogitare, quàm dicere. Concurſari tota domo; vndique medicos accerſiri, medicamenta, atque aduerſus vim morbi præſidia, vt in primorum capitum diſcrimine fit, vbique diligenter, ſtudioſèque conquiri. Tum ille in omnium trepidatione, atque in præſenti periculo mortis interritus, ad ſuos, inprimiſque ad vxorem conuerſus: hem, inquit, cariſsima Coniux, quid valeat optima, florentiſsimaque fortuna, quid luculenta domus, quid rerum copia, quid gratulantium, ac ſequentium turba, quid prima inter mortales, propinquitas, vides. Impares viuimus, morimur pares. aequat omnes interitus, nec vltimus cinis vllum eximiũ habet. Summis, medijs, infimis impoſita moriendi neceſsitas eſt. Hanc nulla ſubterfugit diligentia, nulla felicitas frangit, nulla potentia vincit. Si quid aduerſus morbi contumaciam induſtria poteſt, non recuſo. Neque enim eius iniuſſu abire licet, qui hoc nos carcere circumſepſit. Sed tamen, ſi me

audis, ad pias potius Sacerdotum preces, ſupplicationeſque confugies, quibus diuinum conſilium certius exploratur. Ego te, cum grauiſſimo conflictata morbo iaceres, ego filium vnicum in poſtremo vitæ diſcrimine laborantem hac mercede redemi. Si me tuis redditurus eſt lacrymis, qui me prima iam tuba de tabernaculo vocat, non alio pretio reddi velim. Hoc mentis inconfuſæ ſtatu cum multos ſine gemitu, ſine vlla doloris ſignificatione inter ſummas acerbitates traduxiſſet dies, teſtamento iam ante ſapientiſſimè condito, quo fratrem prouentibus honeſtiſsimis, Sacerdotes piacularibus hoſtijs litaturos perpetuo cenſu, virgines illocabiles, ac dote caſſas dotalibus inſtrumentis in ſingulos annos impertiuit; ſacris, vt in eo temporis articulo noſtra religio eſt, expiatus, animum auctori Deo, ſummoque procreatori redonauit. O te ad extremum vſque felicem, ac fortunatum, qui tanta vitæ conſtantia è vitæ ſcopulis enauigaris, de cuius virtute non ſimulata, mors excepta fortiſsimè pronunciarit. Tecum oppidò actum eſt bene, atque praeclarè, cum eò conceſſeris, vbi nullus te reflantis fortunæ impetus depellere poſſit, cum ad eum, vt quidem ſpes eſt, portum appuleris, vnde concitari maria, vnde rerum humanarum viciſsitudine, velut inſano quodam æſtu Oceanum ad terras verti, vnde fulminantis cæli horribilem, ac trucem faciem tui ſecurus intueris; vbi nullam

lam priuatam cladem aſpiciunt oculi, vbi nullis conuicijs verberantur aures, vbi metu ſolutus animus ex euentu non pendet. Tecum inquam actum feliciſsime eſt: ſed cum ijs quos in luctu, ac lacrymis, quos in orbitate reliquiſti, peracerbè. Conſolantur tamen dolorem ſuum hoc potiſsimum die, quo tui memoriam iuſtis Chriſtianorum officijs excitarunt. Adeſt enim huius funeris ornamentum, ac lux Burgheſius Cardinalis longe mœſtiſsimus, qui obitum iſtum importunum, & Pontificis nomine lamentatur, & ſuo. adeſt cariſsimus, atque optatiſſimus filius, adeſt optimus frater, cæteri adſunt tui, ad doloris teſtificationem atrati omnes atque pullati; qui dum me de tuis virtutibus ex hoc loco dicentem audiunt, cum hoc Cenotaphium, hæc tuorum recte factorum monumenta vident, tecum ſe loqui, ac verſari, morum tuorum ſuauitate perfrui, te ipſum intueri oculis arbitrantur.

LEGATO HENRICI IV. GALLIAE REGIS Niuernenſium Duci.

In Claſſe Retborica.

ORATIO XVIII.

PATIERIS, Excellentiſſime Princeps, à me quampaucisſimis appellari, quando huius Academiæ ſpatijs inuiſendis, laureati Pompeij, clarisſimi olim Imperatoris exempla renouaſti. Quanquam enim intelligimus, eos hic, neque Rhetores, neque Philoſophos inuenire te poſſe, quos ille Rhodi, atque Athenis audiuit, eius tamen viri triumphalis in te quãdam velut imaginem intuemur, cum ea triumphi ſpecies adhuc animis obuerſatur, qua publicè proximis ſuperioribus diebus exceptus tota, Vrbe ſumma omnium acclamatione gradiebaris. In mentem ſibi redigere conabãtur vniuerſi quicquid vnquam,

quod

quod oculos oblectare poſſet, præteritis iam temporibus aſpexiſſent: reputabant, quot Regum atque Imperatorum Legati; quot viri Principes ad hanc Vrbem venerandam apparatiſſimo quondam cultu conuolaſſent; omnem denique anteactæ memoriam ætatis animo replicabant: nec tamen vllum ſibi ſpectaculum, aut pulcrius, quàm illud, aut magnificentius obiectum aliquando fuiſſe recordabantur. At in qua Vrbe iſta dicebant ſapientiſsimi viri? in ea; vbi ciues admirabilibus quotidie rebus inſpiciendis aſſuefacti, propè nihil admirari didicerunt. Nemo, nemo, nobilium Gallorum ordines illos bene longos, velut apparitores, ac ſtipatores tuos in ea pompa cernebat, nemo eorum habitum, veſtitum, proceritatem, vultum ipſum, militarem propemodum artem præſeferentem intuebatur, qui non diceret, tales omnino fuiſſe antiquos illos Galliæ bellatores, qui ſub Ludouicis, Gotfridis, Balduinis, cæteriſque primi nominis Ducibus, orientis ſolis ampliſsima regna victorijs, triumphiſque luſtrarunt, atque auguſtiſsimum illud noſtri Liberatoris ſepulcrum in libertatem olim aſſeruerunt. Nemo in te ipſum oculos eo die conijciebat, qui Henricum potentiſſimum, clariſsimumque Galliæ Regem, cuius in agmine perſonam ſumma cum dignitate ſuſtinebas, ſe cernere non putaret, ſibique animo fingeret, quos honores, quæ populi ſtudia, plauſuſque, quos ille

le clamores, atque admirationes eſſet habiturus, ſi vnquam hæc mænia, atque hoc orbis terræ theatrum ingrederetur. Romanorum enim omnium, atque adeo gentium vniuerſarum ſermone perhibetur tanta virtute, tanta fortuna, tanta clementia, tanta liberalitate florentiſsimus ille Rex: & quorum corporibus ditione, ac poteſtate non imperat, in eorum animis amore, ac beneuolentia dominatur. Mirantur in eo tantum ornamentorum omnium, virtutumque concentum, vt fortuna cum ratione, cum hilaritate ſeueritas, humanitas cum maieſtate quaſi cum acutis grauia, vt fieri ſolet in fidibus, proportione concordent Mirantur talem, ac tantam Regiæ placabilitatis lucem obortam eſſe, quaſi cæli ſerenitatem poſt turbines, tempeſtateſque bellorum; quæ ad augendam huius tranquillitatis gratiam ſummo cum Regni diſcrimine anteceſſerunt. Vident grauiſsimum quidem tumultibus illis ciuilibus toti Galliæ fuiſſe vulnus impoſitum: ſed, ſi nulla erat alia ratio, quæ tantum virum Regni gubernaculis admoueret, prope eſt, vt exclament, eo vulnere parandam fuiſſe tantam Reip. ſanitatem. Hanc igitur, Excellentiſsime Princeps, illo ſpectaculo publicam tu populo, communemque lætitiam omnibus attuliſti: verumtamen, quia nos, noſtrumque ipſorum Ordinem ſingulari beneuolentia complecteris, voluiſti hodierna luce nobis eſſe propriam, priuatamque

que

que gratulationem, quam ea die oportuit eſſe latè patentem, ac popularem. Sequeris videlicet, & hæreditariam putas optimi parentis tui perbenignam in nos voluntatem: ipſum Henricum Regem æmularis: qui cum in omni vitæ parte moderatiſsimus, & habeatur & ſit, hoc vno mediocritatis confinium tranſilijſſe videtur, quòd plus nimio ſit in nos prolixus, ac liberalis. Horum inquam tu ſecutus exempla, traditis nobis, ædificatiſque in tua ditione Collegijs, atque Academijs, parum animo tuo ſatiſfeciſſe videbaris, niſi Romam publica cum legatione profectus, eos in alieno ſolo beneficijs cumulares, quos haud mediocriter oneraras in tuo. Fortunatiſsimi profecto iudicamur, quòd tantæ à vobis exiſtant in nos beneuolentiæ ſignificationes: quòd Muſæ noſtræ manſuetiores Gallicum Herculem ad ſuam tutelam armatum intueantur. Sed minus in tanta fortuna fortunati ſumus, quòd noſtra impeditos tenuitate viuere nos oporteat magnitudini tam notæ liberalitatis ingratos. Tamen, quòd ab hac etiam mediocritate ſperare licet, omnium nomine habeo minime fortaſſe contemnendam tam magno promerito repromittere gratiam. Quamdiu enim doctorum vocibus hæc Gymnaſia perſonabunt, quamdiu hic hominum ordo conſtiterit, quamdiu hæ qualeſcumque litteræ noſtræ loquentur, tamdiu veſtram liberalitatem, veſtram religionem, veſtra in nos officia prædicabunt.

FER-

FERDINANDO CARDINALI GONZAGÆ.

In Claſſe Rhetoricae.

ORATIO XIX.

INVSITATVM aliquod, ac nouum à me gratiarum poſtulat genus iſta prolixitas incredibilis, ac ſingularis humanitatis tuæ, Illuſtriſſime Princeps: de quo, mihi repentè occupato cogitanti, venit in mentem oratorum deſerere leges, atque in ipſa poëtarum caſtra ſubitò conuolare. Cum enim partes attendo meas, qui cum cæteris huius Gymnaſij Præceptoribus comparatus, iſtius hodiè benignitatis quaſi florem delibo publicè primus, cuius ante priuatim habui ſæpe à te ſignificationes haud obſcuras: cum inaudita quædam, ac propè diuina in commune noſtrum ipſorum nomen à familia veſtra profecta beneficia, cum iſtum ſplendorem intueor, & Gentis, & tuum; rerum, tum gra-

grauitate,tum multitudine interceptus, pene cogor hoc initio, poëtarum more Muſarum opem implorare, vt mihi præeant verba facturo:aut aliquem deducere per machinam è Cælo Deum, qui callidè nodum ſoluat, aperiatque illicò viam, quam inertiæ meæ plus nimio impeditam eſſe video,ac ſalebroſam. Sed quoniam id oratori agere nouo exemplo non licet; nec quas agam reperio gratias beneficio pares, Regem illum imitabor Euandrum: qui Æneam humili, ac ſtramineo accepturus hoſpitio, ſatis habuit, inopiam profiteri ſuam, & diuinum hoſpitem ad diuitiarum contemptionem adhortari, quarum intra illa mapalia nullam eſſet omnino copiam inuenturus. Quid? An non ego etiam cum de me, de te ipſo cogito, princeps Illuſtriſsime, hodierna luce dicere meritò poſſum.

Aude hoſpes contemnere opes; & te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni non aſper egenis?

Reputabat animo, cum hæc diceret Rex ille paſtoritius,ac plane paſtor, quam lautè, quàm magnificè habendus eſſet is, quem non dico à potentiſsimis Aſiæ Regibus,ſed a Dijs ipſis immortalibus originem, ac genus ducere intelligebat. Ego, non idem de tua dignitate; de rationibus ſentiam meis, cum Regias illas nominis veſtri clientelas, affinitates, neceſsitudines, propinquitates euoluo,quibus omnia iam pene ter-

terrarum orbis imperia, & dominatus attingitis: cum ſeriem illam retexo maiorum, & veteres, nouaſque Gentilium tuorum imagines recolo, in quibus non Duces modo, Imperatoreſque fortiſsimos intuemur, ſed eos quoque numerare incipimus, quorum virtuti aræ in templis, ac ſacra, vota, diuinique prorſus honores communi gentium omnium prærogatiua deferuntur? Dicebat hæc Euander, quòd eum ſe nactum hoſpitem eſſe ſciret, cum quo nemo de prudentia poſſet, de religione, de virtute contendere. Idem ego non dixerim, qui te intra parietes hoſce repente conſpiciam, cui ſingularem ſapientiam, atque infinitam illam rerum humanarum, cæleſtiumque cognitionem, non aliqua dediſſe videtur inſtitutio, ſed ipſa propemodum indidiſſe, ac penitus inſeuiſſe natura? Deus immortalis. Quanta ſe prodit in iſta ætatis parte, hoc eſt in primo adoleſcentiæ flore, rerum naturalium, ciuilium, diuinarumque ſcientia? quantum acumen ingenij? quanta memoriæ vis? quanta linguarum peritia? quantum eloquentiæ flumen? Liberat me palpandi ſuſpicione ſecunda Romæ totius admurmuratio; quæ liberalium iſtam in te diſciplinarum omnium complexionem ſuſpicit impensè, ac velut humana maiorem admiratur. liberat iſta Senatoria purpura; quam etſi admodum adoleſcens accepiſti, ſapientia tamen, & doctrina iam meritus eras. liberat illa

per-

percelebris ſama pueritiæ tuæ, quæ prouectam doctiſsimorum hominum ætatem, iudicij, ſcientiæque laude anteire, ac longo ſuperare interuallo dicebatur. Vnus profectò Cyrus, ſapientiſsimus ille puer, qui apud Perſas alebatur in ſpem Imperij, videbatur eſſe, qui tecum poſſet aliqua ratione conferri: eum tamen accepimus non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad perfectæ inſtitutionis effigiem fuiſſe deſcriptum ab ijs, qui, quoniam eam optabant in terris indolem, & reperire ſe aliquando poſſe diffidebant, maluerunt comminiſci, quàm eam amplius inter viuos deſiderare. Nihil in te requirere potuiſſent hi; nihil fingere debuiſſent, ſi ſemel iſtam indolem intuiti eſſent. Vix ad eam veneras pueritiæ partem, in qua cæteri loqui ſciunt, cum tu iam eloqui cœperas, atque oratoriè declamare. Vix æquales tui eius linguæ ſermonem, quem haurimus à nutricibus, abſolutè didicerant, cum tu tam multas, & tam varias iam callebas, vt Mithridatis exempla mortalibus vnus omnium renouaturus eſſe videreris. Vix per ætatem, ac rationis vſuram ſapere cæteris licet, cum animum tu omnibus iam diſciplinis imbueras, nec aliud ignorabas, niſi quod humanum ingenium aſſequi cogitatione non poteſt. Denique lex illa naturæ, quæ nihil ad faſtigium perduci ſubitò patitur, ius omne tibi remiſerat, dederatque quodammodo veniam, vt non per partes, quemadmodum cæteri, ſed

vna

vnà omnes liberales diſciplinas acciperes; non paulatim gradereris, & ſenſim, ſed confeſtim, & è veſtigio peruenires ad ſummum; non doctrinæ magiſtrum, ac præceptorem haberes aliquem, ſed inſtitutorem, auctoremq; conſuleres animum tuum. Ita tu mentem iſtam præclaris imbutam artibus, omnium victricem voluptatum, carentem vitio, pudicam, atq; innocentem ad pubertatem vſque deduxiſti. Ex qua vix exceſſeras, cum digniſsimus habitus es, qui cum grauiſsimis Chriſtianæ Reipublicæ Senatoribus, cum doctiſsimis, & rerum omnium vſu exercitatiſſimis Patribus, cum ipſo Dei Parentis interprete, terrarumque moderatore Pontifice, de Religione, de Imperio, de populorum iure, de gentium omnium ſempiterna poſt obitum ſalute, ac gloria deliberares. Nihil attinet dicere, quantum in hoc Concilio ſpecimen abſolutæ ſapientiae dederis. in omnium enim ore, ac laude verſaris: qui tam rarum admirantur in adoleſcente iudicium, tantam in deliberatione prudentiam, tantam iuris humani, diuiniq; cognitionem, tantam eloquentiæ copiam, tantam oris, ac totius actionis in dicendo dignitatem. Illas tantum à me commemorari debere intelligo mitiores, amabilioreſque virtutes animi tui, quæ multò maximè nobilitatem iſtam, atque additam nobilitati purpuram illuſtrarunt. Quotus enim quiſque morum iſtam ſuauitatem, ac iucunditatem orationis deguſtat aliquando tuæ, qui

tecum

tecum eſſe, tuaque conſuetudine, ac beneuolentia frui non beatiſsimum putet? Quotuſquiſque moderationem iſtam intuetur, qui non omnino decernat, vnum te denique in pauciſsimis extitiſſe, qui cum dignitate, ſapientia, nobilitate plurimis antecellas, modeſtia tamen, & facilitate par omnibus eſſe videri velis? Habes amplam Vrbis Romæ, omniumque, qui te norunt etiam in hoc genere teſtificationem: à nobis autem hodierna die, qua iſtius præſentiæ pulcherrima luce ſic honeſtamur, habere deberes ampliſsimam. Sed ſcimus nullam eſſe poſſe tam exaggeratam orationem, aut prædicationem benignitatis tuæ, quæ beneficium iſtud, ne minima quidem ex parte poſsit æquare. Conamur quidem certe, non ſolum hac voce, quæ nulla eſt, ſed pictis etiam intra domeſticos parietes argumentis, iſtius beneficentiæ laudes exprimere: ſed hoc ipſo tandem conatu haud plus agere nos intelligimus, quàm ageret is, qui Xerſis enumeraturus copias, poſtremam, eamque minimam exercitus partem explicaret. Cæterum, in rebus tam anguſtis, illud conſolatur, & recreat mediocritatem noſtram; quòd quemadmodum æquandæ gratiæ facultatem fortuna noſtra non habet, ſic parem beneficij remunerationem non poſtulat tua. Priuatorum illa fortuna eſt, quæ requirit æqualitatem officij: Principum promerita, quod dixit ille, ita quadam quaſi maieſta-

te præcellunt, vt mutua non repoſcant. Detur hoc ergo magnitudini tuæ, Illuſtriſsime Princeps, vt cum omnia, quæ facultas noſtra patitur, & ratio, perſoluerimus, omnia tamen officijs iſtis, & veſtræ felicitati debeamus.

*
* *

ALE-

ALEXANDRO BORBONIO

HENRICI QVARTI Gallorum Regis filio, Equiti Hieroſolymitano.

Cum Legatus extra ordinem ad Paulum V. Pont. Romam venit.

ORATIO XX.

Quæ non eſt habita.

TANTAS, Sereniſsime Princeps, tamque multiplices aduentus hic tuus gratulandi, geſtiendique peperit hodie cauſas, vt cùm eas aggredior exponere, ſentiam velut in alto ferri, ac fluctuare dubitantem orationem meam. Nimirum in ore iſto, maieſtatis, indoliſque pleniſsimo intueri mihi videor ipſam penè Galliam, belli, paciſque magiſtram artium, Heroum ſemper altricem, ſemper Im-

peratoribus fœtam, aſsiduo Regum, ac Ducum partu numquam effœtam. Illam inquam in ipſa Religionis arce ſub aſpectum mihi venire Galliam puto, in cuius armatæ ſinum tam ſæpe hac ex ſede factioſorum conſpiratione deiecta, viſa eſt quondam Roma ſuo cum capite conuolare. Fama enim perhibentur, & literis illi veſtri Barbarorum euerſores, & terrarum domini potentiſsimi: quorum Regnis extorres olim Vrbe Pontifices excepti ſunt, opibus recreati, manibus, & famulatu domum perducti, armato milite Romam reducti, auctoritate, atque imperio Chriſtianæ Reipublicæ clauo, ipſiſque propemodum cæli clauibus reſtituti.

Cuius quidem, Interpretum expreſſus perſonis, aſpectus Regni, de re Chriſtiana ſic honorificè meriti, fuit olim ſemper Italiæ carus, Romæque ſacrorum Reginæ peroptatus: ſed tamen hoc tempore, in tam amplæ legationis honeſtamento accidit ab eo Rege iucundiſsimus, qui pene puer, atque in primo vitæ adoleſcentis ingreſſu magno Parenti ſuffectus, de ſe, de ſuis, de Religione, de pace, de publicis, priuatiſque omnia ſumma pollicetur, & maxima. Neque enim facile dici poteſt, quanta ſint hìc omnium animi lætitia perfuſi, cum renunciatum identidem eſt, ita eum in hoc Regni, vitæque principio publicæ felicitati conſulere, vt planiſsimè demonſtret, nihil habere

ſe

ſe prius, aut antiquius, quàm erga Romanum Pontificem obſeruantiam, & caſtiſsimæ, quæ culta ſemper à maioribus eſt, incrementa Religionis. Quippe huc etiam aduolauit Pueri magnanimi ſapientiſsima vox, ſubito veluti percellentis fulmine rerum nouarum cupidos, & diuinis humana, ſacra profanis in turbido deliberantium Concilio permiſcentes: cum ab eo in proxime ſuperioribus decretum Comitijs eſt, ne de Religione quicquam referant in poſterum profani homines, & ij, quibus auctoritate Pontificum ea ſacrorum procuratio demandata non ſit. Tanta igitur, ac tàm læta dominantis Ludouici primordia faciunt, vt hæc honoris in Romanum Antiſtitem ſignificatio gratulatione vincat, & publica voluptate cæterorum officia Regum, qui ſubinde pro re nata certos huc homines ad huiuſmodi profitendum obſequium allegarunt. Vt enim plus oriente, quàm elato ſupra verticem ſole delectamur, & herbeſcens illa viriditas longe magis oculos capit, quàm ipſa maturitas ſegetum, ſic ea, quæ hoc imperij velut exortu ab Ludouico lux extitit, omnium facilius aciem, vehementiuſque perſtringit, quàm aliorum geſtæ iam res, atque illa virtutum lumina, quibus anteacta vita, & tranſmiſſum longioris æui ſpatium illuſtratur. His accedit Legatus extra ordinem ad id muneris obeundum delectus, non è Regio ſolum ſoboleſcente

FERDINANDO CARDINALI GONZAGÆ.

In Claſſe Rhetoricae.

ORATIO XIX.

INVSITATVM aliquod, ac nouum à me gratiarum poſtulat genus iſta prolixitas incredibilis, ac ſingularis humanitatis tuæ, Illuſtriſſime Princeps: de quo, mihi repentè occupato cogitanti, venit in mentem oratorum deſerere leges, atque in ipſa poëtarum caſtra ſubitò conuolare. Cum enim partes attendo meas, qui cum cæteris huius Gymnaſij Præceptoribus comparatus, iſtius hodiè benignitatis quaſi florem delibo publicè primus, cuius ante priuatim habui ſæpe à te ſignificationes haud obſcuras: cum inaudita quædam, ac propè diuina in commune noſtrum ipſorum nomen à familia veſtra profecta beneficia, cum iſtum ſplendorem intueor, & Gentis, & tuum; rerum, tum gra-

grauitate, tum multitudine interceptus, pene cogor hoc initio, poëtarum more Muſarum opem implorare, vt mihi præeant verba facturo: aut aliquem deducere per machinam è Cælo Deum, qui callidè nodum ſoluat, aperiatque illicò viam, quam inertiæ meæ plus nimio impeditam eſſe video, ac ſalebroſam. Sed quoniam id oratori agere nouo exemplo non licet; nec quas agam reperio gratias beneficio pares, Regem illum imitabor Euandrum: qui Æneam humili, ac ſtramineo accepturus hoſpitio, ſatis habuit, inopiam profiteri ſuam, & diuinum hoſpitem ad diuitiarum contemptionem adhortari, quarum intra illa mapalia nullam eſſet omnino copiam inuenturus. Quid? An non ego etiam cum de me, de te ipſo cogito, princeps Illuſtriſsime, hodierna luce dicere meritò poſſum.

Aude hoſpes contemnere opes; & te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni non aſper egenis?

Reputabat animo, cum hæc diceret Rex ille paſtoritius, ac plane paſtor, quàm lautè, quàm magnificè habendus eſſet is, quem non dico à potentiſsimis Aſiæ Regibus, ſed a Dijs ipſis immortalibus originem, ac genus ducere intelligebat. Ego, non idem de tua dignitate; de rationibus ſentiam meis, cum Regias illas nominis veſtri clientelas, affinitates, neceſsitudines, propinquitates euoluo, quibus omnia iam pene ter-

terrarum orbis imperia, & dominatus attingitis: cum ſeriem illam retexo maiorum, & veteres, nouaſque Gentilium tuorum imagines recolo, in quibus non Duces modo, Imperatoreſque fortiſsimos intuemur, ſed eos quoque numerare incipimus, quorum virtuti aræ in templis, ac ſacra, vota, diuinique prorſus honores communi gentium omnium prærogatiua deferuntur? Dicebat hæc Euander, quòd eum ſe nactum hoſpitem eſſe ſciret, cum quo nemo de prudentia poſſet, de religione, de virtute contendere. Idem ego non dixerim, qui te intra parietes hoſce repente conſpiciam, cui ſingularem ſapientiam, atque infinitam illam rerum humanarum, cæleſtiumque cognitionem, non aliqua dediſſe videtur inſtitutio, ſed ipſa propemodum indidiſſe, ac penitus inſeuiſſe natura? Deus immortalis. Quanta ſe prodit in iſta ætatis parte, hoc eſt in primo adoleſcentiæ flore, rerum naturalium, ciuilium, diuinarumque ſcientia? quantum acumen ingenij? quanta memoriæ vis? quanta linguarum peritia? quantum eloquentiæ flumen? Liberat me palpandi ſuſpicione ſecunda Romæ totius admurmuratio; quæ liberalium iſtam in te diſciplinarum omnium complexionem ſuſpicit impensè, ac velut humana maiorem admiratur. liberat iſta Senatoria purpura; quam etſi admodum adoleſcens accepiſti, ſapientia tamen, & doctrina iam meritus eras. liberat illa

per-

percelebris fama pueritiæ tuæ, quæ prouectam doctiſsimorum hominum ætatem, iudicij, ſcientiæque laude anteire, ac longo ſuperare interuallo dicebatur. Vnus profectò Cyrus, ſapientiſsimus ille puer, qui apud Perſas alebatur in ſpem Imperij, videbatur eſſe, qui tecum poſſet aliqua ratione conferri: eum tamen accepimus non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad perfectæ inſtitutionis effigiem fuiſſe deſcriptum ab ijs, qui, quoniam eam optabant in terris indolem, & reperire ſe aliquando poſſe diffidebant, maluerunt comminiſci, quàm eam amplius inter viuos deſiderare. Nihil in te requirere potuiſſent hi; nihil fingere debuiſſent, ſi ſemel iſtam indolem intuiti eſſent. Vix ad eam veneras pueritiæ partem, in qua cæteri loqui ſciunt, cum tu iam eloqui cœperas, atque oratoriè declamare. Vix æquales tui eius linguæ ſermonem, quem haurimus à nutricibus, abſolutè didicerant, cum tu tam multas, & tam varias iam callebas, vt Mithridatis exempla mortalibus vnus omnium renouaturus eſſe videreris. Vix per ætatem, ac rationis vſuram ſapere cæteris licet, cum animum tu omnibus iam diſciplinis imbueras, nec aliud ignorabas, niſi quod humanum ingenium aſſequi cogitatione non poteſt. Denique lex illa naturæ, quæ nihil ad faſtigium perduci ſubitò patitur, ius omne tibi remiſerat, dederatque quodammodo veniam, vt non per partes, quemadmodum cæteri, ſed

vnà omnes liberales diſciplinas acciperes; non paulatim gradereris, & ſenſim, ſed confeſtim, & è veſtigio peruenires ad ſummum; non doctrinæ magiſtrum, ac præceptorem haberes aliquem, ſed inſtitutorem, auctoremq; conſuleres animum tuum. Ita tu mentem iſtam præclaris imbutam artibus, omnium victricem voluptatum, carentem vitio, pudicam, atq; innocentem ad pubertatem vſque deduxiſti. Ex qua vix exceſſeras, cum dignisſimus habitus es, qui cum grauisſimis Chriſtianæ Reipublicæ Senatoribus, cum doctisſimis, & rerum omnium vſu exercitatiſſimis Patribus, cum ipſo Dei Párentis interprete, terrarumque moderatore Pontifice, de Religione, de Imperio, de populorum iure, de gentium omnium ſempiterna poſt obitum ſalute, ac gloria deliberares. Nihil attinet dicere, quantum in hoc Concilio ſpecimen abſolutæ ſapientiae dederis. in omnium enim ore, ac laude verſaris: qui tam rarum admirantur in adoleſcente iudicium, tantam in deliberatione prudentiam, tantam iuris humani, diuiniq; cognitionem, tantam eloquentiæ copiam, tantam oris, ac totius actionis in dicendo dignitatem. Illas tantum à me commemorari debere intelligo mitiores, amabilioreſque virtutes animi tui, quæ multò maximè nobilitatem iſtam, atque additam nobilitati purpuram illuſtrarunt. Quotus enim quiſque morum iſtam ſuauitatem, ac iucunditatem orationis deguſtat aliquando tuæ, qui

tecum

tecum eſſe, tuaque conſuetudine, ac beneuolentia frui non beatiſsimum putet? Quotuſquiſque moderationem iſtam intuetur, qui non omnino decernat, vnum te denique in pauciſsimis extitiſſe, qui cum dignitate, ſapientia, nobilitate plurimis antecellas, modeſtia tamen, & facilitate par omnibus eſſe videri velis? Habes amplam Vrbis Romæ, omniumque, qui te norunt etiam in hoc genere teſtificationem: à nobis autem hodierna die, qua iſtius præſentiæ pulcherrima luce ſic honeſtamur, habere deberes ampliſsimam. Sed ſcimus nullam eſſe poſſe tam exaggeratam orationem, aut prædicationem benignitatis tuæ, quæ beneficium iſtud, ne minima quidem ex parte poſsit æquare. Conamur quidem certe, non ſolum hac voce, quæ nulla eſt, ſed pictis etiam intra domeſticos parietes argumentis, iſtius beneficentiæ laudes exprimere: ſed hoc ipſo tandem conatu haud plus agere nos intelligimus, quàm ageret is, qui Xerſis enumeraturus copias, poſtremam, eamque minimam exercitus partem explicaret. Cæterum, in rebus tam anguſtis, illud conſolatur, & recreat mediocritatem noſtram; quòd quemadmodum æquandæ gratiæ facultatem fortuna noſtra non habet, ſic parem beneficij remunerationem non poſtulat tua. Priuatorum illa fortuna eſt, quæ requirit æqualitatem officij: Principum promerita, quod dixit ille, ita quadam quaſi maieſta-

te præcellunt, vt mutua non repoſcant. Detur hoc ergo magnitudini tuæ, Illuſtriſsime Princeps, vt cum omnia, quæ facultas noſtra patitur, & ratio, perſoluerimus, omnia tamen officijs iſtis, & veſtræ felicitati debeamus.

*
* *

ALE-

ALEXANDRO BORBONIO HENRICI QVARTI

Gallorum Regis filio, Equiti Hieroſolymitano.

Cum Legatus extra ordinem ad Paulum V. Pont. Romam venit.

ORATIO XX.

Quæ non eſt habita.

TANTAS, Sereniſsime Princeps, tamque multiplices aduentus hic tuus gratulandi, geſtiendique peperit hodie cauſas, vt cum eas aggredior exponere, ſentiam velut in alto ferri, ac fluctuare dubitantem orationem meam. Nimirum in ore iſto, maieſtatis, indoliſque pleniſsimo intueri mihi videor ipſam penè Galliam, belli, paciſque magiſtram artium, Heroum ſemper altricem, ſemper Im-

peratoribus fœtam, aſsiduo Regum, ac Ducum partu numquam effœtam. Illam inquam in ipſa Religionis arce ſub aſpectum mihi venire Galliam puto, in cuius armatæ ſinum tam ſæpe hac ex ſede factioſorum conſpiratione deiecta, viſa eſt quondam Roma ſuo cum capite conuolare. Fama enim perhibentur, & literis illi veſtri Barbarorum euerſores, & terrarum domini potentiſsimi: quorum Regnis extorres olim Vrbe Pontifices excepti ſunt, opibus recreati, manibus, & famulatu domum perducti, armato milite Romam reducti, auctoritate, atque imperio Chriſtianæ Reipublicæ clauo, ipſiſque propemodum cæli clauibus reſtituti.

Cuius quidem, Interpretum expreſſus perſonis, aſpectus Regni, de re Chriſtiana ſic honorificè meriti, fuit olim ſemper Italiæ carus, Romæque ſacrorum Reginæ peroptatus: ſed tamen hoc tempore, in tam amplæ legationis honeſtamento accidit ab eo Rege iucundiſsimus, qui pene puer, atque in primo vitæ adoleſcentis ingreſſu magno Parenti ſuffectus, de ſe, de ſuis, de Religione, de pace, de publicis, priuatiſque omnia ſumma pollicetur, & maxima. Neque enim facile dici poteſt, quanta ſint hìc omnium animi lætitia perfuſi, cum renunciatum identidem eſt, ita eum in hoc Regni, vitæque principio publicæ felicitati conſulere, vt planiſsimè demonſtret, nihil habere

ſe

ſe prius, aut antiquius, quàm erga Romanum Pontificem obſeruantiam, & caſtiſsimæ, quæ culta ſemper à maioribus eſt, incrementa Religionis. Quippe huc etiam aduolauit Pueri magnanimi ſapientiſsima vox, ſubito veluti percellentis ſulmine rerum nouarum cupidos, & diuinis humana, ſacra profanis in turbido deliberantium Concilio permiſcentes: cum ab eo in proxime ſuperioribus decretum Comitijs eſt, ne de Religione quicquam referant in poſterum profani homines, & ij, quibus auctoritate Pontificum ea ſacrorum procuratio demandata non ſit. Tanta igitur, ac tàm læta dominantis Ludouici primordia faciunt, vt hæc honoris in Romanum Antiſtitem ſignificatio gratulatione vincat, & publica voluptate cæterorum officia Regum, qui ſubinde pro re nata certos huc homines ad huiuſmodi profitendum obſequium allegarunt. Vt enim plus oriente, quàm elato ſupra verticem ſole delectamur, & herbeſcens illa viriditas longe magis oculos capit, quàm ipſa maturitas ſegetum, ſic ea, quæ hoc imperij velut exortu ab Ludouico lux extitit, omnium facilius aciem, vehementiuſque perſtringit, quàm aliorum geſtæ iam res, atque illa virtutum lumina, quibus anteacta vita, & tranſmiſſum longioris æui ſpatium illuſtratur. His accedit Legatus extra ordinem ad id muneris obeundum delectus, non è Regio ſolum ſoboleſcente

Galliæ ſanguine, ſed nominatim ex Henrici Quarti filijs ille, in quo Heroicam prope Parentis imaginem ita natura conſignauit expreſsè, vt qui eum adhuc deſiderant, & lamentantur extinctum, poſſint in iſto vultu veluti de integro natum, & rediuiuum ad doloris leuandam acerbitatem contemplari. O ſiluam ſuſceptæ gratulationis ampliſſimam. ò campum excellentium oratorum eloquentiæ decurrendum.

Dabis hic mihi veniam, Sereniſsime Iuuenis, ſi ea quæ ſic eminent in te, ac ſtylum accuratiſſimæ depoſcunt orationis, à me capitulatim, atque incuriosè denarrabuntur. Ignoſcent cæteri, qui me audiunt, ſi aliqua praedicauerim liberius, quae & propter ipſorum excellentiam ſingularem, & propter eam, qua mirificè decoror, Adoleſcentis praeſentiam, ſine quadam aſſentationis ſuſpicione commemorari non queunt. Nam, vt ab incunabulis ordiar, ne nomen iſtud quidem Alexandri tibi temerè; aut fruſtra inditum intuemur; cum tu Alexandri Macedonis aequata iam indole, tantum hac appellatione cohoneſteris, quantum Pater ille tuus, vir propè diuinus Philippum Alexandri parentem Imperatoris ornamentis, & rerum à ſe geſtarum magnitudine ſuperauit. Ac ſatis quidem ornatus videri poteras hac vna recordatione parentis tui: qui cum terras vniuerſas, atque hanc potiſſimum Vrbem quæſito laboribus nomine, famaque

maque virtutis impleuerit, pulcherrimo tibi laudum ſuarum patrimonio relicto, fecit, vt eius dici, ac praedicari filius haud poſsis, quin in tantae gloriae partem venias, quam ſibi peperit apud omnes immortalem. Sed quia non ſatis idonea decora putas, quae delibantur ab alijs niſi haereditarijs ornamentis etiam propria committantur, addidiſti tu quoque tua, aeque ſingularia, atque inaudita, hoc eſt naturae praeſtantis igniculos illos, qui iam erumpunt in flammam, & in ea virtutum ſemina, quae non flores modo parturiunt, ſed frugem in adulta iam ſegete, atque ipſam propè maturitatem oſtendunt. Iſtam ego loquor anticipationem conſilij, & rationis: quae tanta eſt, vt longam aliorum vincat inſtitutionem, & poſtremam annis expertae ſenectutis praeuertat aetatem. Quo nomine vel ſatis oſtendis, Heroum te progeniem eſſe, atque ab eo procreatum, qui ſe longo ſtemmate, ductaq; maiorum ſerie ab Hercule illo Gallico genus ducere non fabulis, atq; aſſentatione, ſed paribus omnino factis, ac virtutis aequalitate demonſtrauit. Neque enim qui ante iuſtam ſapiunt aetatem, atque ingenij bonitate prudentiam occupant, omnino mortales vulgò putantur, ſed humano maiores apice, ijſque ſimiles, quos antiquorum illa natio excellentis amantiſsima virtutis, Semideos credidit, hoc eſt Deorum affinitate progenitos. Poſſum hic ego Melitenſis Magiſtrum malitiae

proferre teſtem longe locupletiſsimum: qui ſapientiam iſtam præcocem, & pubeſcentis ſtirpem virtutis admiratus, non dubitauit illius tibi claſsis inuictæ, triumphaliſque Præfecturam demandare, quæ non niſi veteranis committi ſolet, atque Imperatoribus exercitatis. Quod quidem de te iudicium tàm honorificum fuit, quàm illi Melitenſium Reges bellorum periti ſunt, & diſciplinæ militaris habentur intelligentes. Nihil tamen ad teſtimonium Parentis tui: qui, vt erat æſtimatione rerum incredibili, eius Equitem Ordinis admodum te puerum adſcribere voluit, atque in frequentiſsimo Procerum conuentu ſuis ipſe manibus balteo, gladioque præcingere; quæ nobilia, atque antiquiſsima ſunt eius inſignia diſciplinæ. O bene ominata rerum tuarum initia. ò auſpicatiſsimam, & ſingularibus ſuſceptam auctoribus militiam tuam. Iſta enimuero tibi ſunt arma fortunatiſſima, non fabuloſis Deorum opificijs excuſa, non ementitis parentum tradita Numinibus, ſed è Galliæ prolata fatalibus officinis, ſed Henrici Quarti deſignata iudicio, hoc eſt ab ipſa militari ſcientia comprobata. Nemo quippe mortalium eſt, qui cum Henrici aſpicit illam equo ſedentis imaginem, quæ circumfertur, ipſam belli doctrinam, ipſam prudentiam, conſilium, felicitatem, ipſam denique optimi formam Imperatoris, quæ nuſquam eſt, ſed informatur animo, ſibi oculis cernere non videatur.

Per-

Perge adeo, Sereniſsime Princeps, & tanta cum ſignificatione virtutis adoleſce Galliæ, adoleſce Regi fratri tuo, qui te in paucis, atque vnicè diligit; adoleſce nobis, & Chriſtianæ Reipublicæ, quæ Gallorum armis ſæpe defenſa, tui quoque ſibi depoſcit animi fidem, & iam nunc iſtius dexteræ patrocinium intuetur. Nec dubita, quin arma iſta euentum habitura ſint optimum, quæ puer ab ipſa prope militari fortitudine manu clariſsimi Parentis accepiſti.

Mihi verò, cui tam egregiæ datæ ſunt in hac prouincia partes, illud supereſſe video, vt tibi de hoc tàm prolixæ humanitatis officio gratias agam, non immortales modo, ſed ex perſona, quam hodie ſuſtineo, varias, atque multiplices. Multas quippe debeo à præclaris artibus huiuſce Collegij: quæ quoniam tę, pro ſe ſingulæ conuenire non poſſunt, interpretem, atque internuncium eſſe me voluerunt. Debeo tibi multas à noſtra Sodalitate, quæ, vt Parentis tui diuina beneficia colat memoria ſempiterna, hæreditariam tamen iſtam in ſe voluntatem, aliàs quidem ante perſpectam, ſed hodie in hac Vrbe, Gentium Theatro patefactam, ſibi ipſi mirificè, ac multo ſanè maximè gratulatur. Debeo denique nominatim ex me, atque ab hac arte dicendi prorſus infinitas; quæ cum omnium prima ſit à te ſalutata, non modo principes in iſta liberalitate partes habet, ſed pene beneficium ſibi vindicat totum. Feciſti vero

tu

tu ſapientiſsimè: qui præ cæteris, ac ſingulariter hanc facultatem fouere tuo te velle iudicio ſignificaſti. Quamquam enim aliæ quoque liberaliores diſciplinæ Regum præſidia poſtulant, hæ tamen literæ manſuetiores, Muſæque noſtræ, & Herculem armatum in medio volunt, & Principum ſtudio ſic opus habent, quemadmodum illæ, quibus coronantur, hederæ, alieno adminiculo, & proximo parietum, aut procerarum arborum indigent fulcimento.

IN SATYRAM OCTAVAM IVVENALIS

PRAEFATIO De Nobilitate.

ORATIO XXI.

Stẽmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos?

MORE maiorum ſine inuolucris, & fuco eos hac octaua ſatyra Iuuenalis inſectatur, qui ſuorum gloria, & gentilium antiquitate, quaſi falſis fortunæ bonis, efferuntur: ratus, hæreditariam non eſſe, nec teſtamento à parentibus relinqui poſſe, ſed virtute, ac recte factis parari, conſeruariq; nobilitatem.

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

Quod

Quod ſi de Tripode, non è ſiluis, vbi poëtarum, hoc genus degere ſolet. pronunciatum eſſe putemus, Ariſtotelis auctoritatem conuellere neceſſe erit, qui libro Rhetoricorum ſecundo nobilitati fines ita facit anguſtos, vt eam dicat ſola claritate, atque antiquitate generis contineri. Sic enim articulatim, diſtinctèq; definit. ἐστι δὲ εὐγενὲς μὲν κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν. Nobilitatis natura omnis, & vis, generis, atque maiorum virtute, hoc eſt generoſitate iam inde ab antiquis temporibus in aliqua gente, ac familia ſpectabili, circumſcribitur. At contra omnia docet morum hic cenſor, ac magiſter Iuuenalis, cum antiquitatem generis, maiorum imagines, ſtatuas equeſtres, ac militaria ſigna præ virtute contemnit.

——*Nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.*

Multa mihi à nobilitate repetenda ſunt altius; quæ dum ego ſummatim, breuiterque percenſeo, quæſo vos Aud. diligenter attendite, vt de re tota veſtro ipſi ſuffragio decernatis. Sed video quàm honeſtos exceperim hoſpites, quàm nobili clariſſimorum virorum corona ſtipata, & circumſepta ſit hodierna die oratio mea. qui niſi à me ſplendidè, atque, vt eorum nobilitas poſtulat, cum dignitate tractentur, næ ego, dum de nobilitate diſputo, nimium quantum agreſtis eſſe videar, & inurbanus. Faciam ego quidem vt potero: pro ſua ipſorum humanitatę facient ipſi, noſtras vti copiolas ne contemnant. Hoc igitur

aga-

agamus. Et quoniam laudatiſſima Ciceronis atque adeò ſapientium vniuerſorum præceptio eſt; omnem, quæ aliqua de re ſuſcipitur, inſtitutionem debere à definitione proficiſci, hinc initium capiamus ne vaga videatur atque incerta diſputatio fluctuare.

Nobilitas latiſsimè patet Auditores. Nam vt à Feſto, Nonioque Marcello traditum eſt, quem notum, & cognitum vulgò dicimus, hunc Latini nobilem appellauere: ſic prorſus, vt pro noto gnobilem dixerit Plautus, auctor antiquiſsimæ latinitatis. Hinc extitit illa Ciceronis vox in Paradoxis. Lapſa eſt eius libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulans fuiſſet in aliqua nobili virgine. Hinc in altera ad Q. fratrem Epiſtola Comagenus Rex ignobilis dicitur quaſi minime notus, & alio loco, Phalaridis nobilitata crudelitas, quaſi toto terrarum orbe, hominum cognitione, famaque vulgatiſsima diſsipata. Cum ergo nobilitatis notio tam ampla ſit, vt quæcumq; illam habeant vim, quæ homines in lumine collocet, ac faciat notos, ea dicantur nobilitare, fit vt non vna omnium, eſſe poſsit de nobilitate ſententia. Quot enim res ſunt conficientes nominis, ac famæ (ſunt autem innumerabiles) tot extitere de nobilitate ipſa opiniones, & placita.

Principio verò, quia nihil eſt, quod homines magis faciat notos, & claros, quam longa maiorum ſeries, placuit philoſophorum Principi nobi-

nobilitatem circumſcribere vnica clariſsimi, ſpectatiſſimiq;generis antiquitate. Quod quidem nobilitatis genus quàm verum, ac legitimum ſit,declarat omnium gentium, nationumq; conſenſio. Quem enim vniuerſi nobilem intelligunt, niſi clariſſimis ortum natalibus, & qui poſſit ad proauos longè antiquiſſimos originem principiumq; referre? Quàm verò germanam, puramque putant eſſe nobilitatem,niſi ſplendidi, notiq; dignitatem generis,in quo maximæ olim virtutes extiterunt? Neque enim facile dici poteſt,quanta ſit vis antiquitatis:quippe quæ rebus omnibus incredibilem addere maieſtatem videatur. Nonne videtis ea, quæ à præſenti memoria ſunt longè remota, vetuſtate ipſa fieri quodammodò ſanctiora? Nonne, quæ noſtram, aut maiorum noſtrorum memoriam anteceſſerunt, ita veneramur, vt maius quiddam de iis ſuſpicari ſoleamus, quàm quantum noſtræ homines ætatis omni ſtudio, atque ingenio poſſint imitari? Hinc extitit inter gentes illa ſcriptorum monumentis celebrata contentio, dum aliæ ſe ante omnes mortales in lucem editas eſſe dicerent: aliæ contra,eam antiquitatis gloriam ad ſe traducere conarentur. Ægyptij ſolis Phrygibus antiquitatis laudem concedebant,aliorum hominum longe ſe vetuſtiſſimos prædicabant. Arcades ad fabulas vſque progreſſi, ante lunam ſe natos eſſe gloriabantur. Quid de Athenienſibus dicatur? qui tantum in eo ſibi genere tribue-

buebant; vt illo ſolum nomine in Græcia obtinere ſe principatum putarent, quòd omnium eſſent hominum vetuſtiſſimi. Cum enim aliorum Græcorum initia litterarum beneficio fuiſſent memoriæ commendata; ſolum autem Athenienſe nomen eſſet, cuius origo, ac principium indagari non potuiſſet, in eam opinionem facilè deſcenderunt, vt crederent, ſe non aliunde in eum confluxiſſe locum, ſed in Attica terra genitos, idem ſolum, eandemq; ſemper regionem coluiſſe. Quapropter reticulo quodam aureis diſtincto cicadis caput ornabant ſuum: vt videlicet oſtenderent, ſe non ex varia hominum colluuione dilapſos eo conueniſſe, ſed cicadarum inſtar è terra, quàm incolerent, fuiſſe principio generatos. Quid ni ergo à vate minime malo Criſpine lauderis?

——— Quem non ſeries inhonora parentum
Obſcurum proauis, & priſca lucis egentem
Plebeia de ſtirpe tulit: non ſanguine cretus
Turmali, trabeâq;, & remis, ac paupere clauo
Auguſtam ſedem, & Latij penetrale ſenatus
Aduena pulſaſti: ſed præcedente tuorum
Agmine. Romulei qualis per iugera Circi
Cum pulcher viſu, titulis generoſus auitis
Expectatur equus: cuius de ſtemmate longo
Felix emeritos habet admiſſura parentes.

Quid multa? ab ipſomet Ariſtotele fidem petamus: qui primo Rhet. libro, nobilitatem tradidit vetuſtiſſimis indigenis contineri; &

quar-

quarto Polit. nihil aliud eſſe, niſi diuitias, & facultates antiquas. vſque adeo ab antiquitate putat non exaggerari modo, ſed prope conſtitui nobilitatem. Nouitas enim, quamuis omnibus rebus ornata ſit, non habet tamen illam ætatis quaſi canitiem, cui ſummum honorem tribuendum exiſtimamus. Meritò itaque M. Æmilius Scaurus, vt eſt apud Valer. cum de repetundis iudicio poſtulatus, & damnatus eſſet, propter vetuſtiſſimam gentis nobilitatem illico fuiſſe dicitur abſolutus. Sed cum non ſolum in nobilitate requiratur antiquitas ab Ariſtotele, verum etiam virtus antiqua maiorum, hoc eſt generoſitas, quam ſæpiſſime poſteri non habent, dubitari profectò poteſt, an hæc nobilitas aliqua res ſit, quæ per manus tradi, & cum poſteritate communicari poſſit, quod volunt ij, qui hanc ſequuntur opinionem, quam explicamus. Quantum enim ad naturam attinet, vix intelligere licet quid nobilitatis antiquitas tranſmittat ad poſteros, cum æque omnes calamitoſam ingrediamur vitam, iiſdemq; plane legibus vniuerſi teneamur. Recte quidem Seneca, niſi nos faceret Deos; humanus animus, inquit, rectus, bonus, magnus, nihil eſt aliud quàm Deus in humano corpore hoſpes. Hic tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in ſeruum cadere poteſt. Quid eſt eques Romanus, libertinus, aut ſeruus? nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Subſilire in cælum ex angulo licet. omnes,

nes, ſi ad originem referantur, à Dijs ſunt. Sed hæc ſplendidè, glorioſèq; non admodum verè dicuntur, Stoicorum more, atque, vt breuiſſimè dicam, Senecæo. Nam, & Iuriſconſultorum ſapientiſſimi alia omnia docent, & naturæ vis nimium erga nos maligna videretur, ſi quam excellentiam in cæteris rebus, quæ oriuntur, & occidunt, ſemper manere voluit, in hominum ſobolem virtute quadam ſeminis influere noluiſſet. An fortes creantur fortibus, & bonis: an eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus: in homine reliquorum animantium principe non ſit ea vis, quam in belluis adeo cernimus efficacem? Quid? permagni putamus intereſſe, qua ex arbore ſurculus defringatur, quali ex genere ſuſceptus ſit canis, aut equulus natus: homo qualibus ſit procreatus parentibus nihil ad rem pertinere iudicabimus? Vincet hoc ipſa res experimento comprobata, etiam ſi pertinaci contendendi ſtudio de induſtria negaremus. videmus enim quotidie vniuerſas ferme gentes inſita quadam à maioribus vi, eiſdem moribus ſemper fuiſſe præditas, eadem ſemper agendi, viuendiq; ratione delectatas. Galli, bellicoſiſſimum genus, quos hodieq; præſeferunt celeres animi, corporiſq; motus, omnibus ante ſæculis habuere. impetu ſemper innato, atque incredibili quodam ardore ſemper in aciem rapti ſunt. Germani ſemper in agmine cōſtantes ſunt habiti, ſemper ad obeundam ſtabili prælio mortem

obfirmati. Hiſpani ſemper induſtrij, ſemper omnia circumſpicientes, ſemper ineundo certamine moderati fuere. Itali ſummo conſilio domi, foriſq; ſemper excellentes, & ingenio verſatili, omnibuſq; omnino artibus opportuno. Nulla denique natio eſt, quam natura quibuſdam inſignem non fecerit virtutibus, vitijsve, quæ poſteritati vi ſeminis ingenerantur. Itaq; Carolus ille Quintus, quem verè primum belli ducem recens patrum memoria vidit, exercitum voluiſſe dicitur ex omnium gentium centurijs, manipuliſq; conflatum. Hiſpanum habebat militem quaſi neruos, ſed tamen Italos expetebat; adſcribebat Gallos, Germanos non contemnebat; quòd armorum benè longa tractatione didiciſſet, ſuas cuiq; nationi virtutes eſſe velut ingenitas, ac naturales: quæ ſi in toto ſimul copiarum corpore coaleſcerent, nullis ſe machinis expugnari poſſe arbitrabatur. Hæc habui dicere, vt intelligeretis, Ariſtoteli fuiſſe conſilium, veram, adprobatamq; hominum conſenſione deſcribere nobilitatem, hoc eſt generoſitatem illam, quæ à maiorum ſerie ducitur in aliqua gente præteritorum. non quo doceret nihil eſſe aliud, quod vitam illuſtrare poſſit, niſi generis antiquitatem, ſed vt philoſophorum more, id quod eſt in ambiguo nomine primum explicaret exiliter, cætera vel negligeret, vel in alium locum pro temporis opportunitate reſeruaret.

Quare cum nimium contracta, atque in anguſtum

ſtum adducta videretur eſſe nobilitatis vis, ac natura, ſi tam amplæ fortunæ nemo ſibi opifex eſſe poſſet, nulliq; cui generis claritas patrimonium non ſit auitum, ac tranſlatitium, liceret ſibi viam ad nobilitatem expedire; ad ampliſſimum alij nobilitatis nomen habuere perfugium: ſic, vt vniuersè nobiles dicerent quoſcumque notos, ac fama cognitos appellamus. Sexcenta iſti deſignant in vita præſidia, quibus ſe quiſque quantumuis ignobilis, ac nouus, poſſit in ea nobilitatis poſſeſſione collocare; è quibus paucisſima quædam ego decerpam, eaque præcipua, niſi delectum adimat ipſa copia numeranti.

Ac primo quidem loco diuitias, pecuniamq; conſtituunt in quibus tantum ad nobilitatem conficiēdam ſitum eſſe robur exiſtimant, vt qui bene nummatus, & copioſus ſit, is eo tantùm nomine nobiliſsimus haberi debeat. Teſtis eſt Euripides: qui apud Stobæum, ingentem dixit eſſe diuitiarum poteſtatem; quas nimirum qui nactus ſit, illico nobilitetur, & famam adipiſcatur apud omnes immortalem. Cuius etiam poëtæ illa laudatur, & perhibetur vox. Nobilitatis ne mihi feceris mentionem. hoc enim in pecunia poſitum eſt. Quid explicatius dici, quid potuit planius, clariuſque pronunciari? illa tamen multo apud eundem planiſsima ſunt. Da cumulandis opibus, exaggerandiſq; diuitijs operam. illæ quippè nobilitatem afferunt; paupertas obſcuritatem. Ariſtoteles autem doctrinæ princeps

ſumma philoſophus auctoritate in libro Ciuilium quarto, vt nobilibus multa, quibus quaſi notis diſtinguerentur à cæteris, attribuerit, dedit in primis quaſi propriam, opulentiam, & facultates exaggeratas. Ac ne à profanis tantummodo, ſed à ſacris etiam ſcriptoribus exempla petamus, Theophilus Alexandrinus eorum librorum tertio, quos Paſchales inſcripſit, nouis hominibus diuitiarum beneficio antiquam credit dari familiam, hoc eſt, vt ego quidem interpretor, nobilitatem. Quam ſententiam haud ſcio, an ſecutus ſit Quintilianus, ſi tamen Quintilianus eſt: qui quartadecima declamatione diuitias nobiles, quòd homines faciant credo nobiles, appellauit. Sed quid attinet ab alienis auctoritatem rei conciliare, cum domeſticis, hoc eſt poëtis, quorum dicta interpretari cœpimus, abundemus? Poëtas inquam, quo genere nullum exiſtimatum eſt ſapientius, in primiſque Horatium non poëtam modo, ſed optimum viuendi magiſtrum excitabo.

Scilicet vxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus, & formam Regina pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusq;.

Quid quod Euripides in Hecuba opulentos ignobilibus oppoſuit, quaſi pecunioſos nobiles, inopes, quantumuis genere claros, obſcuros habendos eſſe iudicaret? Verſus, vt apud Gellium ſunt ab Ennio latinitate donati, ſic profero.

Hac tu, & ſi peruerſe dices, facilè Achiuos flexeris.

Nam

Nam cum opulenti loquuntur pariter, atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque ratio æqua non æque valet.

Cauſam huius nobilitatis è diuitijs illicò promanantis, aperuit nobis Horat. libro ſermonum quarto, cum diceret;

——————— *omnis enim res*
Diuitijs paret: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam Rex:

Aperuit Euripides ipſe, cuius longè pulcherrimos habeo verſus Latinos à Seneca factos.

Sine me vocari peſſimum, vt diues vocer.
An diues omnes quærimus, nemo an bonus:
Non quare, & vnde: quid habeas tantũ rogant.
Vbique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui dum moritur lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.

Hoc animo ſunt, qui omnia in diuitiarum multitudine, ac vi poſita eſſe arbitrantur. Et verò permulti, niſi hac via ingreſſi eſſent, nunquam ad ſplendoris, & gloriæ ſtatum aliquem perueniſſent. Sed tamen quia hæc parandæ ratio claritatis ſordida quibuſdam, ac vulgaris videbatur, ſcientiam, doctrinamq; putarunt eſſe ſplendidiora præſidia nobilitatis; illud Senecæ ſecuti. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Id videlicet Ariſtoteli probatum eſt libro Politicorum quarto; Aulo Gellio vndeuiceſimo

Noct. Att. & libro epiſtolarum nono, Caſſiodoro. Quapropter Vlpianum in libro Pandect. 2. dictum propterea nobilem permulti putant, quòd iuris ſcientiſſimus eſſet: & ſolemni Doctorum laurea donatos viros, idcirco nobiles appellandos, quòd ſint legibus eruditi, cenſent grauiſſimi, nobiliſſimique Iuriſconſulti. Certè plerique viri Principes regno, coronaque clariſſimi, voluere nihilominus à doctrina lautiorem petere nobilitatem. Poſſum hic ego Numam Regem Romanorum antiquiſſimum nominare; quem à Tetricis accerſitum Sabinis ita doctum fuiſſe accepimus, vt falſo creditus ſit, non ab alio, quàm à Pythagora tantam ſapientiæ vim haurire potuiſſe. poſſum Alexandrum illum Magnum hoc nomine laudare, qui Ariſtotele vſus eſt præceptore, Iubam Mauritaniæ Regem, Ponti Mitridatem, Iulium Cæſarem, Hadrianum, Ælium Verum, Antoninum Pium, Septimium Seuerum, Gordianos patrem, & filium, cæteroſque literatos, atque intelligentes Imperatores, in primiſq; philoſophum Antoninum, & Saluium Iulianum; quem Iuriſperitiſſimum fuiſſe ſcribit Eutropius. Poſſum proferre alterum Iulianum, cuius extant hodieq; ſcriptorum aliqua monumenta. Poſſum Robertum Gallorum Regem, cuius audiuntur in templis hymni, & cantiunculæ quædam ſacræ, vt ijs ſuſæ temporibus, nequaquam inelegantes. Placet adeo Plutarchus: qui librum ſcriptum reliquit,

liquit, quo contendit in ſumma, virum Principem oportere à ſcientia quoque nobilitari. Placet Pomponius in libro Pandect. 2. titulo, de origine Iuris. à quo laudatiſſima extitit illa vox; turpiſsimum eſſe Patricio, ac nobili viro ius ignorare: ſed omnium placet maxime Ammianus: qui de Orphito tradit, eum virum prudentem quidem, ac forenſium negotiorum oppidò gnarum fuiſſe, ſed ſplendore liberalium doctrinarum minus quàm decuerat virum nobilem, inſtitutũ. Quod ſi è liberalibus diſciplinis, quæ nam ſit nobilitatis conficientior à me requiratis, haud dubiè poëticam eſſe reſpõdebo, à qua nobilitas omnium maxima percipiatur. Vt enim inter illiberales artes pictura minus eſt illiberalis, ita poëtica inter liberales liberaliſſima. Cæteræ quidem artes efficiunt nobiles quos ſuis inſtruunt ornamentis, ſed nobiles ſæpe numero domi ſuæ. poëtica nullis circumſcribitur cancellis, nullo clauditur fine, nullis regionum limitibus terminari poteſt. Iacent permulti peregrinorum non inculti ſcriptores: poëtarum quantumuis longinquo, quantumuis inculto eductus ſolo, inglorius atque in obſcuro delitеſcit nemo, ipſe ſibi lucem in tenebris parit, & vita functus toto terrarum orbe peruagatur: vt iure gloriari poſſit, ac dicere.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito viuu' per ora virum.
Exegi monumentum ære perennius.

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Nullum in tanta ſylua reperiet exitum oratio mea, ſi tritas, vulgareſque ad nobilitatem vias enumerare velim vniuerſas. Fuere, qui nouum hominem ex arte militari accerſire ſibi poſſe crederent nobilitatem; quod tradunt Iuriſconſulti, Andreas Alciatus in primis eo libro quem de ſingulari certamine poſteritati reliquit. Fuere qui à Rege, ac primo Reip. magiſtratu plebeios,obſcuroſq; putarent poſſe priuata lege nobilitari. id quod etiam ad vnum ſequuntur omnes Iuriſconſulti, laudantque nobile Plinij dictum in eo panegyrico, quem ad Traianum dixit,& coram Traiano: Cæſaris eſſe partes efficere nobiles,ac conſeruare. Quare dicere ſolitus erat Solon, eos, qui apud Reges in pretio eſſent, calculis, quorum beneficio in exponendis rationibus vtimur, eſſe perſimiles. Vt enim, qui eos diſponit, maiorem interdum ſignificare numerum iubet, interdum minorem, ita Rex eorum quemque vt libitum fuerit, nobilem interdum efficit, ignobilem interdum,ac popularem.

Fuere, qui ab aſtris quaſi diuinitus nobilitatem ingenerari ſuſpicarentur. Hac in hæreſi video Firmicum eſſe Maternum: qui diſertè,planèque confirmat, Iouem in primo cardine, ac prima horoſcopi parte conſtitutum, quos aſpexerit, eos nobiles facere ſolitum, ac generoſos. Sed hæc ludicra ſunt, & iocularia ipſi Pythago-

ræ

ræ apud Laërtium, Plutarchum, & Theodoretum; ſunt ridicula Carneadi, Bioni, Eudoxo, Plotino, Porphyrio, Origeni, Auerroæ, Auicennae. Sunt ridicula Dionyſio Halicarnaſſenſi, Pico, ac Franciſco Mirandulis, & cuius longè plurimi ſit auctoritas, viro ſanctiſsimo Auguſtino. Sed qui de his exquiſitè, ac diligenter edoceri volet, eum ego allegare poſſum ad Plutarchum, qui duos reliquit libros, quorum altero laudat, altero improbat nobilitatem: ad Stobaeum ſermone quarto, & octogeſimo; ad Rodericum Zamorenſem in eius operis primo libro, cui humanae vitae ſpeculum index, & titulus eſt: ad Pogium Florentinum, ad Paleolum, ad Platinam, ad Clitoueum, ad Bongradum Piſtorienſem, ad Franciſcum Patritium, ad Oſorium Luſitanum, qui duos de Ciuili, duos de Chriſtiana nobilitate libros inſcripſit. Neque enim laudare poſſum antiquos auctores: cum Diogenis Babylonij, Metrodori Athenienſis, atque Ariſtotelis Stagiritæ, quæ de Nobilitate promulgarunt in vulgus opera, iniuria temporum interciderint.

Hæc ita contraximus, vt poſtremo cenſoris noſtri Iuuenalis verum, vt ipſe quidem exiſtimat, de nobilitate iudicium copioſius exponeremus; qui virtutem non modo certam, ſed vnicam, ac ſolitariam excudendæ nobilitatis rationem, ac viam eſſe pronunciat: ſic prorſus, vt qui ea munitus, inſtructuſque ſit, nihil

ha-

habeat quod ad claritatem inueniendam debeat à diuitijs, à literis, à generis antiquitate, poſtulare.

Fuit hæc plurimorum auctoritate celebris de nobilitate ſententia. Theodectus enim, vt hinc exordiar, Ariſtotelis teſtimonio libro Ciuilium primo, virtute nobiles, ignobiles vitio definiebat. Menander, niſi mendum in nomine ſit, ἀνὴρ ἄριςος ὐκ ἂν εἴη δυγένης aiebat. Vir optimus vtique non ignobilis eſt. Multo planius Euripides apud Stobaeum: De nobilitate, inquit, illud habeo dicere, bonum virum mihi nobilem videri, improbum verò, atque iniuſtum, etiam ſi à patre, Ioue ipſo ſanctiore ſit genitus, ignobilem, ac plebeium. Concinit Epicharmus egregia ſane voce. Quiſquis inductione naturae ad probitatem, morumque facilitatem propendet, quamquam matre natus Aethiope, nobilis eſt. Concinit poëta paulo ante laudatus: qui fortes, ac iuſtos, vel à ſeruis natos, nobiliores eſſe ait, quàm aliena gloria, hoc eſt, claritate generis arrogantes. Rectè Phalaris, primus Agrigentinorum Tyrannus ille quidem, ſed doctus, Arpicho interroganti quid de nobilitate ſentiret, ita reſpondiſſe dicitur: Ego verò nullam aliam noui nobilitatem, niſi virtutem, quae noſtra eſt: cætera fortunae adſcribo. nam humili genere natus, ſi bonus ſit, Regum, atque omnium nobiliſſimus euadere poteſt: ſed parentibus natus clariſsimis, extemplò

templò ignobiliſsimus fiet, ſi fiat improbus. Aurea vere vox ab homine plane ferreo pronunciata, digna philoſophorum primis, digna Diogene, à quo non abſimile prolatum eſt nobilitatis elogium, cum de nobilitate requiſitus, nobiles exiſtimare ſe dixit contemptores opum, gloriae, voluptatis. Quod ne putetis ab homine Cynico magnificè potius dictum eſſe, quàm verè, Platonem, hoc eſt, Philoſophorum, vt dixit ille, Deum, ex ara, & tripode loquentem audiamus. Is, vt eſt apud Laërtium, nobiles vniuerſos in plures quaſi claſſes diuidebat: in eos, qui aut ex honeſtis, iuſtiſque parentibus nati eſſent, aut ex potentiſſimis, viriſque principibus, aut ex notiſſimis, & recte factorum, in primiſque belli gloria claris: addebat poſtremum nobilitatis genus, quod omnium volebat eſſe præſtantiſſimum, eorum, qui per ſe ipſi propria excellerent animi magnitudine, ac probitate. Non nihil aliter exiſtimabat de nobilitate Theopompus: cum è iuſtis, ſanctiſque parentibus ortos ita nobiles diceret, ſi honeſta, hoc eſt virtutem, & clara maiorum ſuorum facinora ſequerentur, vt eſt apud Antonium Monachum libro ſecundo Meliſſæ.

Venio ad Poëtas, quorum, & videtur eſſe ſententia vendibilior, & vox in audientium animos influere facilius. Ac primo quidem mihi venit in mentem illud Aiacis apud Ouidium, cum

cum præterita maiorum ſerie, ſpes omnes in ſe ipſo, ſuaque ipſius virtute collocatas putat.

Atque ego ſi virtus in me dubitabilis eſſet,
Nobilitate potens, eſſem Telamone creatus,
Mœnia qui forti Troiana ſub Hercule cepit,
Litteraq; intrauit Pagaſea Colcha carina.

Quid externa, & longinqua conquiro? In manibus eſt Iuuenalis, qui multos obſcuro loco natos in aſpero virtutis tramite nobilitatem indagaſſe, atque adeo reperiſſe demonſtrat.

Plance tumes alto Druſorum ſãguine, tanquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes.
Vos humiles, inquis, vulgi pars maxima noſtri,
Quorum nemo queat patriã monſtrare parẽtis.
Aſt ego Cecropides. viuas; & originis huius
Gaudia longa feras. tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies. ſolet hic defendere cauſas
Nobilis indocti, veniet de plebe togata,
Qui legum nodos, Iuriſq; ænigmata ſoluat.
Hic petit Euphratem iuuenis, domitique Bataui
Cuſtodes Aquilas armis induſtrius. at tu
Nil niſi Cecropides, truncoq; ſimillimus Hermæ.
Nullo quippè alio vincis diſcrimine, quam quòd
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Meritò itaque Mœcenatem laudat Horatius, quòd tametſi è clariſsimis auis, hoc eſt ex Regibus ipſis ortum ſe ducere intelligeret, tamen nec floccifaceret ignobiles, nec vellet illo ſolum nomine nobilis appellari, quòd è nobilibus natus parentibus eſſet.

Non

Non quia Mœcenas Lydorũ quicquid Hetruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te.
Nec quod auus tibi maternus fuit, atq; paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Vt plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos; vt me libertino patre natum.
Cum referre negas quali ſit quiſque parente.
Natus; dum ingenuus. perſuades hoc tibi verè.
Ante poteſtatem Tulli, atque ignobile regnum
Multos ſæpe viros, nullis maioribus ortos
Et vixiſſe probos, magnis & honoribus auctos.

Hæc Horatij, ſeu potius Mœcenatis extrema verba, quibus ſignificatur, non eſſe hominum infimo generi viam ad nobilitatem interclusam, ingens Regum, ac virorum Principum comprobat numerus, qui ab humili, obſcuroque loco virtutis beneficio ad ſummum ſibi gloriæ gradum iter aperuere. Vt enim ait Seneca ex Silij Baſſi ſententia, nobilis Declamatoris, quis fuit Marius, ſi eum in ſuis maioribus aſpexerimus? humilis. In Conſulatu nihil habet clarius, quàm ſe auctorem. Pompeium, niſi hæreditariæ extuliſſent imagines, nemo Magnum dixiſſet. Seruium Tullum tulit Roma, in cuius virtutibus humilitate nominis nihil eſt clarius. Quid tibi videntur illi ab aratro adſciti, qui paupertate ſua beatam fecere Rempub. Quemcumque volueris, reuolue nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenſeo ſingulos, cum hanc Vrbem tibi poſſim oſtendere?

Nudi

Nudi ſtetere colles: inter quæ tamen effuſa moenia: nihil eſt humili caſa nobilius. Faſtigiatis ſupra tectis auro perlucet Capitolium: potes obiurgare Romanos, cum obſcuritatem ſuam, atque humilitatem oſtendunt? Hæc non putant magna, niſi appareat ex paruis ſurrexiſſe.

Iure igitur optimo Marius ipſe homo nouus apud Salluſtium in Iugurtina, cum ageret aduerſum nobiles, qui ſibi triumphos, Imperia, Conſulatus inuidebant. Contemnunt, inquit, nouitatem meam; ego illorum ignauiam: mihi fortuna, illis probra obiectantur. Nunc videte quàm iniqui ſunt. quod ex aliena virtute ſibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt. Scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas eſt: quam certè peperiſſe melius eſt, quam acceptam corrupiſſe. Hæc ille non omnino, ſi ferocem animum ſpectes, intoleranter. Et profectò ſi in omnes penè Reges, atque antiquos Imperatores intueamur, permultos genere obſcuros vna virtutis vi ſummo nobilitatos honore repetiemus. Tarquinius ille Priſcus, domi, foriſque clariſſimus, patre mercatore natus eſt, vt dicitur à Valerio: addo etiam matre ſerua, quantùm ex Honorato Grammatico intelligere poſſum. Seruius Tullus, qui Tarquinio ſucceſſit, non ſolùm è patre verna, ex ancilla matre ortus putatur à Seneca, Liuio, eodemque Valerio, ſed ipſius quoque

que Tarquinij ſeruus habetur ab Acrone, atque ab eo, quem interpretamur, Iuuenale ſubobſcurè dicitur ijs verſibus.

——— Quid Tullius? anne aliud quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati
Seruis regna dabunt?

Tullus autem Hoſtilius, qui Tullum ipſum, Seruium, ac Tarquinium anteceſsit, tam humile genus habuit, nihil vt fieri poſſit humilius: cuius videlicet infantia tugurio ſit excepta, & adoleſcentia paſcendo pecore fuerit occupata. Quare ipſius Hoſtilij ea eſt apud Dionyſ. Halicarnaſſenſem oratio, in qua planè decernit, non alio niſi virtutis loco ſitam eſſe nobilitatem. De Regibus ita diximus.

Quid verò Imperatores? An non etiam ipſi virtutis via graſſati, aditum ſibi ad nobilitatem patefeceruut? Auguſtus, quem fortunæ filium appellarunt, auum habuit argentarium, patrem adſtipulatorem, vtrumque precarium quæſtum quotidie facientem: quod ei exprobrat amarè Cicero in epiſtola quadam, & Suetonius Tranquillus pluribus teſtatur locis in vita. Vitellium libertini generis autorem, eumque ſutorem habuiſſe permulti memoriæ prodiderunt. Pertinax optimus Imperator auo ſeruo, patre libertino, & qui lignariam negociationem feciſſet, eſt editus. Immo verò tradidit Capitolinus, eam ſordidam mercaturam Pertinacem ipſum ita pertinaciter feciſſe, vt inde nomen acceperit

Per-

Pertinacis. Quid dicam de Martio, qui Gallieno adtriduum tantummodo ſucceſſit? Ex fabro ferrario, teſte Pollione, Romanus, hoc eſt orbis terrarum factus eſt Imperator: cuius orationem, qua ſe populo in publica concione de tam ſordido purgat opificio, idem deſcripſit Pollio, quem laudaui. Quid de Galerio Armentario, qui, vt ab Aurelio Victore accepimus, parentibus natus agrarijs, ab armentis, quæ pauerat, Armentarij nomen inuenit? Quid de Probo, quem dicunt ab olitore genitum, quid de Bonoſo, quem à pædagogo, ac ludi magiſtro? quid de Diocletiano, quem plerique ſcribæ, ac librarij filium crediderunt? Quid de Valentiniano, quem tradunt etiam funariam exercuiſſe? Nil enim attinet externos commemorare; Antipatrum Macedoniæ Regem, Alexandri ſucceſſorem, mulieris mimæ, ac fortaſſis etiam meretriculæ nepotem; Archelaum eiuſdem regni moderatorem, ſeruæ filium, vt eſt apud Platonem in Gorgia; Hieronem Siciliæ Regem viliſſima ſuſceptum ancilla, Hyperbolum Athenienſium Principem, cuius pater lucernas faciebat æreas, habebatque venales, vt eſt apud Auguſt. in libris de Ciuit. Midam, cuius opes fabulæ locum fecere, plauſtrarium, atque aurigam; Protarchum Syriæ Regem, filium negociatoris, Tyridatem ex ſeruo Parthorum Regem, alioſque penè innumerabiles, quos è poſtremo gradu extulit virtus ad ſummum: in primiſque Ventidium

tidium Baſſum, vt ad noſtra iterum redeamus, ex mulione Conſulem factum Romanorum. Id quod veluti monſtrum quoddam antiquitas admirata, Satyricorum voce, vt eſt apud Gellium, exclamauit.

Concurrite omnes augures, haruſpices,
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam mulos qui fricabat Conſul factus eſt.

Hic tamen mulio Parthos bellicoſiſſimos ter iuſto prælio fudit; eamque nomini Romano maculam eluit, quam ei Craſſus multis, ijsq; turpiſſimis cladibus acceptis, aſperſerat. Florebant nimirum ea tempeſtate, valebantque illa Romanæ laudis documenta, quæ Theodoſium Honorio filio magnificè prædicantem facit Claudianus.

Si tibi Parthorum ſolium fortuna dediſſet
Care puer, terrisq; procul venerandus Eois
Barbarus Arſacio conſurgeret orbe, tiaras
Sufficeret ſublime genus, luxuq; fluentem
Deſide nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romanæ longe Rectoribus aula
Conditio. virtute decet, non ſanguine niti.

Sed finis, ac modus hoc loco ſit; voſq; Adoleſcentes, qui in hac nobilitatis officina laboratis, mea tandem aliquando compellet oratio. Pergite porro, & quà virtute, quà liberalibus, honeſtisq; ſtudijs, vel alienam, atque à maioribus acceptam fouete, vel, quod viri eſt, ipſi per vos effingite nomini veſtro nobilitatem. Non

eſt hominis, in latebris eſſe, ac iacere: vix habet quo pecudibus antecellat, qui vitam, vt dixit ille, ſilentio tranſigat; cui limites, ac termini citra immortalitatem ſint præſtituti.

Sapitis verò vos clariſsimi viri, Præſules ornatiſſimi, ſapitis. Vobis enim elogium, & gratulationem debeo, non hortamentum: qui noua gloria maiorum amplificatis nobilitatem, ne lumine tantum alieno, quod eſt fortunæ, ſed etiam veſtro, quod eſt virtutis, ac ſapientiæ luceatis. Multi ſapientia, doctrinaque iam parta, ſine diuitiarum luce obſoleſcunt: multi in ipſo diuitiarum lumine deſiderant generis antiquitatem. Sunt qui maiorum tabulis, ac monumentis abundent: ſed publicos honores in priuato familiæ ſplendore requirunt. Iſta vero nobilitas omnium planè rerum complexione conflata, neque à literis, ac ſapientia, neque à copijs, ac fortunis, neque à maiorum claritate, neque ab honoris, & gloriæ præſtantia habet quod poſſit magnopere deſiderare. Ac ne quidquam omnino requirere poſſemus, addidiſtis illa quoq; virorum nobilium ornamenta, virtutes animi molliores; comitatem, facilitatem, clementiam, atque iſtam in me, vt leuiſſimè dicam, humanitatem: cuius tanta mihi extitit hodierna luce ſignificatio, & vis, vt quia nulla referendæ gratiæ copia ſuppetit inopiæ meæ, obrutus videar eſſe potius hoc veſtro beneficio, quàm ornatus.

DE

DE MORALI PHILOSOPHIA

PRAEFATIO

Cùm Author ab arte dicendi digreſſus Ariſtotelis libros de Moribus explicare aggrederetur.

ORATIO XXII.

HACTENVS in Rhetorum campo verſati, poſt diuturnum illum declamatoriæ ſolem palæſtræ, ac puluerem eloquentiæ, in aliudne forum, aciemque deſcendimus, an ex arena, & puluere in vmbram nos, ſtationemque confugimus, Auditores? equidem haud ſcio vtrum hoc hybernaculum ſit; vbi cùm animi perturbationibus, ac vitijs, vbi cum voluptate, virtutibus, & rationi contraria, pugnandum erit, vbi per vir-

gulta, & ſenticeta, per tramites illos Herculi quondam obiectos in biuio, aperienda, & quærenda nobis erit ad felicitatem via. Sunt hæc ſanè pugnacia, & refractaria, quæ nobis opponuntur in itinere. eſt hæc etiam doctrina pugna quædam, & concertatio: ſed ſi conferenda tamen cum ea ſit, à qua miſſionem demum honeſtam iuſtiſſimis exactis ſtipendijs impetrauimus, ceſſatio mihi eſſe videbitur, & quies; hodie præſertim, qua die præluſurus operi futuro nullos aduerſarios aſpicio circumfuſos orationi meæ, quibuſcum bellum aliquod, vt ante, ſuſcipiendum perneceſſariò ſit. Videbar quippè quotannis hac ipſa luce veluti Comœdiarum quidam Orator, ac prologus ad vos prodire, vt artificium, quod mihi erat in manibus ſic defenderem, quemadmodum ille præcurſor actorum in proſcenio exiſtimationem tuetur agendæ fabulæ, quàm intelligit obtrectatorum inuidia, & maledicorum hominum acerbitate proſcindi. Faciebam inquam hæc neceſſariò: quia videbam eam à me tractari facultatem, in quam deſuefacto iam à concionibus ſæculo, cuncti reprehenſorum aculei, notæquè cenſorum, omnes doctorum hominum impetus, ipſius etiam haud indoctæ multitudinis conatus effrænes, & cæcæ quædam populi ſapientioris impreſſiones incurrunt. Nunc verò quoniam ex illo Rhetorum opificio in hanc felicitatis officinam ingredimur Ethicen, quæ nullos habet ho-

-ſtes,

ſtes,ſed propitios,ac fauentes vniuerſos,nullam nobis imponi neceſſitatem videmus huc exeundi cum ornatu prologi, ad calumnias, quæ nuſquam ſunt, atque à nemine iactantur, hoc proluſionis initio repellendas. Aliorum iſte ſit labor, qui alia quædam criminationibus expoſita in hoc Gymnaſio profitentur artificia ſapientiæ. Nobis iter expedit omnium adprobatio: nec patitur placabilis hæc, & tranquillitatis conficientiſſima ſcientia in perturbatam nos, atque infeſtam aduerſarijs intrare prouinciam. Etenim permulta ſunt in cæteras Philoſophiæ formas, ac liberales artes obiurgatoriè quondam à veteribus dicta, contendentibus, & magna voce clamantibus, explodendas eſſe doctrinas, quæ neque medeantur moribus, neque faciant homines ſuo docendi labore, peculiarique præceptione meliores. Quæ quidem obiurgatio,& tam grauis in pleroſque doctores proclamatio non idiotarum, aut imperitorum tantummodo fuit,ſed eorum etiam, qui prudentiſſimi,ſcientiſſimique ſapientiæ putabantur. Nam Cebes,Philoſophus ille Thebanus,qui nobis ex Pythagoræ, Parmenidiſque decretis humanæ vitæ ſimulacrum propoſuit expreſſum ad viuum,cum intra circulos quoſdam,& zonas pro ſtudiorum varietate varias, omnes incluſiſſet mortales, fecit eorum aliquos è ſemita, quam erant ingreſſi, ad moralis Philoſophiæ ſeptum retrocedentes, propterea quòd animaduertiſ-

ſent,ad fucatas, inutileſque ſe artes contuliſſe, dum ſolidas quærerent, ac minimè fallentes animi diſciplinas. Illi autem qui ſic reuertuntur, & Ethicen petunt, Poëtæ ſunt, vt intenta in tabulam virgula docet ibi Myſtagogus, Oratores, Dialectici, Muſici, Arithmetici, Geometræ, Aſtrologi, Critici omnes, Phyſici, alijque, qui nullam doctrina ſua proponunt hominibus vitæ caſtimoniam, ac probitatem. Huius Philoſophi ſententiæ omni planè conſentit ex parte mitiſſimus Imperatoris immanis altor, ac Magiſter Seneca; qui præter morum Philoſophiam, cæteris è ſtudijs nullum ſuſpicit, nullum in bonis numerat, nullum admiratur, omnia meritoria, puſilla, puerilia putat, eo nomine, quòd virum bonum non modò non faciant, ſed ne promittant quidem, aut ſe factura eſſe profiteantur. Quod profectò ſic eſt, quemadmodum ab hoc morum præceptore ſapientiſſimo dicitur. Nec ego qui permagni facio, admirorque liberales artes vniuerſas, auſim aliquid de illarum efficacitate pronunciare magnificentiùs, quàm veritas, ac ratio poſtulet.

Nam illæ primùm, quæ moderantur orationi, atque in ſermonis cura, diligentiaque verſantur, ſi ſyllabas exigunt ad vnguem, ſi literarum apices, vel propagatione proferunt, vel amputatione caſtigant, ſi attingunt hiſtorias, & carmina poëtarum interpretantur, longiſſimè vagari ſe putant, & fines ſuos ampliſſimè protuliſſe;

liſſe; cùm tamen eorum nihil, aut metum eximat, aut libidinem frœnet, aut iram coërceat, aut frangat audaciam, aut reſtinguat exardeſcentis animi cupiditatem. Geometria, ſi de recta, obliquave linea doceat, ſi quamcumque formam acceperis, eam redigat in quadratum, ſi non latifundia modò metiatur, ſed agellum quoque minimum redigat in particulas, ſi colligere ſubtiliſſimè poſſit iugeri pedes, & quicquid decempedam effugit ſubducta ratione, deprehendere, nihil prætermittit eorum, quæ profitetur, & numeros explet omnes muneris ſui. cùm tamen interea neſciat animus intra recti lineas ſe tenere, aut metiri quantum homini ſatis eſt, aut patienter ferre vicinum non dicò abradentem aliquid ex agro tuo; ſed potentiorem tantummodo, atque ampliora prædia poſſidentem. Illa verò quæ cæleſtium notitia gloriatur, Aſtrologia, ſi diſcurrentium interualla ſiderum radio notet, ſi fixas ſtellas diſtribuat in Centurias, ſi defectus illos ſolis, lunæque labores, ſuſpenſæ Ciuitati denunciet, ſatis in ſublime ſuſtollit animum, quem interea loci relinquit fluxis hærentem rebus, nec reſpicientem ea, quæ ante pedes euentis quotidie fortuitis obijciuntur. Quid verò ea, quæ prælucet ſingulis diſſerendi, & de conſequentibus iudicandi facultas, ac diſciplina? Si rem definiat obſcuram, ſi diſtinguat ambigua, repugnantia conciliet, confuſa partiatur; ſi nodos reſoluat, & decipulas elu-

dat omnes captioſorum, partes ſine dubio perſequitur idoneas officio ſuo. ſed patitur animum amplecti deteriora pro bonis, ac repugnantia ſequi; ſinit eum decipi cupiditatibus, & votis ſuis, qui verbis alienis falli, & comprehēdi non poteſt. De venatrice illa natura, ac rerum occultarum indagatrice ſcientia nihil eſt cur multa dicamus. Cœli materiam quærit, & oculis minimè contenta, vniuerſi fibras, & venas ſcrutatur intimas, extra conſpectum ab auctore ſubductas: ſed perturbationum fontes, & vitiorum flexus inuolutos ignorat, nec latebras illas intrare penitus audet, vbi ſe cupiditas, atque auaritia tenet. Rerum omnium initia quatuor explorat: ſed quaternas illas animi virtutes, humanæ felicitatis totidem elementa non videt. Corporum ortus, obituſque conſiderat: conſiderantem hæc, & ſui corporis obitum extimeſcentem animum ipſo mortis pauore, impendentiſque calamitatis expectatione non liberat. Rectè itaque Ariſto ille Stoicus eam philoſophiæ partem exiſtimabat eſſe leuiſſimam, quæ per ſidera vagaretur, nec in pectus vſque deſcenderet, aut hominem in ſe ipſum introrſus ire, ac dies noctesque ſecum habitare compelleret. Rectè vetus illa natio ſapientium clamat vniuerſa, id demum eſſe ſapere, ac philoſophari: noſſe, beatam vitam homini conſentaneam virtutis actione perfecta contineri, non alienis pennis inuadere Cælum, non errare per

maria,

maria,non illigare verborum nodos, ac ſoluere, non littoris arenas, & papaueris ſemina ſolliculis incluſa numerare, non inter futiles, otioſaſq; diſciplinas operam perdere. Quin reprehenſionem illam Moralis Sapientiæ recordor hoc loco; cùm concinentes Muſas è Boëtij decumbentis lectulo depulit indignabunda; vehementerq; commota in meretriculas illas ſcenicas, & Syrenes exitioſas, quæ dolorem non minuerent cantu;ſed dulci alerent,atque augerent veneno. Quid enim facturam fuiſſe putatis in alias artes, quæ cum ſola rerum cognitione contentæ ſint, minùs prodeſſe animo ægro, quàm Poëtica poſſunt, cui præter iucunditatem, ipſa etiam propoſita morum vtilitas eſt? Quæ quidem haud ideo commemorantur à me, quòd ignorem quantum illa ſcientia veritatis intelligentiam perficiat, & beatitudinem cumulet hominis; ſed quòd peruelim ab omnibus intelligi, quod initio dicere inſtitueram: nullam eſſe tam præclaram, excellentemque doctrinam, quæ non habeat Cynicos aliquos allatrantes,hac nimirum excepta morum philoſophia, quam putarunt omnes euocatam è Cælo, atque in domos, vrbeſque compulſam, ad demonſtrandam felicitatem ſingulis, & ciuitatibus communem, publicamque tranquillitatem impertiendam. Ac nihil profectò mentiuntur, nec plus nimio rem augent,cùm eam diuinam faciunt, ac cæleſtem; ſed non prorſus intelligunt opinor, quàm ea

laus

laus verè, proprièque cadat in ſalutarem hanc, & præcipuam ſapientiæ partem. Omnes enim idcirco cæleſtem appellandam exiſtimant, quòd Pythagoras antiquorum ſtudio relicto, qui cæleſtia tantùm, naturæque res inuolutas auidiſſimè ſectabantur, de bonis, ac malis cæperit philoſophari primus, ac viſus propterea ſit philoſophiam è ſideribus illis, orbibuſque cæleſtibus, in quibus antea tantummodo ſe tenebat, tamquam iniecta manu detraxiſſe. Quod quidem, vt verè dicatur, parcè tamen atque reſtrictè dici videbitur, ſi huius diſciplinæ antiquiora quædam principia redordiamur. Omnis quippè huiuſmodi doctrina, atque inſtitutio multò ante Socratem extitit à Pythagora, cuius hodieq; aurea illa carmina legimus, quibus totius humanæ vitæ ratio continetur, & lex. Ex huius verò doctrina monumentiſque philoſophi Socrates ipſe, ac Plato mutuati poſtea ſunt quæ de moribus ampliſſimè diſputarunt. At Pythagoram Nazaræi cuiuſdam hominis eximiè docti, atque in ſacris literis apprimè verſati, diſcipulum facit in libro aduerſus Apionem Ioſephus Hiſtoricus magnæ vir apud omnes auctoritatis. Quin eundem Hebræum quoque fuiſſe genere docet Ambroſius homo caſtiſſimus, & Clemens Alexandrinus totius antiquitatis egregiè gnarus inter Apellas adnumerat, & recutitos: vt nimirum intelligere debeamus, ea quæ rectæ Religioni conſentanea, & moribus ſalutaria

pro-

propoſuit populo Pythagoras, è diuinis fuiſſe monumentis Hebræorum hauſta,& ex ſacro illo, auguſtoque ſanctiſſimæ ſapientiæ fonte, delibata. Atque hinc factum eſſe autumat Tertullianus,vt Socrates, qui multo poſt Pythagoram eſſe cæpit inter mortales, Pythagoræ tamen inſtitutus ſcriptis, & doctrina, non modò moribus hominum leges quaſdam deſcriberet cæleſtes, quas apud illum inueniſſet expreſſas, verùm etiam concionabundus euerteret Deos; & Numinum illam multitudinem infinitam oratione præclara deteſtaretur. Non enim vnius illam notitiam Dei acceperat aliunde, quàm à veritate; quæ quoniam ſemper odium ſibi peperit apud improbos, in ipſo etiam Socrate, Athenienſium iniquiſſimo iudicio eſt circumuenta. vt meritò idem exclamarit Tertullianus: ò Apollinem inconſideratum,qui ſummæ teſtimonium ſapientiæ illi reddiderit viro,qui Deos eſſe interpoſita vita, & morte quodammodo ſequeſtra diffitebatur. Non tamen id eò dico, quòd velim hodiè Socratem conſecrare, atque ita cæleſtem facere, vt ille olim Roterodamus inſignis ſannio, & perſonatæ religionis impius hiſtrio fecit, cùm plus æquo ſanctimoniam, & conſtantiam Socratis admiratus,dicere quodam loco ioculariter opinor, ac per deridiculum in nos haud dubitauit, vix mè contineo quin exclamem: ſancte Socrates ora pro me. Quamquam enim ab Areopagita Dionyſio didicimus,

aliquot

aliquot etiam ex antiqua ſuperſtitione viros, Angelorum, qui populis præſident ſingulis inſtitutione, ad rectum Dei cultum eſſe perductos, & euocatos in cælum, de Socrate tamen ipſo, ne præeunte quidem Catharino Theologo auſim ego benè quicquam exiſtimare, cùm apud ipſius patronos Xenophontem, ac Platonem id ſcriptum inueniam; iudicio eum populari oppreſſum fuiſſe, non iure damnatum: quippè qui non modò non negaret in publico, ac palam eſſe Deos, verùm etiam in Pyræo, cunctis inſpectantibus, ipſi Mineruæ vota iam perſoluiſſet, & gallum gallinaceum Æſculapio ſacrificaſſet. Quare ſic intelligo, & ſic animo perſuaſum eſt meo, Socratem, vel metu ſupplicij, vel exitiabili quadam aſſentatione aliter interdum erga Deos in publico ſe tractaſſe, quàm priuatim ipſe ſuo iudicio, & cogitatione ſentiret. Cæterùm de conſtantia, inconſtantiave hominis, vt vt eſt: illam certè, quam aliquando profeſſus eſt execrationem Deorum, è diuinis hauſerat fontibus, qui Pythagoræ quondam recluſi neminem aditu prohibebant.

Socratem Plato diſcipulus excepit, ad quem ea morum ſcientia per alueum, ductumque non prorſus incorruptum deriuata, tanquam arenam, & cœnum ſic errores aliquos ſecum traxit turbido fluxu, quos in eo quotidie notamus, & reprehendimus. Multa quippè didicerat ab errante Magiſtro, multa ipſe, cùm fuit in Ægy-

pto,

pto, ab Hebræis illis degenerantibus acceperat, qui ex commigratione reliqui erant in ea regione ſrequentes; nec diuinum illum Codicem nondum imperio Philadelphi Græcum factum adire, ac conſulere legendo potuerat. Quia tamen ipſe quicquid ex ijs hauſerat capitibus, diuinum, & è ſacris Hebræorum voluminibus expreſſum incorruptè putabat, dicere non eſt veritus in Protagora, illas artes, quæ degendæ, retinendæque vitæ neceſſariæ ſunt, humanum conſilium, ac prudentiam inueniſſe; quæ verò ad benè beatèque viuendum perducerent hominem, eas ſingulari Dei parentis optimi beneficio fuiſſe mortalium animis impreſſas, & conſignatas. Quin alibi mentionem facit arcani cuiuſdam Syrij, atque Phœnicij, Iudæorum ſine dubio doctrinam leuiter indicans; quam ſuo palam, apertèque non putabat appellandam nomine, quòd intelligeret eam gentem eſſe pleriſque nationibus odioſam. Quid multis hic opus eſt verbis? Ipſi noſtræ Religionis Antiſtites erudiτiſſimi confirmant, Platonem eo conſilio Ægyptiorum vrbes ingreſſum eſſe, vt leges Moyſis illas admirabiles, vatumque ſanctiſſimorum oracula cognoſceret: vidiſſe omnia diligenter, & ex eorum libris, monumentiſque diuinis Dialogum de virtute, hoc eſt decem illa volumina de Republica compoſuiſſe, quorum argumentum eſt: impios, iniuſtos, alienos à Deo, quamuis religioſiſſimi vulgò putentur, ſintque opibus

ſio-

florentiſſimi, infeliciſſimos tamen habendos eſſe, atque omni prorſus ærumnarum genere, cumulatos: contrà verò quos miſeros, ærumnoſoſque vulgus appellat, modò præpotenti Deo amici ſint, & gratioſi, eò feliciores eſſe iudicandos, quo magis expoſiti fortunæ ſunt, atque, apud populum ob rectè facta, & publica beneficia maiori verſantur in odio. At hæc ſumma videtur eſſe literarum ſacrarum omnium, eiuſque ſapientiæ, quæ Salomonis commendata, pronunciatis eſt, oraculiſque ſanctiſſimis euulgata. Explanatius hæc, & expreſſius Euſebius Pamphili docuit, nominatim affirmans, eum Eſaiæ locum: Vinciamus iuſtum, quia nobis inutilis eſt: circuitione quadam ambituque verborum in ſecundum de Republica librum ad hunc fermè modum à Platone tranſcriptum eſſe. Hoc igitur animo affectus in Rempublicam iuſtus, imperterritus, ac minimè commotus, virgis, flagriſque cædetur, tormentis cruciabitur exquiſitiſſimis, orbabitur oculis; ad extremum omnia perpeſſus iniuriarum, & contumeliarum genera tolletur in crucem. Tota verò diſputatio Thraſymachi cum Socrate in libro primo nonne, quædam explanatio verborum illorum eſt, quæ pronunciant apud Salomonem flagitioſi? Venite perfruamur bonis, perfundamur vnguentis, roſis coronemur; opprimamus pauperem, non parcamus viduæ, nec reuereamur canos: fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ ſit.

Ab

Ab huius doctrina Præceptoris Ariſtotelem accepiſſe moralia nemo prorſus inficiabitur, qui ſciat (ſcire autem debent omnes) tam multos eum annos ſedulò, ac diligenter audiſſe Platonem. Ac poſſem equidem ſingulos vtriuſque componere locos, & demonſtrare per partes, Ariſtotelis Ethicen ab ea ſtirpe fuiſſe decerptam: ſed hoc mihi negat otium hora, qua circumſcribor ad dicendum, & tam bonum induſtriae meae laborem eripit aliorum diligentia, qui ſcriptis voluminibus, & libris longè plurimis euulgatis oſtenderunt, de vniuerſa Philoſophia Platoni cum Ariſtotele conuenire. Non igitur oportet, nec eſt huius orationis ire per ſingula, quae diuerticulo quodam amœno huc demum ab eo principio decidit; vbi contendebam, diuina eſſe moralis Philoſophiae primordia, caeleſtem hanc eſſe doctrinam; adeoque neminem inueniri, qui complectendam hanc vnam praeter caeteras eſſe non dicat, & humanae vitae priuatim, publicèque plurimum prodeſſe non fateatur. Quae cauſa hodie laetandi mihi quidem occurrit ampliſſima, cùm in hunc ego campum ingreſſus ita offendo parata, expeditaque omnia, vt patronum, aut prologum aliquem defenſorem agere neceſſe non ſit in tam populari, & gratioſa doctrina, tamquam in benè vendibili, atque acceptiſſima fabula.

Vnum tamen in hac tanta ſecuritate ſubeſſe periculum ſuſpicor, quod moleſtiam ipſis etiam

inter-

interdum attulit Comicis alioqui bonis, & probabilem in proſcenio fabulam exhibentibus. Quod ego periculum facilè non explicabo, niſi antè quid acciderit aliquando Comicorum Principi Terentio, breuiter indicauero. Palliatam ille dabat ex Apollodoro Megalenſibus ludis, hoc eſt ſumma totius populi Romani celebritate, atque frequentia. Theatrum fuit apparatiſſimum, Choragium apprimè perfectum, Actores primi: Modulatores, Melici, Thymelici, Tibicines praeſtantiſſimi. Comœdia verò ipſa, ea erat, quam exquiſito ſtudio feciſſet Apollodorus, & Terentius acutiſſimo vir iudicio, è Graecis bonis longè plurimis, egregiè ſibi donandam làtinitate ſepoſuiſſet. Nihil demum eſſe videbatur, cur abire ſpectatores vellent, & Comœdos infecta fabula ſubitò relinquere maturarent. Et tamen res ita prorſus accidit Auditores. Cùm enim populus iam Theatrum ingreſſus, iam ordine collocatus in gradibus, ac penè centuriatus accepiſſet, funambulum eodem planè tempore alibi parari, atque in procinctu iam eſſe ad incedendum, commotus illicò, excitatuſque defluxit paulatim omnis, ac circumforaneum ſcurram, circulatoremque de triuio ſpectare maluit, quàm inſtitutionem, atque imaginem vitae comœdiam ſummis doctiſſimorum hominum elaboratam ſtudijs exaudire. Eſt profectò ſpectaculum illud admirabile: vbi vel procera, vel iuſta magni-

gnitudine vir per extentum funem non graditur modò, ſed vibrato ſurſum corpore, pedibuſque micantibus, citharœdo perſonante, ſalit ad numerum: vbi adiunctis ad plantas orbiculis, & muricibus, tribuliſque ſuppoſitis, ingreditur tamen, ac citharæ præeunti molliuſcula ſaltatione reſpondet: vbi muſtelarum, aut anguium modo, pectore prono, proiectoque perreptat in neruum; vbi reſilit, vbi ſuſpenditur, vbi ex ſimulata prolapſione ſe refert in gradum. Quod artificium eo maiorem habuit tum admirabilitatem, quòd non homines ſolùm, ſed Elephanti quoque ipſi funambuli eſſent, atque funipei. Legimus enim ſæpe, Lucas haſce boues aduerſis ſubijſſe funibus, & quod longè maius exiſtimatum eſt, ijſdem funibus pronis, nuſquam fallente, aut vacillante veſtigio, retroceſſiſſe. Æthiopes quippe mimi concurrebant in hanc Vrbem velut in caueam totius orbis terrarum frequentes, ac multi: qui belluas illas humanis proximas ſenſibus vſu condocefactas ſubſidere iuberent in genua, Proceres adorare, porrigere coronas, ambulare per funes. Magnum, inquam, hoc ſpectaculum fuit; ſed non debuit tamen in theatrum iam coactos, & congregatos, à doctiſſima, pulcherrimaque fabula ſpectatores auertere. quo dolere potuit æquius Poëta ingenioſiſſimus, cùm vidit deſeri ſe à ſtolida multitudine ob artificium, quod vitam, & mores, vt ea fabula, non emendaret.

Sed ſint iſta dicet aliquis. quem verò tu ſimilem tibi caſum extimeſcis? quem fingis animo funambulum, tuæ aduerſarium, non quidem moratæ fabulæ, ſed doctrinæ de moribus,& ſaluberrimæ ſapientiæ? Num tu funambulos iſtos Aſtrologos, ac Mathematicos dicis, qui lineis continenter inſultant, & peruolitant ſidera? Num eos qui rimantur arcana fugientis naturæ? Num illos, qui totius determinationem mundi prætergreſſi poſtremam, ſolutarum à concretione Mentium vim, & conditionem attingunt? Nihil ab his mihi pertimeſcendum eſt, à quibus idonea & perneceſſaria huic doctrinæ præſidia ſuppeditantur. Nemo quippè eſt,qui cognitionis,atque intelligentiæ diſciplinas nolit eſſe morali Philoſophiæ veluti præcurſorias; & illi ipſi qui eas otioſas,atque inutiles dicunt, id etiam contenduut, ac volunt, ijs tamen eſſe præparandum animum; vt huius doctrinæ ſatus accipere queat,& pretium operæ facere. Nam quemadmodum illa prima ratio literaturæ, qua pueris elementa tradimus, non docet liberales artes, ſed ijs percipiendis aperit, ac præparat locum: ſic ipſa rerum naturalium ſcientia, & artium ſtudia variarum non perducunt quidem animum ad virtutem, ſed virtutibus inſerendis expediunt, ac muniunt viam. Quid igitur eſt quod mihi creare periculum, & diſcipulos à tam probabili ſtudio interuertere poſſit ad ſe? Proponit hunc nobis in itinere ſcopulum nau-

fra-

fragijs,& piraticis infamem inſidijs Ariſtoteles; cùm adoleſcentes minus idoneos eſſe ait Philoſophiæ moralis auditores; adeòque tamquam profanos arcere videtur eos ab huius doctrinæ templo,qui mihi traditi ſunt in diſciplinam.Plures quippè cauſæ ad hæc illum pronuncianda compellunt, de quibus enucleatè diſputabimus in loco; ſed eam hic ego nunc repræſento, quam ipſe à voluptate, iuuentutis lena blandiſſima,repetiuit. Non tam enim adoleſcentes ab huius aditu ſacrarij depulit, quàm vniuersè voluptarios,& cupiditatibus obtemperantes ſuis, cuiuſmodi plerumque iuuenes ſunt ob ætatem illecebris opportunam,expoſitamque fraudibus voluptatis: quæ non ſic ceterarum prohibet perceptionem diſciplinarum, quemadmodum huic ſcientiæ morum, obicem, ac repagulum ponit. Nam quia illæ de voluptate fugienda, percipiunt nihil,facilè iuuenes inuenire poſſunt adprobatores, amanteſque doctrinæ ſuæ: hæc verò,quia temperat affectus, & voluptates inſanas exterminat exilio ſempiterno, habere non poteſt adprobantes auditores illos, qui omnem voluptatis aucupantur vmbram, & ſingula deliciarum veſtigia conſectantur.

Hunc itaque funambulum ego timeo, hæc ſpectacula,quæ Circe illa venefica parat incautis, magnopere pertimeſco, videoque propterea, mearum hodie partium eſſe, dicere, ac demonſtrare, iucundiſſimam hanc eſſe Philoſo-

phiæ partem; nec ſua carere voluptate, quæ tam aſpera eſt, & tam vehementer ipſis voluptatibus aduerſatur. Quod argumentum mihi fuiſſet ampliſſimum, ſi hoc agere ab initio voluiſſem, totoque decurſu orationis oſtendere, quàm iucundè ſe poſſit animus in hoc genere ſcientiæ ſanctioris oblectare. Cùm enim ipſa duo potiſſimum proponat Auditoribus ſuis; totius cognitionem doctrinæ, & quæ inde conſequitur, actionem; tantam in vtraque iucunditatem pollicetur, vt haud minus, ac multo plus etiam, quàm ceteræ, trahere nos debeat ad amorem, & ſtudium ſui. Nam, vt primo quidem de ipſa dicam cognitione leuiſſimè, creditis vos aliquid iucundius eſſe, rerum naturam, quàm animi mores agnoſcere? vagari per vniuerſitatem, & mundum hunc tantum, ac tam immanem itinere longiſſimo percurrere, quàm per compendia eò, quò curſus dirigitur omnium, breui peruenire, mundique maioris exemplum, atque imaginem intra nos ipſos minori labore, ampliſſimo cum fructu perluſtrare? Reconditarum, dicet aliquis, notitiam rerum afferunt alia ſtudia, hoc eſt earum, quæ ſenſibus omnium obiectæ non ſunt: vulgaria verò videri, quæ traduntur à morali Philoſopho: cùm de ijs ipſe quoque nutrices, atque inſtitutores primos pueris, ac diſcipulis ſuis ætate tenerrimis aſſiduè præcepta deſcribant: quaſi verò illæ res tam abditæ, ſidera etiam ipſa, & ea rerum

initia,

initia, de quibus phyſici ſubtiliſſimè diſputant, non in omnium ſenſus inuaderent, ac non ſemper in exedris Philoſophos acutos,& graues, ſed ſæpe ruſticanos quoque præceptores, ac magiſtros in agris haberent. Quid eſt quod pluribus abundet in vita doctoribus, quàm artificium illud vulgatiſſimum medicorum? Nullus eſt in triuijs ſellularius, nulla in domibus anus, quæ medendi rationem aliquam, morborumq; cognitionem ſe tenere non profiteatur. Et tamen ita iucunda eſt eius doctrinæ perceptio, vt doctiſſimorum hominum laborem ſubleuet extremum,feſſumque ceterarum artium exercitationibus, incredibili ſuauitate reficiat animum. Vt enim rectè ab Ariſtotele dictum eſt, politiſſimos quoſque medicos velle demum de ipſis etiam Phyſicis,ac de tota natura diligentiſſimè cognoſcere,ita dici quoque à me poſſe, veriſſimè credo, elegantiſſimum quemque Philoſophum peragrata iam vniuerſitate, velle tamquam itineris portum iucundiſſimum ipſam etiam ad extremum attingere medicinam. Putatis vero vos plus eſſe poſitum delectationis, & voluptatis in pernoſcenda valetudine, in morbis ægrotantium enumerandis, in membris, fibriſque diſtinguendis humani corporis, quàm in ipſo animorum habitu peruidendo, in recenſendis affectibus, in ſingulis virtutum generibus ad lineam, & perpendiculum expendendis? Nemo quidem eſt, qui cupiditatem, atque iram,

qui fortitudinem, ac temperantiam in ore non habeat, ſed cùm demum earum definitiones intelliget penitus, ampliorem haud dubiè voluptatem animo capiet, quàm medici ex eorum explicatione morborum, quos ante ſibi videbantur habere bene cognitos & exploratos. Quid verò de actione, huius altera doctrinæ parte commemorem, quæ totum hominem expolit, ac limat, quæ conuentus, atque Reſpublicas omnibus officijs humanæ ſocietatis abſoluit? Non equidem audeo dicere, huic ſcientiæ, morumque tractationi tantam ineſſe vim, vt vitia confeſtim extirpet omnia, virtutes ingeneret, hominem ſubitò ſanctiſſimum faciat, atque caſtiſſimum. Stoicorum fortaſſis iſta gloriatio ſit; qui cùm Sapientem illum ſuum ſolum diuitem eſſe dicant, ac Regem, homines ærumnoſos, & rerum omnium egentiſſimos è veſtigio faciunt Imperatores, & Crœſos. Babylonios aliquos magos iſta pollicentes inuenias, quorum natio illicò res vertere, atque in alias commutare ſe poſſe profitetur. Nullus eſt apud nos Euripidis Iolaus; qui ex ætate confecto, ac morboſo, factus repentè iuuenis, & quidem valentiſſimo corpore, producatur in ſcenam. Non ij nos ſumus, qui re ipſa, verèq; facere poſſimus quod feciſſe Medea fingitur in fabulis, cùm Æſonem poſtrema ſenectute iam tabidum extemplò recoxit, florentiſſimæq. reſtituit iuuentuti. Quamquam enim hoc etiam

fecit

fecit aliquando moralis Philoſophia, cum oratione Xenocratis admirabili ab intemperantiſſima nequitia continuò reuocatus ille Polemon eſt, aſotus, & perditus adoleſcens; non tamen ſemper hoc efficit, quia ſubactum & feracem agrum, hoc eſt bonum auditoris animum non ſemper offendit. Ceterùm quia morum ipſa ſcientia, & cognitio virtutis ideo traditur, vt producatur in actum, de huius etiam ſuauitate partis, quando id agimus, illud in ſumma dicamus: nihil eſſe tam iucundum in vita, quàm moralis Philoſophiæ præceptis obtemperare; hoc eſt extergere vitijs animum, eumdemque ſuis inſtruere dotibus, & pulcherrimis vndique virtutibus exornare. Vt enim duplex animantibus inſeruit natura voluptatum genus, quorum alterum tùm caperent, cùm redundantia purgamenta corporis eiectant, alterum cum deſiderio ſatisfaciunt; & pabulo, potuque eiuſdem corporis explent inanitatem: ſic animo duplicem conciliauit ſuauitatem Deus: vnam, quam in vitij quadam exudatione perciperet, alteram, quam in honeſtatis vſu, atque in ipſa virtutis adeptione ſentiret.

Reliquum eſſet, vt prolixè nunc ego promitterem Auditoribus meis, aliquas me huic doctrinæ per ſe probabili, atque alioqui iucundæ additurum illecebras eſſe à delicijs orationis, & ab ea copia, quam ex illo Rhetorum emporio vtcumque deferimus in Lyceum. Eſt

enim eius, qui poſſit amplum munus etiam ornare verbis,& quæſitiſſimas epulas aureis quoque vaſis imponere, cultum hunc ornatumque minimè negligere: ne ij quibuſcum agas, contemni, ac negligi videantur. Sed næ ego præuaricer in cauſa mea, ſi me facturum id eſſe profitear, quòd à me fortaſſe omnium minimè requiritis, Auditores. Quapropter eo me loci deueniſſe intelligo, vt exponere neceſſe ſit de ipſius cura ſermonis futuram animi mei rationem,atque conſilium. In quo,ſi dicam vnum, haud ſcio quantam habitura ſit fidem oratio mea,ſed veriſſimè dicam. Quid inquam? Equidem permagni ſemper æſtimaui, & cum admiratione ſuſpexi hominum eorum ingenia, qui Latinum quemdam loquendi modum excogitarunt, accommodatum quidem doctrinæ, ſed ſpurcum, ac ſpurium: & qui neque popularis ſit,neque in Latinorum vllum ordinem,claſſemve redigi queat. Fecerunt enim viri docti Latini ſermonis ætates,& quaſi genera quatuor,in quorum nullum conueniat id, quod vulgò iam Scholaſticum appellamus. Primum quidem nominarunt antiquiſſimum,illud nimirum,quod poſt vrbem conditam ad Andronicum vſque Liuium quatuordecim, & quingentis annis eſt interceptum. Cuius ætatis infantiam duodecim leges Tabularum,Roſtrata in Capitolio columna, Scipionis Barbati filij ſepulcrum nuperrimè repertum balbutiente quodammodo Latini-

nita-

nitate demonſtrant. Secundum dici voluerunt antiquum: ſuperiore quidem cultius, ſed verbis tamen agreſtioribus aſperum adhuc, & horridum. Quam ruſticitatem, aſperitatemque cum Cornelio Cethego, C. Lælio, Q. Mutio Sceuola, L. Craſſo, M. Antonio, Philippo, & Cotta Magiſtris aliquantulum mitigaſſet; ad extremum poſt annos omnino centum ſub M. Tullio Cicerone planè depoſuit. Itaque illo latinitatis Rege, tertium ſecutum eſt ſeculum perfectiſſimum, quod & propter expolitionem ſermonis extremam, & ob eorum multitudinem ſcriptorum, qui coacto propemodum agmine floruerunt, appellatum eſt aureum. Ducebat nimirum familiam ille cæleſtis in dicendo vir, ſiue potiùs ipſa vox eloquentiæ: cui dicenti ſuperiores, quorum illico legi deſitæ ſunt orationes, impoſito ſibi ſilentio, iam aſſurrexerant, & præſentes veluti ſuccentores in ſecundarum partium tractatione vix reſpondebant. Sed vt omnia, quæ faſtigium, & ſummum apicem attigerunt, è veſtigio corruunt, ita breuiſſimum fuit hoc æuum, & tanta illa ſcriptorum eloquentium vbertas in herbeſcente viriditate vnà cum imperio deſijt apparere: vt non immerito dixerit ille; ſub Auguſto æquè arma ceſſaſſe, ac ſcriptores egregios, magnorumque capitum ingenia vnà cum ipſo Regnorum omnium capite defloruiſſe. Quare quemadmodum Imperiorum, vrbiumque magnarum excidium

dium denunciant oracula, ſic huius interitum linguæ prouidit, præmonuitque diuinus orator in Tuſculanis, cùm eloquentiæ laudem ab humili ductam perueniſſe dixit ad ſummum; & quod natura ferret in omnibus fermè rebus, ſeneſcere iam, breuique ad nihilum peruenturam. Oraculum comprobauit euentus ætatis quartæ, quæ corruptum amare cœpit dicendi genus, vt eorum teſtimonia declarant, qui eo tempore obitum illum, certè morbum extremum eloquentiæ deplorarunt. Nam Seneca ille Rhetor, Philoſophi pater, qui puer ipſam Ciceronis vltimam attigerat ætatem, decreſcere iam ingenia, & eloquentiam retro ſe retuliſſe conqueritur, ſiue luxu temporum, ſiue quæſtu præpoſtero, ſiue fato quodam; cuius maligna, perpetuaque lex ſit, vt res omnes ad ſummum perductæ velocius quàm aſcenderant, relabantur. Ipſe verò Quintilianus dicendi magiſter eximius nonne dolenter exclamat, verum eloquentiæ genus peruerti quotidie, ac nimio fuco, licentiaque ſcriptorum totum iam mutatum eſſe ſermonem? Nihil de Papinio Statio dicamus, qui literas ſequitur fugientes; nihil aliud de Gellio, qui miratur indignabundus, cur Latina verba tantam fecerint ab ea, in qua nata ſunt ſignificatione diſceſſionem. Nihil de Tacito, qui cauſas inuenire non poteſt, cur ij, qui viginti ſolùm, & centum annis ab interitu Ciceronis abeſſent, tantum ab eiuſdem eloquentia receſſiſſent.

ſiſſent. Nihil de Plinio, qui fatetur libros ſuos plurimarum vocabulis rerum eſſe reſperſos, ruſticis, externis, barbaris, nec ſine aliqua honoris præfatione ponendis. Nihil inquam de his dicamus, quia liberum reſeruare locum neceſſe eſt Diomedi Grammatico, non tam ſuæ vitium ætatis exprimenti, quàm audaciam noſtræ. Iniecit, inquit, ætas poſtera manum, & ſicut diſciplinam priſtini ſæculi, ita ſermonem faſtidire cœpit, ac noua veluti verba parturire. Quid quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod alius dixerit? A corruptiſſimo quoque Poëtarum figuras, & tranſlationes mutuamur; ita demum ingenioſi, ſi ad nos intelligendos ſit opus ingenio. Ita Diomedes hydropis vitium, & tumorem eſſe intelligebat intercutem, quem aliqui hac tempeſtate latinitatis integræ valetudinem putant. Interea procedebat hoc linguæ ſenium: & quaſi tabes aliqua diuturna gradatim afferebat interitum. Venit enim eloquentia tandem aliquando in manus Symmachi, Apulei, Caſſiodori, Sidonij Appollinaris, Boëthij, Fulgentij, Martiani Capellæ, quorum alij, quia peregrini ſunt, ſuam ipſi barbariem profitentur; alij amiſſo iam imperio, linguam quoque ipſam Reginam olim gentium tanquam in luctu videntur infuſcare, ac pullam facere de induſtria voluiſſe. Itaque ille aduena ſtudiorum Quiritium veniam precatur, quòd in vrbe Latia, pro forenſi, ſermonem ſit exoticum effu-

effuſurus; alius nugari ſe veriùs, quàm eloqui fatetur; alius inter ceteras ærumnas ætatis ſuæ hoc etiam deflet, quòd non tam famæ ſit inſiſtendum oratoriæ, quam fami domeſticæ conſulendum.

Videntur hi eiuſmodi querimonijs eloquentiæ parentare, ac iuſta latinitati perſoluere: ſed obitum anteuertunt. Quamquam enim tum lingua Latina laborabat in vitæ ſupremis, ſpirabat tamen aliquantulum in ſemiuiuo cadauere, atq. à Latinis bonis pro Latina non bona cognoſcebatur. Poſtmodum autem penitus occidit, cùm à ſcholaſticis extiterunt ea verborum monſtra nullis procuranda victimis, nullis Deorum lectiſternijs expianda. Tunc enimuerò conuocandi erant omnes Auſpices, Haruſpices, Harioli; tunc omnes accerſendæ Præficæ fuerunt, & Elegiæ, vt verum linguæ Latinæ lugerent interitum, cùm in lucem exiſſet ea latinitas, quæ quoniam in nullam è ſuperioribus referri poterat claſſem, non tam lingua dici Latina debuit, quàm repentè natum è lingua Latina prodigium.

Verumtamen in hac ipſa latinitate tam portentoſa quædam mihi videntur interlucere verborum miracula, quæ & propter Auctorum ingenium ſingulare ſuſpicere, & ob doctrinæ commodum adprobare maximè debeamus. Habet enim quoſdam quaſi Laconiſmos admirabiles, & orationis compendia tam appoſita, vt

ea

ea nullo quantumuis longo verborum circuitu Latinè conſequi, aut comprehendere poſſis]. Itaque Auctores illos ingenioſiſſimos cum ijs facilè comparo, qui literas inuenerunt primi, aut ſymbola, & compendiarias quaſdam notas excogitarunt, quibus animi ſenſa tam multa, tam varia intuentibus illicò declararemus. In ſumma, & ijs ſucceníeo qui ad riſum captandum ex huius linguæ vocabulis, ac formis Mimum faciunt, & Atellanas, & cenſeo prorſus, eamdem diſertiſſimo cuique admirandam æquè, ac reuerendam eſſe, cum alijs multis, iuſtiſſimiſq; nominibus, tum eo præſertim, quòd eius vſu, ac beneficio loquatur iam in exedris ampliſſimè, non humana ſapientia modò, ſed artium etiam domina omnium, & Regina diſciplinarum Theologia. Videtur enim propterea adulterina hæc, & ſpuria lingua eam obtinuiſſe iam dignitatem, quam conſecuta olim Latina fuerat propter ampliſſimum illud in omnes omnino gentes, ac nationes Imperium Romanorum.

Vt igitur aliquando tandem exponam quæ mea in quotidiana huius doctrinæ tractatione ſermonis futura ſit ratio, illud in hac extrema orationis parte ſimpliciter, ex animoque pronuncio: nihil me prætermiſſurum eorum eſſe, quæ ita ſuſcepit docendi vſus, conſuetudoque communis, vt ea reſpuere nihil aliud videatur eſſe, quàm negligere ſermonem à vulgo remotum, profano, & interioris ſapientiæ linguam

pro

pro mundiore, hoc eſt, vt ego quidem interpretor, pro vulgatiore contemnere. Nam quemadmodum apud Ægyptios duplices olim fuiſſe characteres, duplicemque ſermonem accepimus, vulgarem vnum, & cum populo communem, ſacrum alterum, ipſiſque solùm ſacerdotibus notum, ac proprium; ſic apud Latinos gemina videtur oratio diuturno iam vſu increbuiſſe; antiqua illa communis, verèque Latina; & inuenta hæc, excogitataque nuper à doctis viris, qua tantùm ſapientes vtuntur, & ij, qui de Religione diſputant, ac ceteris diſciplinis pro auctoritate, atque imperio moderantur. Cur igitur vnus omnium ego abhorream à iudicio ſapientium, aut cur hæc mea quoque morum doctrina ſemibarbarè interdum loqui non debeat in gratiam ſapientiæ, nec fingat, componatq; ſe ad voluptatem, & conſuetudinem eius, quæ temperat, ac regit vniuerſa? cùm præſertim videam ita facere viros aliquos huius hodie meæ orationis auditores humaniſſimos, qui diſertiſſimè poſſent, & eloquentiſſimè tradere, quæ in hoc Gymnaſio ſubtiliſſimè docent, atque acutiſſimè diſputant, niſi pro ſua ipſi prudentia vellent ab Ariſtotelis Lyceo, atque à Salomonis porticu medicamenta gynecæi, & forenſis exercitationis ornamenta depellere. Nollem tamen aliquis exiſtimaret, huc me cum Philoſophico centone proditurum eſſe, qui lacinias ſolùm, fibulaſque reſciſſurus ſim è veſte mea:

aut

aut fictilia me ſordida eſſe appoſiturum auditoribus meis, qui gemmas, aurumque tantummodo ſim neglecturus. Non ſum ego repentè Coruncanus è Rhetore, quia Philoſophus ſum; aut Curius, aut Fabritius, aut cinctutus aliquis ex ijs, qui ſatis opiparè, lautèque cænare ſe putabant, cùm rapunculis è lignea patina veſcebantur. Pingam in ſumma doctrinam hanc coloribus ſuis, reſpuam alienos: contraham interdum cum Zenone digitos in pugnum, interdum totam manum cum auctoribus eloquentiæ dilatabo. Cogam interdum Burleos etiam illos, & Iauellos inuitos, nolenteſque Latinè loqui: permittam eoſdem interdum peregrinitatibus ſuis. Meminero demum Ariſtoteleam me tractare Philoſophiam de moribus, hoc eſt eam, quæ diuitias, & cultum corporis felicitati conciliet, non ruſticam illam & horridam, quæ pecuniam proijciebat in mare, quæ ſibi ſuffodere non dubitabat oculos, quæ ſe ſordibus, atque illuuie voluntaria conficiebat.

Vnum oro vos, adoleſcentes optimi, Auditores mei, atque à vobis quanta maxima poſſum orationis contentione depoſco; vt quoniam Ariſtoteles diligentiæ veſtræ tantopere cautum eſſe vult à voluptate, funem hunc pellicientis ad ſe veneficæ præcidatis. Ita quippè vos doctrinam hanc, Canidia illa iuuenes auocante, olim fortaſſe neglectam, cognitione

tene-

tenebitis, actione ſequemini, & eo me honore, gloriaque cumulabitis, quam ex ſuo retulerunt labore L. Ambiuius, & Sergius Turpio, comœdi præſtantes, ac nobiles, quibus agentibus, ea denique placuit Terentij fabula rurſus exhibita, quæ antè fuerat à populo funambulum petente repudiata.

***

DE

Digitized by Google

DE HOMINIS FELICITATE AB ARISTOTELE TRADITA

Num diſſentiat ab ea, quam proponit Chriſtiana philoſcphia.

ORATIO XXIII.

FORTITVDINEM, quæ anno ſuperiore me nauiter exercuit, excipit ex illo principalium Virtutum, ordine quadripartito conſequens Temperantia: quæ mihi ad carceres iterum euocato nouum decurrendi laborem imponit, vobis, Viri clariſſimi, haud mediocrem exhibebit hodie moleſtiam, ab oratione; quam altiùs repetere nonnulla, præteriti temporis arguenda me cogit indili-

Digitized by Google

gentia . Nimirum ab hac ipſa Temperantia de quodam admoneor officio , quod tum prætermiſi,cùm primum ingreſſus ſum hanc vitæ,morumque tradere diſciplinam . Cùm enim in ea docenda ducem ſequi deberem Ariſtotelem, facilè poteram in aliquorum me reprehenſionem induere, qui crederent , haud idoneum à me magiſtrum eligi , nec proponi doctrinam illi conſentaneam , quam è porticu Salomonis, Apoſtolorum Choro diuinitus philoſophante , ſuſcepimus . Alia quippe fuit olim factio veterum,& ſecta philoſophorum , corporis,& fortunæ bonis illis inimica, quæ præceptor hic morum non modò non reſpuit,verùm etiam virtuti , ac felicitati admirabili contentione conciliat . Hunc adeò locum reprehenſoribus ita promptum à me fuiſſe conſultò neglectum, idcircò mihi redigit in mentem hodie Temperantia ; quòd videam hanc Virtutem apud eundem magiſtrum non ſolùm delectationes admittentem aliquas , ſed etiam peccatum , vitiumque ponentem in ea voluptatum omnium contemptione , quæ ſenſus vacuitas appellari fortaſſe Latinè poſſit, Græcè dicitur ἀναισθησία. Non ergo mihi committendum amplius eſt , vt partes in hoc genere deſiderentur meæ , ideòque habeatur Ariſtoteles hoſtis Chriſtianæ philoſophiæ, quòd bonorum omnium complexione conflatam velit eſſe felicitatem . Itaque, vt planius intelligi poſſit,quid cauſæ ſit, cur ab

alijs

alijs accuſetur philoſophis, & relinquatur, explicare me oportet bonorum illum cumulum, quo veluti nexu quodam adſtrictam facit beatitudinem hominis. Neque verò de virtute, deque ornamentis animi quicquam dicere neceſſe eſt, quæ citra controuerſiam omnem, felicitatem efficiunt: ſed corporis ſolùm, & externa fortunæ bona, percenſenda ſunt, quæ iſti à beatitudinis Regno cum diris, & execratione depellunt.

Ordiamur igitur à corpore, ac ſtatuamus id quod in Ariſtotelis arte Rhetorica ſæpe legimus: bona corporis eſſe valetudinem; quæ nos ægrotatione, morboque reddit immunes: pulcritudinem, & decorem, qui ſuauitatem oris adoleſcentibus afflat, addit iucundam ſeueritatem viris, triſtitiam adimit, & frontis nubila ſenibus: firmitudinem, & latera; quæ mouendi, attollendi, propellendi perfectam præbent corpori facultatem: magnitudinem, iuſtamq. proceritatem; quæ ſpectabilem hominem facit, & alijs antecellentem: commodam denique ſenectutem, hoc eſt valentem, & ſenilibus liberam malis; quæ vitæ longitudine felicitatis vſuram efficit diuturniorem. Fortunæ verò bona, & ea, quæ vocantur externa ſic numeremus, quemadmodum ab eodem luſtrantur auctore: ac dicamus eſſe nobilitatem, & claritudinem generis, quæ ſit à maioribus antiquis, & virtute præſtantibus accepta: bonam prolem; quæ

liberorum cùm multitudine, tum probitate contineatur: diuitias,& opes; quæ non modò pecunia, ſed fundis, & pecore conſtent, nec careant poſſeſſione ſeruorum: exiſtimationem,& gloriam; quæ multitudinis ampliſſima de virtutibus noſtris opinione colligitur: amicitiam & gratiam; quæ priuatam tuetur rem, & ipſas communit præſidio ciuitates: totius denique proſperitatem vitæ, qua & bona comprehenduntur omnia,& felicitatis humanæ ſuprema perfectio definitur. Hæc igitur bona, in quorum conſpiratione beatitudinem, abſolutumque Virtutis vſum collocat Ariſtoteles, varijs alij philoſophi damnarunt rationibus, quas hìc exponere ſingillatim infiniti operis eſſet, perſtringere leuiſſimè, neceſſarij laboris erit, & muneris mei.

Principio, quod ad bona corporis attinet, ita dicunt; id conficiens felicitatis eſſe non poſſe, quod vel ad calamitates maximas,vel ad vitia lubricum flexum,& ruinam præcipitem habet. Quid enim cum beatitudine pugnet magis, quàm caſus atque prolapſio? At bona corporis omnia tantum abeſt vt beatitudinem efficere queant, vt ipſam quoque beatam vitam velut ex edito loco in breuia, ſyrtèſq.deijciant. Vultis à valetudine, atque a membrorum habitudine commoda faciamus initium? Senecam audiamus ſanam mentem in corpore minimè ſano peroptantem. Conſulamus

lamus Platonem, corpus imbecillum, inualidumque ſuo iudicio, ac voluntate reddentem. Laudatur enim à Magno Baſilio eo potiſſimum nomine, quòd Academiæ locum vbi docebat, ſub inſalubri cælo deſignarit: ne corporis valetudo luxurians ſanitati mentis officere poſſet. Et quoniam Platoni ſubſcriptorem fecimus Baſilium, eius etiam æqualem doctiſſimum, atque caſtiſſimum Gregorium Nazianzenum teſtem addamus, ipſum ſe cum admiratione deplorantem, quòd à valetudine tanquam ab hoſte in arenam ſemper euocaretur, ac bellum. Quid multa? Ipſemet affirmat Ariſtoteles, robur corporis, & firmitatem fuiſſe longè plurimis exitioſam. idque profectò ſic eſſe Milo Crotoniates valentiſſimis illis oſtendit viribus, quibus & nobilitatus, & perditus eſt. Cùm enim (quod eſt apud Gellium) effœta iam ætate artem deſijſſet athleticam, & iter in ſilueſtribus Italiæ locis faceret ſolus, quercum vidit propter viam patulis in parte media ramis hiantem. Ergo experiri cupiens, an vllæ ſibi reliquæ vires eſſent, immiſſis in cauernam digitis, mediam quidem partem diſcidit, diuellitque: ſed cùm veluti perfecto quod connixus erat, laxaſſet aliquando manus, quercus in duas diducta partes, ceſſante vi, redijt in naturam; manibùſque retentis, incluſiſque ſtricta denuò, & cohærens dilacerandum hominem præbuit feris. Itaque, vt rem cum Iuuenale concludam,

—— viribus ille
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.

De pulcritudine verò quid attinet dicere? plena ſunt monumenta virorum, feminarumque pulcherrimarum exemplis, quibus vel ad interitum viam fecit, vel ad libidinem ſua ipſorum lenocinata formoſitas eſt. Neque enim fruſtra Narciſſus in fabulis ex ſuæ ipſius amore formæ contabeſcit, & moritur; aut Gorgonis ore, pulcherrimæ virginis in ſaxa vertuntur homines, & obrigeſcunt; aut Aſiæ ſimul, Europæque illa poëtarum carminibus olim nobilitata tam exitialis eſt Helena. Damna quippe ſunt hæc, atque incommoda pulcritudinis, inimica felicitati, quæ præterire libet; nec tum in oratione ponere, cùm in ſumma rerum copia delectus habetur, & quæritur breuitas. Aliquorum potiùs turpitudinem intueamur, quos, quia ſapientiam, & virtutem aſſecuti ſunt inſignem, beatos appellabunt omnes, infelices, aut miſeros dicet nemo. Quis enim primi nominis philoſophos, & viros ſapientiſſimos apicem felicitatis obtinuiſſe non putet? Et tamen, ſi cenſere velimus eorum agmen, multos inſignitè deformes, pulcrum autem, venuſtùmque vix vnum, aut alterum credo reperiemus. E noſtris quidem, hoc eſt ex ijs, quos vel hæc, vel paulo ſuperior vidit ætas, vnus eſt Ioannes Picus, quem habere poſſimus eximium, & è numero turpium ſegregare. Fuit enim huic Phœnici, quemadmodum lite-

literis conſignauit fratris filius, præcellens forma, & caſtigatiſſima totius corporis habitudo: ſtatura celſa, ſed non enormis proceritas: tenera, & pinguis caro, ſed ſucci plena gracilitas: color viuidus, ſed rubor candido temperatus: denſa, & longa cæſaries, ſed capillus mollis, & flauus: dentes albi, ſed æquales ac læuigati: oculi cæſij, ſed vigiles, & in aſpectum micantes, ac floridi: decorus inceſſus: ſed minimè quæſitus, aut meditatus. cætera eodem modò congruebant ad regulam. Hunc, inquam, vnum habemus nos quem inter noſtrorum philoſophorum exempla proponamus. ſed inter antiquos, ſi quæratur numerus, fortaſſis haud longè plures inuenientur.

Poſtulatus olim iudicio eſt apud Maximum Proconſulem ſiue philoſophus, ſiue magus, ſiue vtroque nobilis, & famoſus nomine L. Apuleius in Africa, vir pulcritudine notabilis, & ſpecie aliquanto etiam venuſtiore, quàm virum deceret. Iudicij cauſam hìc exponere neceſſe non eſt: ſed hoc tamen delationis caput, ac principium fuit. Accuſamus apud te formoſum Philoſophum. perinde ac ſi pulchrum philoſophum eſſe haud minus piaculum videri deberet, quàm proditionem facere, aut ciuem occidere, aut Templum euertere, aut ſubdere patriæ flammas, aut religionem, & ſacra violare. Cùm ergo cauſam illam ſuam ageret Apuleius, importunum aduerſarium amoliri à ſe conatus eſt

aliorum exemplo Philoſophorum, quibus & ſcita fuiſſet facies, & totius corporis eximia forma. Sed ex omnium antiquorum recenſione proferre tantummodo potuit duos, Pythagoram, & Zenonem; quorum eleganti ſpecie pulcritudini patrocinaretur ſuæ. Quòd ſi deformes in ea luſtratione voluiſſet quærere, numerandi modum in tanta multitudine non inueniſſet. Quis enim Socrate fuit in tota Philoſophorum natione nobilior? cum tamen aiunt fuiſſe naribus ſimis, recalua fronte, piloſis humeris, diuaricatis cruribus; turpem, & fœdum adeò, vt cùm eius vxores duae Xantippe & Myrrho ex aemulatione, ac riualitate contenderent, ſubridens, & iocans ipſe mirari ſe dixerit, quòd Amazones illae tam pugnaciter altercarentur eius hominis cauſa, quem ita prauum, deformèmque natura profudiſſet in terram. Ac ne Socrate pulcriores eſſe putaremus ceteros, tradunt Platonem enormi fuiſſe facie, & humeris ita latis, vt ab eorum amplitudine ſingulari cognomentum inuenerit, cùm Ariſtocles antè diceretur: Speuſippum ex Platonis ſorore natum, & eiuſdem eductum diſciplina, capite fuiſſe curuo, aſpectùque fœdiſſimo; Aratum panda ceruice, Epicurum cute diſtenta, Diogenem barba comante, Ariſtotelem exerto brachio, Xenocratem crure collecto, Heraclitum oculis ex fletu ſemper clauſis, Democritum labris ſemper apertis ex riſu, Chryſippum digi-

digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclidem propter menſurarum ſpatia laxatis, Cleantem propter vtrumque corroſis. vt vel hinc intelligere poſſis, felicitati pulcritudinem, vel nihil afferre momenti, vel eſſe contrariam. Sed accedat tam illuſtribus exemplis ipſum quoque iudicium Senecæ de Clarano condiſcipulo ſuo, deformi quidem, & morboſo, verùm optimo, ac ſapientiſſimo viro. cuius animum cùm tam malè collocauit natura, arbitratur oſtendere voluiſſe, formoſiſſimum, ac beatiſſimum ingenium ſub qualibet cute latere poſſe: adeòque vehementer erraſſe qui dixit.

Gratior & pulcro veniens in corpore Virtus.

Nullo enim eget honeſtamento: cùm ipſa magnum ſui decus ſit: nec deformitate corporis fœdetur animus, ſed animi pulcritudine corpus ornetur. Reſtat commoda illa ſenectus longiore iam vita perfuncta, ſenſibus vtens integris, & vacua morbis: in quam haud ſanè clementius inuehuntur. Nam præter quam quòd ſummum beneficium eſſe dicunt, ſi ſenes ægrotemus, & lectulis affligamur ex morbo, ne poſſimus agere quod ne velle quidem, aut in votis habere fas ſit, illud ipſum diu viuere, quod in bona ſenectute primum eſt, beatum non putant: cùm nihil aliud ſit diu viuere, quàm diu eſſe, ac plerumque inter rerum viciſſitudines & fortunæ conflictus, quod eſt propè non eſſe. Proponamus enim animo noſtro amplitudinem tem-

temporis immenſam, vt demum intelligamus, quàm exiguum ſit quod vtilitati ſeponimus, & vitæ. Dimidium eſt, vt ait ille, aut plus etiam dimidio quod dormitur, & demergitur tenebris; quod reliquum eſt, vel teritur fruſtra, vel labore, luctuq. conſumitur. Quantum porro ſibi vindicant lacrymæ, quantum ſolicitudines occupant, quantum valetudo, quantum timor, quantum rudioris ætatis inutiles anni? Eum tu nauigaſſe permultum exiſtimes, quem confeſtim excepit à portu tempeſtas, quem æſtus huc, illùcq. diſiecit, quem ventorum furentium impetus per eadem ſpatia circumegit in orbem? Enimuero non multùm hìc nauigauit, ſed iactatus eſt multùm. Sed fac aliquem, quod fieri non poteſt, vtentem vita longiſſima, & temporum tranquillitate non interrupta. audebis ne, beatitudinem rem firmiſſimam, in ætate, hoc eſt re maximè mutabili, & fugaciſſima collocare? Quis enim idem ſibi videtur in ſenectute, qui iuuenis fuit, aut eũdem hodie ſe putat eſſe, qui nudius tertius erat? Nimirum, vnà cum tempore, fluminum more decurrimus, & nunc ipſum, dum de rerum mutabilitate diſſerimus, oratione dilabente mutamur.

De bonis corporis ita ſtatuunt: de commodis externis, & ijs, quæ fortunæ bona nominantur, agunt etiam vehementiùs, & decernunt ſeueriùs. Sed eorum nos dicta proferre multo contractiùs oportet: ne plus nimio qui littus, oraſque debemus legere, prouehamur in altum.

Inuo-

Digitized by Google

Inuoluamus igitur omnia perbreui ſpatio, & per interrogationes, ac puncta premamus Ariſtotelem. Age verò. nobilitatem, & bonam prolem beatitudinis partem putas? Atqui nobilitas, aut nulla mortalibus eſt, quibus idem impertiuit originem auctor, aut ſi eſt aliqua, felicitatem ipſam non modò non fundat, ſed ex ea, tanquam ex ſtirpe, ſubnaſcente ſuperbia, euertit potiùs, atque peſſundat. Liberorum verò multitudo, quoniam opes poſtulat magnas, nònne facilè contrahit in auaritiam animum? Sed hoc telum in diuitias etiam ipſas intorqueri neceſſe eſt: cùm arrogantiam, ac ſpiritus animo ſuperbos afferant, & auaritiam adiecto fomite ſuccendant, non extinguant aquis iniectis. Nam ſi beatum diuitiæ facerent hominem, bonum profectò facerent, non elatum, inſolentèmque, hoc eſt eum, qui alienus à virtute, ac beatitudine ſit. Quæ ratio id etiam conficit; vt ne inter bona quidem numerandæ diuitiae videantur. quae verè ſunt bona, etiam tum bona ſunt, cùm ea retinemus, & cumulamus. quippe cumulo illo meliores efficimur, & beatiores. Diuitiae verò tum ſolùm dici bonae poſſunt, cùm proferuntur in vſum, ita prorſus, vt qui eas retinet exaggeratve, multis peccet nominibus in naturam. Primò quidem, quòd ea, quae ſubiecit mortalium pedibus, veluti barbaro more venerabundus collocet ſupra caput: deinde, quòd ea, quae voluit eſſe

com-

communia, peculiaria ſibi faciat, & propria: tum denique, quòd tanquam vinculis, & iniquo ſeruitio premat ea, quae libera ſunt. Quare Ariſtoteles ipſe vitam eorum, qui colligendae pecuniae nauant operam, ideo violentam dixit, quòd cùm diuitiarum finis in vſu poſitus ſit, vim afferre videantur opibus ij, qui eas attinent intra parietes, nec abire ſinunt quò mortalium vſus euocat, & natura. Libet cetera magis etiam ſtrictim, ſummatimque percurrere. Amicitiam intueamur, & gratiam, animum impedientem ipſum, quo minùs rectum inſpicere poſſit, & de re propoſita, vel deliberare prudenter, vel iuſta decernere. intueamur honorem, quo nihil eſſe leuius, aut inconſtantius poteſt. intueamur ipſam vitae proſperitatem, beatitudinem non modò non illuſtrantem, ſed obnubentem potiùs, & offuſcantem. Non enim vnquam poterit in conſpectum ſe dare felicitas, niſi prodeat in medium virtus. Virtus verò premitur in tenebris, vbi nullae res exiſtunt aduerſae, quibus euocetur in lucem. Etenim gubernatorem in tempeſtate maris, in acie militem intelligimus: in paupertate deprehendimus quantum animi nobis ſit aduerſus inopiam; quod inter diuitias ignorabamus: diſcimus in odio populari quanta nobis erga patriam charitas, & conſtantia ſit, quod neſciebamus inter acclamationes, & plauſus. Mortalium adeo ſapientiſſimus haberi debet ille; qui cen-

cenſuit, neminem infeliciorem eſſe, quàm eum, cui nihil euenerit aduerſi, nec licuerit vnquam animi ſui vim, & virtutem explorare. Quid pluribus hìc opus eſt verbis? antegreditur ſemper fortuna caſum, & prolapſionem ſuam, fatoque dixit ille fieri, vt nunquam ſit diuturna proſperitas. Ampliſſimè dicuntur haec. Sed ipſos quoque citemus poëtas ad teſtimonium.

Vis ne ſalutari ſicut Seianus? habere
Tantumdem? atque illi ſellas donare Curules,
Illum exercitibus praponere; tutor haberi
Principis auguſta Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldaeo? vis certè pila, cohortes,
Egregios equites, & caſtra domeſtica. quid ni
Hac cupias? Et qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt. Sed qua praclara, & proſpera tanti
Vt rebus latis par ſit menſura malorum?
Ergo quid optandum foret ignoraſſe fateris
Seianum. Nam qui primos optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſa turris tabulata; vnde altior eſſet
Caſus, & impulſa praceps immane ruina.
Quid Craſſos, quid Pompeios euertit, & illum
Ad ſua qui domitos perduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus, nulla non arte petitus,
Magnàq. numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cade, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

His itaque capti rationibus aliqui, accuſabilem putarunt Ariſtotelem, nec immunem irri-

ſionis

ſionis,& ſatyrici fellis eſſe voluerunt. Inducitur enim à Luciano per iocum apud Inferos Alexander Macedo, dolenter expoſtulans, quòd tum demum intelligeret, fucum ab Ariſtotele ſibi factum in vita, cùm diceret externa fortunae commoda eſſe felicitati neceſſaria; vt citra pudorem omnem vafer homo à diſcipulo Rege peteret,& corraderet ea bona, ſine quibus exerceri virtus, & exigi à philoſopho vita beata non poſſet. Cœperunt ergo plerique longè aliam inire philoſophiae rationem, in ſola virtute, in rerum deſpicientia, in ſolitudine felicitatem ponere: deformare corpus illuuie, ſordes exquiſitas accerſere; promittere capillum,& barbam, manticam, ſcipionem, ligneum ſcyphum, palliaſtrum è ſcrutario petitum, ſupellectilem ſatis amplam exiſtimare: propinquis amicis, ciuibus, patriae, ipſi propemodum humanitati nuntium remittere: diuendere patrimonia, redactàmque pecuniam, aut in medium occupantibus exponere, vel in mare proijcere. Ecce autem qui ſibi etiam vltro ſuffoderent oculos, qui diurno, nocturnoque labore membra conficerent, qui ſe ipſos inedia voluntaria conflictarent. Quae profectò cùm cernimus, venit nobis in mentem ſuſpicari, eiuſmodi diſciplinam Chriſtianae philoſophiae ſimiliorem eſſe, quàm hanc Ariſtotelis elumbem, fractàmque doctrinam, in qua non effertur caput ſuprà fortunam, & extra diuitias,

ac bona corporis inueniri beatitudo non poteſt. Nonne diuina Sapientia, cùm homines condocefecit in terris, hanc ipſam vitae, felicitatiſque formam deſcripſit ſuis, quos in luctu, in rerum inopia, in omni cruciamentorum genere poſitos beatos dixit; quos ſua diſtrahere omnia, & pauperibus impartiri iuſſit; quos vnà contectos tunica, nullis pedum integumentis indutos, omnibus humanae vitae ſpoliatos inſtrumentis proiecit in aerumnas, & egeſtatem? Illi ipſi Chriſtianae religionis nuper exortae primi cultores, quemadmodum ex nobilium teſtimonio ſcriptorum, ac fide didicimus, capillum, & barbam negligere ſoliti ſunt; plerique nudis pedibus incedere, omnes omnino palliati. ſic inquam, vt qui noſtris eſſent initiati ſacris, vulgari iam prouerbio, de toga tranſiſſe dicerentur ad pallium. Hunc autem indumenti modum nunquam probabilem putarit Ariſtoteles, quem accepimus amaſſe cultum corporis elegantem, nitidam veſtem, attonſam comam, digitos auro fulgentes, & gemma.

Haec ego confutaturus, Auditores, Euripidis mihi periculum magnopere pertimeſco. Quid enim? Agebatur huius poëtae fabula. in qua cupidus quidam diuitiarum admirator ita rationes ducebat, & ſubducebat ſuas

Sine me vocari peſſimum, vt diues vocer.
An diues omnes quaerimus; nemo an bonus.

Non

Non quare & vnde; quid habeas tantũ rogant.
Vbique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui dum moritur lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.

His verſibus ita pronunciatis, è veſtigio totus populus ad eijciendum actorem, & exturbandum carmen vno impetu conſurrexit. nec illae quieuiſſent turbae, niſi Euripides ipſe proſiluiſſet in medium, enixè petens, vt expectarent exitum fabulae, viderentque quò denique peruaderet illa tam inſana pecuniae commendatio. Hoc, inquam, mihi periculum metuo, bona corporis, & fortunae laudaturus, praeiudicata mortalium omnium opinione proſcripta. Itaque obſecro vos, vt finem orationis opperiamini: vbi conſtabit, diuitem hanc Ariſtotelis beatitudinem eſſe multò quàm illam iſtorum ſordidam, & pannoſam Chriſtianae philoſophiae ſimiliorem.

Quàm longè qui contra diſſerunt in vtriuſque philoſophiae contentione fallantur, haud facilè demonſtrabo, niſi priùs explicauero veram Ariſtotelis de felicitate ſententiam. Neque enim ille ſic fatuus eſt, vt delicatam, luxùque diffluentem beatitudinem velit. Id igitur habendum pro comperto eſt, atque in hoc diſputationis curſu primò ponendùm cùm decernit, in beatitudinem hominis omnia

bono-

bonorum genera conuenire, de illa nominatim, electèque id intelligi beatitudine velle, quæ ciuilis eſt, & actuoſa, non de otioſa, & contemplante: cui vix aliqua bona corporis, propè nulla fortunæ commoda neceſſaria ſunt. Politica enim felicitas quoniam erumpere foras, ſalutaribuſque virtutum operibus elucefcere debet in ciuitate, nunquam profectò lumen aſpiciet, niſi bonorum omnium corona, tanquam ſtellarum choro perficiatur. Illene, qui valetudine vtatur incommoda, queat, vel propugnare pro patria, quod Politicæ fortitudinis eſt, vel pro eiuſdem incolumitate in Curia, & Senatu conſulere, quod eſt prudentiæ? Quis autem, non dico deformis, ac viſu fœdus, ſed honeſta, liberalique non præditus ſpecie, gratioſus, & carus imperitæ multitudini ſit, quæ ſic animum inducit ſuum: deformes, ac turpes vix eſſe bonos inter homines aliquos? Nobilitas verò, bona ſoboles, ac proles, filiorum multitudine ſpectabilis, honor à ciuitate decretus, exiſtimatio, & fama, opes, amicitiæ, clientelæ quantam habent ad res tranſigendas ciuibus ſalutares efficacitatem, & vim? Multa quippe per diuitiarum profuſionem ſæpe conficere neceſſe eſt, multa per auctoritatem extorquere, multa propinquis, amiciſque committere, quae ſine periculo non creduntur externis.

Neque verò hæc bona tam varia peræquè felicitatem efficiunt ſingula. Eſt enim in tam magno cumulo quiddam exercitui ſimile. vbi non ſolus Imperator, ac milites ſunt, ſed calones, & lixæ, frumentatores, lignatores, coctores, equiſones, iumenta clitellaria, currus, & ſarcinæ, commeatus, impedimenta. Ergo in hoc bonorum agmine, quo perficitur, abſoluiturque felicitas, locum obtinet Imperatoris principem Virtus, hoc eſt bonum hominis proprium, & quod ratione continetur humana. Faciunt imperata facultates animi, quà largiendis opibus, quà communicandis cum ciuitate conſilijs, quà defendenda miſerorum innocentia, quà tuendis amicis, quà ergà omnes beneuolentiæ, & charitatis officijs impendendis. Sequuntur ipſa corporis bona, quaſi quædam operæ, quæ virtuti tanquam militi præſto ſint, eamque faciant ad obeunda munera paratiorem. Claudunt nouiſſimam aciem externa bona, imprimiſque diuitiæ veluti ſarcinæ: quæ ne profectionem impediant, iuſtæ debent eſſe, nec plus nimio multæ, nec æquo pauciores. Quin eandem planè menſuram, & mediocritatem ineſſe ceteris quoque bonis oportet, ſi ea velimus eſſe præſidia, non impedimenta felicitatis. Non enim, quia valentem viribus, ac corpore; forma conſpicuum, genere nobilem, opibus diuitem, bona inſtructum ſobole volumus eum, qui beatus in communi homi-

mi-

minum ſocietate dicendus ſit, volumus ideo Milonis illi robur, & firmitatem eſſe, Antinoi pulcritudinem, aut Alcibiadis, Crœſi Regnum, aut diuitias Attali, genus à Ioue repetitum, & Iano; filios totidem, quot Priamus, aut Danaus habuiſſe dicuntur in fabulis. Modum videlicet horum bonorum, qui teneatur, & firmet felicitatem, expoſcit Ariſtoteles, non exuperantiam illam, & vbertatem, quæ poſſit eandem vitio labefactare. Quanquam ne in ipſa quidem copia facilè concutitur, & labefactatur is, quem ille vera beatitudine communitum exiſtimat. Qui enim cetera bona mediocritate definit, tanta virtutem abſolutione perfectam vult, vt poſitis altè radicibus, ex animo conuelli difficillimè poſſit. Quare ſæpè confirmat, beatum virum in copia, inopiaque rerum eundem ſemper eſſe; Priamique nactum ærumnas, haud excidere tamen è faſtigio ſuo: quia bonis alijs aduentitijs impetu fortunæ dilapſis, ipſum retinet ſtatum Virtutis imperturbatum, & rectum, in quo principatum, & quaſi Baſilicam videtur habere beatitudo. Nam quemadmodum res ab exercitu bene geſtæ Imperatori nominatim, & militibus adſcribuntur primis, ceteri vix in aliquam vocari ſolent victoriæ partem, ſic beatitudinis intima vis, & ratio virtuti tribuitur, alijs bonis vix ſubſecundariæ quædam aſſignantur partes humanæ feli-

citatis. Videant igitur iſti, qui eo nomine proſcindunt Ariſtotelem, quòd mollem eneruemque beatitudinem fecerit, quanto eam ipſi delicatiorem eſſe velint, & molliorem.

Si enim in perfecta, ſolidaque virtute, quod fecit ille, ſummam ponerent felicitatis, quid eſset porrò neceſse, oculos ſibi funditus extirpare, accerſito ſquallore corpus atterere, aurum, opes, patrimonium voluntario demergere naufragio, errare ferarum more per ſiluas, ſine ſocijs, ſine tribulibus, ſine ciuitate vitam degere, exilium ſibi, ac deportationem ſine damnatione depoſcere? Nullum imminet ab opibus, à valetudine, à formoſitate periculum, ſi firmatus eſt animus abſoluta virtute, quæ bona corporis, & fortunæ omnia tamquam familiam, & ſatellitium ſuum habeat in officio, ac poteſtate. Perhibetur omnium literis, & ſermone Spurina, excellenti pulcritudine adoleſcens Hetruſcus, quòd decorem oris admoto cultro voluntarijs confuderit vulneribus, vt ſartam, tectamque à mulierum procacitate præſtaret pudicitiam ſuam. Næ ille mihi videretur admirabilior, ſi forma integra, illibataque, in eo caſtimoniæ gradu ſe collocaſset, à quo nullo feminarum illicio poſset exturbari. Quid verò de ijs dicamus, qui pecuniam ſuam, vel fecerunt publicam, vel in pelagus effuderunt? Nonne demonſtrarunt, tam infirmam ſibi virtutem eſse, vt ſtantibus

tibus

tibus oculis,immotoque vultu auri fulgorem, & fortunam intueri non poſsent? Nonne, virtutem præ ſe tuliſsent robuſtiorem, ſi, & in magna fortuna conſtantes, & in lauto conuiuio ſobrij, & inter opes ampliſſimas eſse, moderati potuiſsent? Nonne ſatius erat, rebus vti ſuis temperanter, ac parcè, quàm excubare pro foribus alienis, & è tabernis petere quod abiecisſent in mare? Nam omnia, bona mea mecum porto: & virtus mihi viaticum eſt, ſpecioſa quædam fuiſse nomina, ſuo ipſe docet exemplo philoſophus ex illo genere maximus Seneca. qui cùm vocibus ita magnificis ſæpe, multiſque locis vteretur, & tamen opes, ac pecuniam ſupra philoſophiæ modum exageraſset, intellexit, aliquam ſibi apud mortales neceſsariam eſse defenſionem. Fuit enim omnibus hæc inſita ſemper opinio: nihil eſse turpius in vita, quàm Philoſophum à ſe diſsentientem; hoc eſt eum, qui decretis à ſe non obtemperaret legibus,ſuiſque cum verbis, & oratione pugnaret. Putarunt enim id quod res eſt, Philoſophiam non eſse declamatoriam; facere potiùs, quàm dicere: verba factis, & re probare; totam vitam vno colore depingere. Quapropter illi duo Diocletianus, ac Maximianus Imperatores ferrei auream aliquando protulere ſententiam in quendam Philoſophum, qui conteſtata iam lite, fortaſſis iniqua, lege vellet

agi de patrimonio ſuo. In eo enim libro, qui propter excellentiam credo dictus eſt Codex, ita ſcriptum reliquerunt: Profeſſio, & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant. qui cùm te Philoſophum eſſe proponas, auaritia vinceris, & rapacitate. Videbat ergo Seneca, malè ſe apud omnes audire, ac ſermonem populo dare propter opes illas tam amplas, & exaggeratas, vt ne de menſura quidem, certoque numero conueniat inter auctores. Sunt qui ſeptuagies quinquies centena millia poſſediſſe confirment. quæ ſumma quoniam viginti quinque, & ducenta aureorum millia non ſuperat, haud tanta eſt, vt ei, ſi minùs iuſtam, aliquam certè ſuppeditare non poſſit excuſationem eorum conditio temporum, quibus ipſos quoque libertos à Nerone gurgite locupletatos, accepimus opes multò ſanè maiores, ampliоremque pecuniam habuiſſe. Verus itaque modeſtiſſimi Philoſophi cenſus ab illo traditur Suilio cauſarum patrono, qui ab eodem accuſatus Seneca ex lege Cincia, quòd pretium ob oratas cauſas accepiſſet, cùm obiurgatoriè in eum multa reſpondet, tum illud inculcat maximè, quod intra quadriennium amicitiæ Regiæ, ter millies ſeſtertium parauiſſet: hoc eſt nonagies centena millia nummum aureorum. Ipſemet horrebat diuitias ſuas, & mirabatur, quòd philoſophus ille contentus modicis tales inſtituiſſet

hor-

hortos, per eiuſmodi ſuburbana incederet; tam lato fœnore, tantis agrorum ſpatijs exuberaret. Vnam demum defenſionem excogitauit, quòd profuſiſſimi, crudeliſſimique Tyranni muneribus obniti non debuiſſet. Sed ne hanc quidem purgandi ſui rationem exiſtimauit idoneam, & eam, qua poſſet omni calumnia liberari. Si enim opes illæ felicitati aduerſabantur, erant etiam certo cum vitæ periculo repudiandæ; nec Principis immaniſſimi reformidandum fuiſſet imperium. Ergo perfugium habuit ad perfectam illam hominis beati virtutem, quæ animum in ſumma rerum affluentia liberum, & æquabilem præſtat. Incredibile namque dictu eſt, quantam ipſe de ſe in ea fortuna rerum deſpicientiam, & temperantiam prædicet. Deſpicientiam verò ipſum audite ſic profitentem. Pone me in opulentiſſima domo, vbi aurum, argentumq. in vſu promiſcuo ſit. non me ſuſpiciam ob iſta; quæ etiamſi apud me, tamen extra me ſunt. In Sublicium rurſus pontem me transfer, & inter egenos abige: non tamen ideò me deſpiciam. Quid ergo eſt, domum illam ſplendidam malo, quàm pontem? Cur autem mauis iſta, niſi quia virtutis, & felicitatis Politicæ magis accommodata præſidia ſunt? Volumus de Temperantia cognoſcere? ſatis amplum, & locuples eſſe Taciti teſtimonium debet, affirmantis, pomis eum agreſtibus, & ſi

ſitis admoneret, aqua profluente vitam toleraſſe. Sed ne puteris, eo ſolùm tempore hanc fuiſſe parſimoniam hominis, cùm à Nerone mors immineret, eundem de victu ſuo quotidiano ita loquentem excipite. Panis ſiccus, & ſine menſa mihi prandium eſt, poſt quod manus lauandæ non ſint. dormio minimum, & quaſi interuigilo. abſtinemus vnguento: quia optimus odor in corpore eſt nullus. vino caret ſtomachus: in omnem vitam balnea fugimus. Hæc, inquam, ad extremum occurrit illi pulcherrima defenſio: quòd cùm tam magnas opes tam magnificè contemneret, & tam abſtinenter vſurparet, dici profectò non deberet à profeſſione philoſophiæ diſſentire. Non enim intemperantem animum ipſæ per ſe diuitiæ faciunt; cùm poſſit inter minimas etiam opes, ac propemodum inter nullas intemperantia cerni maxima, niſi virtute regatur animi cupiditas, & appetitio. Itaque Cicero ille vir ſapiens, & moderatus in paucis, fatetur, ſe, qui facile ab oſtreis, & murenis abſtinuiſſet, à beta fuiſſe aliquando deceptum, & malua, quibus vſus eſset intemperanter. Ad ſummam hæc moralis ſcientia medicina quædam eſt; & qui eam olim tractarunt, ipſos imitati medicos ſunt. inter quos aliquos videas ita ſuperſtitioſos abſtinentiæ magiſtros, vt non ſemel ægrotos inedia perimant; ita difficiles, & aſperos, vt à cibi

cibi varietate mortales omnes quantumuis bene valentes tanquam à veneno deterreant, & peſte. Oraculum enim putant illud Horatij:

—— at ſimul aſsis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis;
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq. tumultū
Lenta feret pituita. vides vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia?

Sed tamen inuenias etiam alios elegantes, & faciles, qui largiorem cibatum, epularumq. varietatem non modò non improbent, ſed ſaluberrimum eſſe demonſtrent: modò caueatur id, vt nihil in eo genere nimis, aut intemperantiùs agatur. Animorum medicos, ſi philoſophos intueamur varios, habemus vtroſque; inurbanos illos, atque incommodos, qui nos à bonis corporis, & fortunæ depulſos omnibus, omnino fame confectos velint; humaniores alios, & prudentiores, qui iuſtis nos epulis alant, & bonorum varietate temperata reddant virtutis obeundis officijs habitiores. Tantalum ait Pindarus eum fuiſſe, qui concoquere non potuerit felicitatem ſuam. Cùm enim in ipſum quoque conuiuium adhiberetur à Dijs, eam ſortem exiguam ratus, auſus eſt aliquando nectar, ambroſiamq. ſurreptam furtim cum alijs communicare mortalibus. Itaque Deorum ira de tanta felicitate in ſempiternas ærumnas

eie-

eiectus eſt. Non vult Ariſtoteles eum, quem ipſe beatum facit, ſic impotentem, atque intemperantem eſſe, vt conficere non queat, & digerere fortunam ſuam. Iſtos enim ita crudos, quoniam virtute perfecta non ſunt imbuti, quamuis ipſius etiam eſſent fortunæ filij, è beatorum numero putat eſſe diſpunctos.

Intelligitis opinor quanto meliùs, ac veriùs Ariſtoteles de felicitate cenſuerit, quàm ij, qui nec eam partem, quæ politica eſt, inſpexerunt ſatis, nec de ſolitaria, & contemplante ſunt locuti conſtanter: cùm ad ea bona receptum habere coacti ſint, quæ magnifica, vocis contentione repudiabant. Intelligitis, inquam, hæc: ſed nondum videtis, cur iſtorum beatitudo dici non debeat ad eam accedere proximè, quàm Chriſtiana proponit religio, proculcantem omnia, & nihil ex toto bonorum cumulo, præter virtutem, ac rectè facta ſuſpicientem. Non poſſumus hac de re quicquam expoſitè, planeque decernere, niſi videamus ante quid de hominis felicitate, deque bonis felicitatem efficientibus affirmare debeamus Chriſtianæ ſapientiæ congruenter. Ita enim facilè conſtituemus, qui nam ex toto Philoſophorum nomine beatitudinem nobis propoſuerint huic noſtræ ſimiliorem, ſi priùs inueſtigemus ea, quæ in hoc argumento noſtræ diſciplinæ conuenientia

ſint

ſint. Omnis ſanè morum doctrina, ea, quæ verè bona dicuntur, & ſunt, metitur ex fine. qui tametſi videtur eſſe ſimplex, & vniuſmodi, duplicem tamen exhibet Chriſtianæ philoſophiæ contemplationem ſui. Intuetur enim interdum hæc diſciplina finem tantummodo propoſitum vitæ futuræ, quæ ſempiterna eſt, atque immortalis: interdum ſpectat etiam eum, qui præſenti proponitur, & vtrumque pulcherrima copulatione coniungit. Cùm ergo priorem illum vitæ conſecuturæ finem ſolum intuetur, non modò bona corporis, & externa minimè requirit, ſed felicitatem humanam ſæpe collocat in ærumnis, quarum perpeſſione futuram promeremur, & gradum facimus ad immortalem. Cùm verò poſteriorem hunc contemplatur duplicem, vtrique propoſitum vitæ, & eam quoque ſpectat beatitatem, quæ Chriſtianis ipſis in communi ſocietate degentibus eſt neceſſaria, eadem corporis, & fortunæ bona, quæ virtuti contraria non ſint, admittit in aliquam partem humanæ felicitatis. Vt igitur aliquando videamus, qui nam ex omni philoſophorum numero locuti ſint huic beatitudini congruentius, recenſendi ſunt ij, quibus cum ea de re in contentionem venire poteſt Ariſtoteles. Sunt Platonici, ſunt Stoici, ſunt qui paupertatem, & quæſitum illum corporis ſitum amabant Cynici. Plato quoniam, &

in

in Philebo, & in Gorgia, multa docet eſse bonorum genera, nec debere ſolam virtutem in bonis haberi, videtur à Politica Chriſtianorum felicitate non diſsentire. Stoici quoniam in virtute ponunt omnia, & in equuleo, ac rota exclamaturos ſe profitentur, quàm hoc ſuaue, illam Chriſtianæ philoſophiæ partem videntur exprimere, quæ ad futuram ſolùm immortalis vitæ beatitudinem affectat viam. Poſtremi, qui re domeſtica, domoque neglecta, dolia pro domibus habere malebant, æſtate in arena feruida corpus, hyeme volutabant in niue, alijſque ſe modis ad virtùtis attingendum apicem exercebant, videntur ijs ſimillimi, quos ſanctitate perfectos in ſolitudine vidimus. Sed ſingula haec philoſophiae genera fucata ſunt, & Chriſtianae, ſi rectè perpendantur, apprimè contraria. Nam Plato quidem, quamquam præter virtutem alia bona vult eſse permulta, quia tamen in ſola contemplatione, eaque conſtante, atque perpetua beatitudinem ſitam exiſtimabat, eos qui domeſticis, ciuilibuſque diſtinentur occupationibus humanae vitae neceſsarijs, non à poſſeſſione ſolùm beatae vitae, ſed à ſpe felicitatis eijciebat. Stoici verò, qui nos etiam inter cruciamenta beatos clamant, dicerent ipſi quidem aliquid à noſtra philoſophia non abhorrens, ſi cùm haec dicunt, de futura beatitudine cogitarent, ad quàm per ea tormenta

gra-

gradus eſſet, & tranſitus. ſed non ſic eorum eſt ratio: & cùm de beatitudine loquuntur, hærent in vita. Itaque pugnantia proferunt; & multo quidem magis, quàm ipſi poëtæ. qui cùm Herculem in flammis, & rogo beatum dicunt, dicunt ideo, quòd ex illa concrematione ſit tranſcribendus in cœlum. Illi denique, qui pecuniam, opeſque proijciebant, dici non poteſt quàm longè à recta Chriſtianæ diſciplinæ ratione diſcederent. Meminiſſe quippe nos oportet, eiuſmodi homines fuiſſe potiſſimum Cynicos, hoc eſt eos, quibus arrogantiſſima quædam eſſet, & ſpiritu pleniſſima rerum humanarum contemptio. Pallium illi quidem, vetus, detritumque centunculum, viatoriam ex aluta peram geſtabant humeris, manu baculum, præterea nihil. ſed tamen id de ſe glorioſiſſimè, inſolentiſſimèque prædicabant: ſibi baculum, ac pallium illud eſſe quod Regibus diadema, quod auguribus lituus, quod tiara Pontificibus, quod Imperatoribus paludamentum. Superſtites ſunt adhuc epiſtolæ quædam Diogenis, in quarum vna ſe cum Agamemnone comparat. miror cur ipſo ſe maiorem etiam non diceret Hercule. Video enim ita cultum illum ſuum amaſſe, ac circumſpexiſſe Cynicos, vt nomen Herculis ſibi ſumere non erubeſcerent: quibus nimirum pro leonis exuuio mantica, pro claua baculus eſſet, pro belluis, monſtriſque domandis

dis voluptates, & cupiditates animi, quibus ipſi bellum inferrent. Quin, hac appellatione minimè contenti, monſtroſa etiam arripere vocabula, & nomina voluerunt. Fuit enim eorum aliquis Menedemus nomine (videte hominis intemperias) qui ementito cum habitu Furiæ, hoc eſt pulla veſtitus tunica, eaque talari, cothurnis indutus, & ſublatus Tragicis, fraxineam pro face quatiens manu virgam, oppida circumcurſabat in foris, ac triuijs magna voce proclamans, adeſſe ſe ſpeculatorem ab Inferis, ad Regem vmbrarum denunciaturum in reditu, quæ peccarent in vita mortales. Quid nobiſcum habeat hæc ſecta commune, ſatis ex tanta leuitate poſſet intelligi, niſi cognomentum ipſum Cynici multo declararet ampliùs, quàm longè à Chriſtiana verecundia, & caſtimonia diſcrepet. Neque enim aſſentior ijs, qui à Cynoſarge Gymnaſio, vbi eorum auctor philoſophabatur Antiſthenes, appellatos Cynicos tradunt: cùm viderim apud Athenæum eorum vitæ rationem ita procacem, & fœdam, vt nihil à canina differre videretur. Quippe tradit, fuiſſe pedibus ſemper illotis, impuros, guloſos, voraces, comedones, alienarum venatores cœnarum, & aduentitias vmbras. Ne multa. Diogenes ipſe interrogatus, cur Canis vulgò diceretur, hanc eiuſmodi cognomenti profeſſus eſt cauſam; quòd morderet

ma-

malos, dantibus adblandiretur, non dantibus allatraret. Nihil verò de ijs dico, qui nominis hanc impoſitionem repetunt ab impudentia palmari, qua ipſos etiam vincerent canes. In ea enim Cynici fuerunt hæreſi, vt quæ in connubio, & matrimonio turpia re ipſa non ſunt, nuſquam, ne in foro quidem, & via dicerent eſſe flagitioſa. Res eſt, de qua diſputari probo ſermone non queat. Vnum tamen haud prætermittam, in quo fortaſſe ſine fraude paululum verſari verecundia poterit. Crates ille Thebanus cùm diu, multumque Diogenis fuiſſet auditor, eius diſciplinæ admiratus inſolentiam, adiungere ſe homini decreuit, & tam infami ſodalitio nomen dare. Et erat quidem Crates inter Thebanos proceres longè princeps, atque is, cui ſuppeterent ad beatitudinem omnia, niſi eam in cœno quærere voluiſſet. Lectum illi genus: frequens circa ſeruitium, domus ampliſſima, ſplendida vestis, fundi, latifundia, pecora, pecunia, cùm in nominibus, tùm numerato permulta. Ergo cùm à Diogene frequenter audiſſet, nihil opes ad beatam vitam conferre, nec aliud eſſe plenam domum, quàm nauem impendiò factam, & fabrè; compactam bene, inductam auro, eleganter depictam, ſed improuiſis hauriendam fluctibus, & ſcopulis ſubitò comminuendam. cùm, inquam, hæc à magiſtro ſæpius intellexiſſet, ſurdo cani diutius fabulam

haud eſt paſſus: ſed re familiari, familiaque deſerta, venit in forum, ingenti vocis contentione pronuncians. Crates, Crates, nunc demum te manumittes. proiectaque pecunia, fundiſque poſthabitis, exinde ſolus eſſe cœpit, prope nudus obire vias; quà philoſophari ſecum, quà circumſtante populo concionari. Tantam homini ea morum commutatio conciliauit auctoritatem, & fidem, vt non tanquam canis, quemadmodum ceteri, timeretur, ſed quaſi Lar familiaris coleretur ab omnibus. Ille regere domos, ille lites componere, ille iracundias, inimicitias, inuidias, ceteraſque animi peſtes, & monſtra penitus extirpare. Hipparche tùm erat, virgo, & nobilitate inſignis, & elegantiſſima ſpecie, iam nubilis, & multis expetita procis, cùm ætate, tum opibus, & dignitate florentiſſimis. quibus repudiatis, & ſpretis omnibus, inſtitit maritum ſibi petere Cratem, vetulum iam ætate, cenſu nullo, cultu ſordidum, veſtitu pannoſum. cùmque moueri à poſtulato non poſſet, & ſua ſe mortem inuenturam manu, niſi Cratem coniugem inueniret, acerbè comminaretur, Cratem ipſum rogarunt parentes, vt virginem auerteret ab inſania. Ille, cùm fruſtra tentaſſet omnia: hem inquit ad extremum virgo quem maritum es habitura: & cum dicto caluariam aperuit nudam, ſtrigoſam commonſtrauit faciem, & flaccidas

aures,

aures, interſcapilium retexit gibberum, extuberans; & prope concameratum, baculum, pallium, peram humi depoſuit; in quibus ſupellectilem, & theſaurum omnem habere ſe profitebatur. Enimuero accipit conditionem Hipparche; ſibi conſultum, & prouiſum ſatis eſſe reſpondet. neque ditiorem, neque pulchriorem coniugem velle, quàm Cratem; proinde duceret quò placeret. Ergo puella tam elegans, & nobilis; ſumpto pallio, ac ſcipione, inſerta humeris mantica, cœpit oppida circumire cum Crate, nouo miraculo. Dux autem ille Cynicus, & tanta grauitate philoſophus quid aliud interea facere debuit, niſi quod à Diogene præceptore didicerat? Accubuit in porticu luce clariſſima; & inſpectante corona, virginem imminuiſſet paratam pari conſtantia, niſi Zeno diſcipulus tam turpem exitum fabulæ ab omnium oculis oppoſitu pallij, velut obiecto ſipario ſubmouiſſet. Iſtoſne aliquid non dico noſtra cum philoſophia, ſed ipſa cum humanitate putabimus habère commune? Miror equidem, cur illa vnquam exciderit Alexandro Macedoni vox: malle ſe Diogenem eſſe, quàm Alexandrum. Pro mendacio mihi res eſt: nec eſſe mortalium quemquam ita ſtultum, aut fatuum ſuſpicor, qui non eſſe malit Alexander in Regia, quàm Diogenes in dolio. Ego certè qui, nec Diogenes eſſe poſſum, nec Alexander,

ne ſi poſſim quidem, velim eſſe Diogenes. Sed remoto ioco, notas, & quaſi characteres huius ſectæ videamus ſingulos: vt ex ijs intelligamus, quàm aliena ſit à noſtra Chriſtianorum philoſophia. Maledicentiſſima illa fuit, nulli hominum ordini parcens, nulli mortalium non infeſta. noſtra ſummam linguæ temperantiam habet: nec aliud mordet vitium, niſi quod ſanat. Impudens illa fuit, & inimica verecundiæ. noſtra effectrix eſt pudoris, & caſtimoniæ: nec id fugit ſolùm, quod abhorret ab oculorum, auriumque comprobatione, ſed cauet etiam illud, vt ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, & decorum habeant, & dignitatem. Illa profundebat temerè diuitias; & ne faceret in tempeſtate naufragium, faciebat in tranquillo. hæc excipit epulo pauperes, captiuum redimit, virgines illocabiles collocat, exædificat templa, exedificatis iam addit cultum, & ornamenta. Laudabat illa Democritum, quòd agros deſeruiſſet ſuos, & fieri paſcua publica paſſus eſſet; laudaret hæc ſi donaſſet, & ne rerum inopia pauperes interirent, illa patrimonij negligentia prouidiſſet. Poterat enim, & diuitias fugere, & bene collocare, poterat, ſi patrimonij poſſeſſionem, quaſi carcerem, & ſeruitutem ſub hoſte pertimeſcebat, & iugulo ſuo parcere, & in manus hoſtium non peruenire. Quanto ſane meliùs introſpexit Ariſtoteles,

teles, quicquid in hoc genere vitæ poſſet eſſe probabile; perfectumque numeris ſuis. Cùm enim decreuiſſet, etiam ijs, qui verſantur in contemplatione; atque alteram obtinent partem felicitatis humanæ, ad vitam tuendam quaſdam eſſe neceſſarias opes, & bona fortunæ, ſuſpicatus, aliquos tamen exiſtere poſſe, quibus omnia ſuppeterent in ſolitudine diuinitus, è numero ciuium iſtos exemit, appellandoſque cenſuit Deos, nec in communi mortalium albo collocandos. Quia tamen intelligebat, eiuſmodi homines, ſi vnquam exiſterent, futuros eſſe perpaucos, felicitatem, quæ communis omnium eſſe debet, non in ea contemplatione, ac ſolitudine poſuit, ſed in ijs rebus, quas vnuſquiſque conſequi facilè poſſit. Quo nomine non his Cynicis modò rerum contemptoribus impuris, ſed ceteris quoque philoſophis anteferendus eſt Ariſtoteles. Platonis enim illa contemplatio conſtans atque perpetua, neſcio, an vllius è mortalibus ſit: Stoicorum indolentia eſt planè nullorum. At beatitudo eſt communicanda cum omnibus, ſi debet aliena non eſſe à Chriſtiana philoſophia: quæ nemini aditum ad beatam vitam in Ciuitate degendam intercludit. Aliorum fuit olim iſta ſuperba ſapientia, contendentium, philoſophiam à vulgo abhorrere, paucis contentam eſſe iudicibus, & conſultò multitudinem fugere. Noſtra verò

longè aliter eſt ratio, qui eam ſapientiam vetam eſſe non credimus, quæ faſtidioſa ſit, communemque hominum cœtum auerſetur, & fugiat. Si enim hominis natura eſt ipſa per ſe capax felicitatis, & ſapientiæ, etiam ruſticanos, etiam ſeruos, & barbaros, etiam opifices ſellularios, feminas etiam ipſas ad philoſophandum, & beatitudinem obtinendam oportuit euocare. Maximè igitur à nobis alieni ſunt iſti, qui ſapientiam, & beatitudinem humano generi datam ita vindicant ſibi, vt ceteris oculos, ne publicum ſolem aſpicere poſſint, vel deligare, vel effodere velle videantur. Sapientiùs certè Stoici hac de re iudicaſsent, ſi retinuiſsent in loquendo conſtantiam, & beatitudinem parabilem omnibus eſse voluiſsent. Quamquam enim indolentiam, & perturbationum vacuitatem poſtulabant à ſuis, dicebant tamen, omnibus, etiam ruſticis, & ſeruis, etiam barbaris, etiam feminis eſse philoſophandum. Viderunt nimirum hi, quoniam ſic eſt hominum captus, oportere ſapientiam, & beatitudinem eſse commumem: ſed non in ijs eam poſuerunt rebus, quæ communes omnium eſse poſſint. Itaque ex feminis, ſi Themiſtem excipias vnam, vix alias ſcimus eſse philoſophatas. ex ſeruis præter illum Phædonem, qui, & redemptus pretio, & inſtitutus doctrina fuit à Cebete, alios philoſophos haud habuimus. ex barbaris

Ana-

Anacharſim inuenimus Scytham ; preterea neminem.

Vna demum extitit à Chriſto Liberatore philoſophia ; quæ, & ſingularem illam contemplationis probaret beatitudinem, contentam paucis, aliquorum propriam ; & alteram hanc iuſta corporis, & fortunæ poſtulantem bona, popularem, & communem omnium vellet eſse felicitatem. Quapropter haud minùs exterminauit, & proſcripſit è Chriſtianis doctoribus aliquos Epicuro, vel Ariſtippo ſimiles, qui plus nimio cupiditatibus obſequi vellent, indulgere voluptatibus corporis, diuitijs operam dare, quàm eos qui nuptias, & connubium, qui carnis eſum, ac vini potum ; qui poſseſſionem rerum, qui bellum, iuſtamque defenſionem, qui alia huiuſmodi pacis, & vitæ præſidia Chriſtianis eſse dicerent inconceſsa. Scimus enim hos homines tam ineptè ſeueros grauiſſimo Patrum iudicio in Conuentibus eſse damnatos. vt intelligeremus, Chriſtianam philoſophiam, quamquam ſeueriſſima eſt, non adimere tamen ſuis ea, ſine quibus vita traduci ciuilis, & beatitudo parari non poteſt. Cùm igitur huic diſciplinæ ſic reſpondentem illam ab Ariſtotele propoſitam beatitudinem, ita verò diſſimilem, & diſsentaneam quæ proponitur ab alijs eſse demonſtrauerim, cauſam à me ſuſceptam ſatis exiſtimo ſuperque peroratam : nec aliud video

ſupereſse labori meo ; niſi vt declamatione aliqua , & quaſi talione repercutiam illos , qui ſuperſtitem ſuæ ſapientiæ famam habituros ſe nullam putant , niſi quàm ab Ariſtotelis reprehenſione colligere ſe poſse confidunt. Sed hoc neque vos à me depoſcitis , quorum ad ſupremam vſque laſſitudinem defatigaui iam humanitatem,neque mihi permittit hæc facilis, placabiliſque morum doctrina : quæ tum etiam cùm de ſuis expoſtulat iniurijs, à declamatorio ſtylo ſe continet,omnemque defūgit atrocitatem orationis.

BONVM REGEM PERFICI MORALI CIVILIQVE PHILOSOPHIA.

ORATIO XXIV.

IN Platone tam magno doctrinæ interioris antiſtite duo præter cætera notari video, quorum alterum feciſſe, alterum dixiſſe reprehenditur. Nam, & Academiæ locum, vbi doceret, & cum ſuis vnà meditaretur, in ſolo prorſus inſalubri, ac ſub cælo concreto deſignauit; & cenſuit haud vnquam beatas fore ciuitates, niſi aut Philoſophi Reges fierent, aut Reges ipſi philoſopharentur. Vtrumque carpitur à multis, & tanquam hominis ignari, commotique deliramentum exploditur. Ego verò primum quidem illud irriderem, niſi patroni, defenſoriſq. Baſilij, & ſanctitatem vererer, & extimeſcerem auctoritatem. Quid enim attinet, ſapientiæ, ac literarum amantes aëris peſtilentia conſumere, quorum vitam, vmbratilem ne

dicam, an ſepultam aſſiduae curae tamquam additi vultures exedunt, macerat lucubratio, ipſa mentis agitatio ante diem, & numero conficit? Equidem ex hoc grege noſtro, atque in his Collegij ſeptis, vbi, ſi minùs Philoſophi ſumus, certè vario doctrinæ genere cōnamur imbui, noui perpaucos, ac profectò neminem, qui neceſſe haberet cæli grauitate, ac terræ tractu nebulas inhalante, delumbare contumaciam corporis, & vires exuberantes imminuere; nec ſatis, immo plus etiam quàm ſatis ſit, ipſo ſtudio, ac labore diſcendi non ſuperuacaneum modo robur, ſed neceſſariam quoque firmitatem attereret, & valetudinem celerrimè profligaret. Quin egomet in hunc philoſophantium adſcitus numerum admodum adoleſcens, quamquam, & ſaluberrimo natus eſſem loco, nec in malo, hoc eſt in Romano degerem ſolo, & quod domeſtica frugalitas dare valetudini ſolet, pulcherrimi, lætiſſimique vſura cæli ſubinde perfruerer in Tuſculano, facere tamen haud potui, quin in ipſo ætatis flore, morbo ſenſim viſceribus inſeminato, ex viuido, coloriſque, ac ſucci pleno, fierem illico gracilentus, & quod adhuc etiam cernitis, inducta triſti macie, ſuffuſoque pallore ſubalbidus. Illud, inquam, quod ad aëris inſalubritatem philoſophis idoneam attinet, ſi minùs irrideo, certè non probo. quod autem de philoſophis dicitur Regibus, id verò non

cùm

cùm admiratione, ſolum atque adprobatione ſuſcipio, verùm etiam quantum ipſi quoque probare, atque admirari debeatis, oſtendam hodie, ſi mihi operam dabitis in nouo exornationis argumento, ac genere laboranti. Satis enim opinor, habuit à me commendationis, & laudis hæc morum, ciuiliſque vitæ diſciplina, quàm, & docendo multos tractaui iam annos, & ſæpe dicendo iuſtis ſane præconijs exornaui. Præcipuum tamen huiuſce prædicationis omiſi caput, in eo poſitum, quòd tam frugifera facultas eum nobis, à quo regimur, impertiatur, & exhibeat Principem; non ſic quidem, quemadmodum natura profertur in lucem, ſed ijs inſtructum, expletumque numeris, quibus abſolutum, perfectumque Reſpub. poſtulat. Verumtamen hæc tanta laus haud ita probabilis omnibus eſt, vt nos hunc fundum inire ſine controuerſia, & lite poſſimus. Sunt enim qui philoſophos non modò temperandis vrbibus ineptos credant, verùm etiam rectores populis exitiabiles, & perniciales exiſtiment. quod ſi æquis excipitur auribus, & probatur, iniquis profectò nos exordimur auſpicijs, & meditatam diu laudationem in caſſum, ac fruſtra molimur. Sed ne fruſtra moliamur, amolienda mihi ſunt antè duo quædam præiudicia, anticipatæque omnium pene iam animis opiniones. quarum altera eſt, neminem vnum quam non experimento didicerit, ac tractauerit

artem,

artem, in ea poſſe, non dicam vſu, & re, ſed ne diſputando quidem, ac iudicando rectè verſari, altera, liberalium doctrinam artium, abditarumque cognitionem, ac ſcientiam rerum ciuitatum moderatori, ac Principi non ſolùm prodeſſe nihil, verùm etiam obeſſe quamplurimum. his enim extirpatis errati communis, ac vulgatiſſimi fibris, haud alium opinor offendet obicem, ac repagulum oratio mea.

Falluntur, vt ſic ordiar à primo, qui hominum ingenia, & iudicia maximorum tam anguſtis includunt finibus, vt in ijs ſolùm adipiſci poſſe laudem exiſtiment, quæ re ipſa faciunt, & in quibus vſu, atque exercitatione verſantur. nec intelligunt, ſæpe magnis viris rerum agendarùm occaſionem, neceſſitatemque potiùs deeſſe, quàm facultatem. Næ ille pingendi mirus, & callidus artifex prudentia quoque ſic ceteros vicit, quemadmodum, & ingenio ſuperauit, & antecelluit opere: qui perfectas iam, ac diu, multumque à ſe interpolatas imagines proponere ſolitus erat in pergula tranſeuntibus, vt ipſe pone latens, ac poſt tabulam abditus, vitia, quæ deſignarentur exciperet; haud veritus, à ſe ipſo ad populum, tanquam ad diligentiorem, melioremque iudicem prouocare. Et conſtitit illi tantæ, vel modeſtiæ, vel ſapientiæ fructus haud pœnitendus, cùm à prætereunte ſutore occultæ cuiuſdam aberrationis admonitus, ab aliena didi-

didicit arte quid corrigere deberet in ſua.
Quod ſi etiam inter ſellularios opifices, ſutoreſque veteramentarios inuentus eſt, qui deprehenderet in pictura vitium, ipſius fugiens aciem Apellis, quanto ſanè plures inter excellentiores artifices, atque inter ingenioſos, ac doctos viros inuenientur, qui de rebus ijs, & iudicare,& tranſigere optimè poſſint,quæ proprio ſtudio,curaque nominatim, & electè non profiteantur? Hippiam Eleum ſæpe commemoratum audiſtis, hominem, ſi profeſſionem attendas, aut ſophiſtam, aut philoſophum, aut oratorem; ſi verſatilem, ac deſultoriam ingenij vim, omniuagium, varium, multiformem, ipſum planè Proteum, ac Vertumnum. Hippias adeo cùm aliquando deſcendiſſet Olympiam ad quinquennale certamen,ita omnes,qui aderant in ſe conuertit, vt ex infinita ludorum multitudine, tantaque illa celebritate nihil tota Græcia magis, quàm Hippiam ipſum admirarentur. Erat homini ætas cùm Socrate par, philoſophia mollis, & manſueta: non illa inquam impexa, atque illota, ſed quæ veſtem, & cultum corporis idoneum velit, quæ balneas, atque vnguentum in tempore non recuſet, quæ voluptatem, diuitias, aliaque minora, & ſecundaria bona perfectæ virtuti, atque humanæ felicitati conciliet. Is igitur haud incurioſè compoſitus, indutuſque, gemma quoque nitens, & auro, attonſus, ac prope
nim-

nimbatus, nec minùs ornatu viſendus, quàm philoſophia ſpectabilis, in eo conuentu ad circumfuſam coronam, tota propemodum exaudiente prouincia, ſic ingreſſus eſt dicere. Ego verò prouinciales haud iniquè glorior, omnia bona mea mecum eſſe, me ſequi, mecum ſemper vltro, citroque diſcurrere, ac commeare. Cernitis hunc amictum, totumq. mei corporis inſtrumentum? nihil eorum ego mercatus ſum; nihil è ſutrina, nihil è textrina, nihil in nundinis emi, nihil è cuiuſquam taberna præſtinaui. Hoc pallium impensè candidum nullus mihi lanarius, aut infector, aut fullo vendidit: ego meis feci manibus, & infeci. Tunicam hanc trilicem filo purpureo diſtinctam vndique, ſolus ego contexui domi. Baltheum, quo præcingor, coloribus, & textura Babylonica varium, à nullo phrygione, vel polymitario, vel limborario eſt. ego lamellas aureas adiunxi, ego acu interpunxi, & pinxi omnia; nec ad eam rem vllius opem, aut operam accerſiui. Haſce baxeas cum vittis, & faſcijs, quibus alligantur ad anſas, idem ego mihi compegi. Hunc annulum egomet in orbem inflexi, ego palam clauſi, ego gemmam inſculpſi. Lecytum hanc oleariam ventre protuberante, formaque tereti caſtigatam ego læuigaui, & expoliui, ego ad ſudorem extergendum hanc ex ampulla pendentem ſtrigilem feci. Plura in eodem argumento de illo ſuo

via-

viatico, paratuque cùm omnium admiratione perorauit. Sed ea libens ego prætermiſerim, quia neceſſe non habeo ex Elide, ac Piſa illuſtriora huiuſce rei documenta repetere, quæ mihi apud me ſuppetunt, & domi. vbi continenter ante oculos obuerſatur meos alter Hippias, antiquo illo Eleo longè ſanè maior, ac doctior. Huius hominis, ſi ſtudium quæritur, eſt commune cùm ceteris, literarum, & ſapientiæ, nec vllum eximiè colit, niſi quod in erudito puluere à mathematicis exercetur. Sed tamen ita ſingulis excellit in artibus, quaſi de induſtria fuerit ſingularum præceptionibus inſtitutus. Nihil tam egregiè molitur architectus, aut ſtructor efficit, quod non ipſe machinetur artificioſius, aut efficiat melius. Non capſarius, non tornio; non aurifex, aut inaurator, non bractearius, aût ærarius fuſor; non faber, ſiue materiarius, ſiue ferrarius, ſiue ſegmentarius, non plaſtes, aut ſculptor elegantiùs in ſuo ſe tractat opere, quàm ille verſatur in alieno: & quod ne ipſi quidem valent opifices, idem ille omnium artium ſibi conficit inſtrumenta faberrima. Si malleo, ſi ſerra ſit opus, aut limula, non itur ad extrarium opificium ipſe ſibi conformat omnia, ipſe ſcalpellum, ipſe graphium, ipſe ſecuriculas, & dolabellas extundit, ipſe ad animandum ignem præparat, & conſuit folles. ita ſibi ſatis eſt vnus, & omnino totus aptus ex ſe ſe. Dicam hìc vnum etiam de me; non

qui-

quidem vt glorier in aliquo (neque enim ita ſum lippus, vt ad me peruidendum opus mihi collyrio ſit,) ſed vt ampliùs, explicatiuſque res propoſita declaretur. Mihi labor olim proprius, & cura fuit, inter oratores haud ineleganter dicere, inter poëtas canere non abſurdè; ſtudium autem eſt præſens inter morum magiſtros non ineptè philoſophari. Itaque ſi bonum carmen, aut diſertam orationem, aut diſputationem eruditam tantummodo profero, feci iam ſatis artificio meo. Poſſum tamen etiam in ædificatione aliquid inſpicere, de quo molitores, & fabri non grauatè, ac ſine faſtidio doceantur. poſſum, vbi feriatus, ac per occaſionem in agrum venio, ſi quis irpex, aut capreolus, ſi quæ marra, vel merga, ſi quæ runcina proba non ſit, æque, atque ipſi vinitores intelligere. Quin ſi qua lira, vel porca, ſi quis ſulcus enormis ſit, ſi quid in repaſtinatione, in putandis, aut ablaqueandis vitibus, in ſatione frugum, in arborum inſitione, in re pecuaria peccatum ſit, facilè deprehendo: nec malè me iudicare villici docent, qui ſic admoniti, vel noua propagine tabulas ſupplent, vel aliumcæli poſitum arbuſto quærunt, vel eiuſmodi alia diligenter emēdant, quæ iudicio meo demonſtrantur errata.

Sed vt à re noſtra digrediamur, ac domo, eſt ne quidpiam ex omnium numero, cenſuque rerum; quod philoſophi minùs intelligere debeant, ac facere, quàm quod in prætorio deli-

bera-

beratur, atque in belli puluere geritur? Philoſophorum tamen haud paucos non ſolùm ab Imperatoribus in conſilium adhibitos, verùm etiam exercitum inſtruxiſſe, atque arma callidè, ſapienterque tractaſſe, antiquorum teſtimonio ſcriptorum accepimus. Etenim militarem gloriam, artemque bellicam harum potiſſimum gentium, & vetuſtiſſimam fuiſſe ſcimus, & celeberrimam; Hebræorum in Syria, Ægyptiorum, vel Memphi, vel Alexandriæ, Græcorum in Attica, Cretenſium in Ægæo, Spartanorum Lacedæmone, Macedonum in Æmonia, Romanorum in toto terrarum orbe, Othomanorum in Thracia. Sed apud Hebræos Imperator ille Moyſes ordines, & caſtra diſpoſuit, philoſophus ipſe, & à ſocero ſacerdote, eodemque philoſopho bellicis artibus eruditus: apud Ægyptios Seſoſtris inter philoſophorum, ac ſacerdotum greges educatus, eam inſtituit militiam primus, quæ in Aſiam tranſgreſſa quicquid obuium fuit ad Indiam vſque ſubegit, ac per Scythas in Europam exinde circumacta, ibique conſtituto Macedoniæ regno, in Ægyptum, velut ad carceres iterum reuocata, ab Artritria Regis ſorore philoſophiam eximiè callente, mirum in modum exculta eſt, atque perfecta: apud Graecos, & Socratis diſcipulus Xenophon antè dux in acie viſus, quàm in agmine gregarius, per milliarium ampliùs duo, & trecenta millia cum

tri-

tribus, ac viginti nationibus efferatiſſimis pugnantem ſemper, ſemperque victorem exercitum intra nouem menſes Babylone reduxit in patriam, & Platonis auditor Dion quinque peditum millia, quibus præerat, cùm centum millibus committere non veritus, bello præter omnium expectationem victor, collo patriæ, pro qua pugnabat, Dionyſiorum tyrannidem, iugumque deripuit; & Tarentinus Archita non alijs ſanè præceptionibus, quàm quibus à Pythagora fuerat imbutus, ſeptimùm Imperator factus à ſuis, ſepties acie vicit, ſepties de profligatis hoſtibus, applaudente, ac præeunte currum philoſophia triumphauit. Quid plura de Græcis? Intra ſpatium annorum quinquaginta Miltiadem, Themiſtoclem, Ariſtidem, aliosque numero quidem tricenos, virtute autem, ac rectè factis viros inextincti nominis, ac famæ, nacti ſunt imperatores, quos, & philoſophos, & expolitos omni liberalium artium genere fuiſſe commemorant. Cretenſium itaque Rempublicam adeamus, cuius dominus, ac princeps antiquiſſimus Minos Homeri teſtimonio, & ſubſcriptione Platonis habitus, appellatuſque Contemplator, vſque adeo militiam adamauit, vt claſſem in mare deduxerit primus, & Cyclades, aliaſque prorſus omnes Ægæo confines inſulas armis deuictas imperij ſui fecerit appendices. Lacedæmones ipſi nonne Leonidam, Gilippum, Lyſandrum, Callicrati-

cratidem, Ageſilaum, aliosque permultos, quos habuere duces immortalitatem adeptos, eoſdem quoque philoſophos, & doctrina clariſſimos habuere? Macedones autem plurimos quidem in ſuorum ſerie Regum recenſent Philoſophos, ſed eam gloriam, ſi me audiunt, conferent potiſſimum in Alexandri parentem Philippum; qui Thebis, cùm eſſet obſes, à Lyſi Pythagoreo, & philoſophiam ſibi parauit, & belli ſcientiam tantam, quantam in Macedonica phalange, quàm excogitauit omnium primus, atque in omni diſciplinæ militaris exercitatione demonſtrauit. Quid de Romanis commemorem? apud quos, Cenſorini Catonis ætate, florentiſſima cœpit eſſe res militaris, & præſtantiſſimorum copia ducum prouenire feliciter, & quodammodo ſoboleſcere: cùm videlicet Athenis in Vrbem velut in magnam coloniam deducta ſapientia Catones duos, Æmilios illos, ac Marcellos, Flaminios, ac Scipiones, Metellos, Pompeioſque, doctos ſane viros ſtante Republica peperit, extincta verò, Pollionem, ſuffecit, ac Germanicum, Veſpaſianum, ac Titum, Adrianum, Marc. Aurelium, Alexandrum, alioſq. probatiſſimos regni moderatores, quos haud magis arma ad ſummum gloriæ faſtigium euexerunt, quàm immortalitati literæ commendarunt, ac doctrina. Neque verò neceſſe eſt aut ex Imperio Byzantio repetere Principes illos Græcos philoſophos, literarumque longè

ſcientiſſimos duces Beliſarium, & Narſetem, aut è Germanico Carolum Magnum, Othones duos, ac Sigiſmundum; quibus quemadmodum ætas illa bello maiores haud nacta eſt vllos, ſic neminem vidit doctrina, ſcientiaque ſuperiorem. Atque vtinam Principes Othomanici nominis, & fœdæ ſuperſtitionis immanes duces, Epicurei quidam armati, vt cæperant eſſe, fuiſſent ſemper, nec inter eos extitiſſent vnquam prudentiores illi Philoſophi, Amurates primus, Maometus, Baiazetes, ac Solimanus. Non enim Aſiam penè totam, Africamque in eius Tyrannidis redactam intueremur poteſtatem, nec Chriſtianæ Reipublicæ vulnus impoſitum inſolabiliter, ac fruſtra lugeremus. Itaq. vt hanc orationis partem aliquando concludã, haud magni faciendum eſſe Iuſtinum hiſtoricum puto, cùm in Epaminonda miratur, vnde homini inter literas nato tam exquiſita militiæ ſcientia foret. miror enim ego potiùs, cur illi venerit in mentem id admirari, nec Siculum audierit Diodorum de illo eodem Epaminonda ſic iudicantem: Græcorum ſanè omniũ cùm fortiſſimus, tum agminis ducendi peritiſſimus ideo fuit, quòd omnibus eſſet excultus literis, maximeq. Pythagorica philoſophia.

Abundè adeo demonſtratum, vt reor, eſt quantum plerique ad aliena ſtudia inſitæ facultatis habeant, ac virtutis. Sequitur, vt aliam quoque conuellamus opinionem eorum, qui doctrinam Principibus, & inutilem, & pernicio-

ciosam faciunt. conuellemus autem facilè, ſi diſciplinas obeamus ſingulas, quibus hominis animus eruditur. Vultis humanitatem, & rerum antiquarum cognitionem? vultis eloquentiam hoc luſtrationis initio producamus? Quid Principibus vtilius, quàm ire per veterũ annales, & compendio diſcere quibus viris, quibus artibus domi, militiæque parandum, & augendum imperium ſit? quid ſalutarius, quàm Rerumpublicarum præcipites caſus, conuerſioneſque regnorum inopinatas ex hiſtoria cognoſcere, & quid fœdum incœptu, quid fœdum exitu poſſit eſſe, in aliorum exemplis intueri? Illa verò dicendi facultas animorum regina, quibus debeatur potiùs quàm Regibus, quorum eſt in corpora, non in animorum arbitria voluntateſq. dominatus? Rectè quidem ille regnandæ Reipublicæ gnarus hiſtoricus in Romanorum Principibus hanc laudem obſeruatè notauit, cùm inter eos, qui rerum potiti olim eſſent, primum extitiſſe Neronem dixit, qui neceſſe habuerit ad alienam facundiam habere perfugium. Scimus enim Dictatorem Cæſarem habitum ſummis oratoribus æmulum, in Auguſto promptam, & profluentem orationem, in Tiberio expendendorum etiam verborum artem, in Claudio meditatam eloquentiam minimè vulgarem, & peruagatam fuiſſe. Dialecticam vix audeo tam clara luce donare; cùm non modò tetra, inſuauiſque, verum, vt cùm Gellio dicam, inciuilis

etiam videri maximè ſoleat,& incondita. Suppuderet inquam me,ſtrigoſam hanc,& macilentam artem Regi perdiſcendam proponere; niſi viderem Salomoni diuinitus electo, edoctoque Principi etiam ex eo quæſitam eſſe præſtantiam, quòd ſermonum verſutias apprimè ſciret, & diſſolutiones argumentorum non ignoraret. Nihil de geometria,de geographia,totàque dimetiendi mundi ratione dicatur; quarum illa figuras Imperatori ad collocandum,& dirigendum agmen ſuppeditat varias,hæc ad commercia cùm exteris,ad bella cùm hoſtibus,ad claſſes immittendas,ad deducẽdos,& reducendos exercitus, ad tuendas res ſuas,ad inuadendas alienas,opportunitatem commonſtrat,& facilem viam. Veniamus ad Phyſicam,phyſicarumq. rerum hiſtoriã, quã nemo non ablegauit à Principe. Quid enim attinet, eum qui ciuitatibus annonam, & concordiam parat,animalium,ſtirpium,lapidum venari,& conquirere naturam,dierum,noctiumq. curricula perſequi, mundum ipſum cæleſtibus onuſtum corporibus,aſtrorumq. ducentem choros,ventos,pluuias,turbines,elementorũ coniuges illas copulas, & alterna diſſidia contemplari? Sed video tamen in Achillis clypeo cælatas.

Terraſque,tractuſq. maris,cœlumq. profundum,
Et cita non vnquam defeſſi lumina ſolis,
Et plena penitus coëuntia cornua lunæ,
Pleiadaſque,Hyadaſque, & robuſtum Oriona:
Pinguia quin etiam ter arati iugera campi,

Flu-

Fluminaq. Oceaniq. vagã reuolubilis vndam.

Video in Elei Iouis eburneo ſolio plures inſculptas animantium formas, ipſumque ſedentem inibi Iouem pallio conueſtitum aureo, florumq. ac ſtirpium omnium varietate diſtincto. Quæ profecto nihil indicant aliud, quàm ne ipſa quidem phyſica eos ignorare debere, qui militibus, ac populis imperio præſunt. Quis enim Imperatori copiarum ſapienti clypeus aptior, quàm qui geritur ab Achille, aut quæ veſtis Principi rerum omnium ſcientiſſimo congruentior, quàm quæ Ioui tribuitur Eleo? Enimuero vir ille bonus, ac minimè malus, nec aſpernabilis hiſtoricus Sozomenus Imperatori Theodoſio, cui lucubrationes inſcripſit ſuas, Phyſicam iure optimo gratulatur, eundemq. illo maximè nomine cùm Salomone conferendum putat, quòd naturas lapidum noſſet, herbarumque, ac ſtirpium omnium compertam haberet facultatem, ac vim. Nullam adeo capitaliorem ab vllo Tyranno ſententiam credo prolàtam eſſe, quàm quæ Licinio placuit, cùm ita pronunciauit: liberales artes nihil aliud eſſe, quàm virus humani generis, & publicam luem. Quod enim à Rege quodam Hiſpaniæ mollius aliquanto, mitiuſq. dictum accepimus, viro Principi neque vtiles, neque decoras, & conſentaneas literas eſſe, id verò damnauit ſatis Aragonius Alphonſus, cùm clamitans, ac repugnans haud dubitauit affirmare, vocem illam non hominis eſſe, ſed bouis.

In ſumma nemini non probatur illud Sapientis viri ſuper menſam percelebre dictum, primum poculum ad ſitim, ſecundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad inſaniam pertinere; ſed doctrinæ pateram longè, multumque differre: hoc eſt quanto capaciorem, & crebriorem, tanto conficientiorem eſſe prudentiæ, atq. ad ſanitatem, & ſapientiam propiorem.

Ceterum haud ego tam intemperanter in Principe literas velim, vt ijs, qui eundem illiteratum efflagitant, id dandum, & concedendum eſſe non putem; multis ſanè facultatibus, & doctrinis regem carere minimo cùm incommodo poſſe: ſatiſque, ac ſuper explere partes, atque officium ſuum, ſi publicas inſtituat Academias, & Gymnaſia, vbi rerum omnium propoſita ſit eruditio. quod ne ab ipſo quidem Salomone prætermiſſum eſt; qui priuata, & ſolitaria minimè contentus inſtitutione, domum ædificauit Sapientiæ publicam, columnaſque ſeptem, hoc eſt, ſeptem columnis impoſitos excitauit ſuggeſtus, è quibus illæ ſeptē liberales artes, ac diſciplinæ confluenti populo traderētur. Quin aliqua ſunt in vſu propè quotidiano poſita, quibus tractandis aliorū opera vicaria ſine vllà reprehenſione preſtò Principibus eſſe ſolet. Neque enim aliud, ſublata iam Romanorum Republica, Quæſtoris officiū fuit, quàm id eloqui, ac promulgare, quod Imperatores ſentire cognoſceret: ita prorſus, vt Quæſtor lingua Principis, & vox, armariū

legum, theſaurus famæ publicæ diceretur.

Vna tamen eſt doctrina Morum, ciuiliſque ſcientia, quàm ipſum omnino per ſe tenere principem oporteat: nec ex omni mortalium numero quiſpiam inuenietur, qui hanc ei dare veniam audeat, vt alicui poſſit eiuſmodi partes, & munera demandare. Ad quem enim propriè, ſingulariterq. pertineat principalium cultus, ac diſciplina virtutum, niſi ad Principes, quorum peculiares, & propriæ ſunt? Multos equidem, & doctos, & ſapientes viros miror in eo deceptos eſſe, quòd crediderint, vnam tantummodo ciuilem ſcientiam, hoc eſt Regi perneceſſariam cognitionem, datam eſſe diuinitus Salomoni; qui tamen antecelluit doctrina Principibus Orientis ſolis, vniuerſis; Phœnicibus nimirum, ac Sidonijs, Ægyptijs, Babylonijs, Chaldæis, alijſq. cùm aſtrologiæ, tum omnis ſapientiæ maximè gnaris: nec vidiſſe quod in ſacris illis monumentis obuium eſt, eum de omni quadrupedum genere, de volucribus, de piſcibus, de arboribus, herbiſq. à Libani cedris exorſum, ad hyſſopum vſque ſubnaſcentem in pariete, diſputaſſe; tria denique parabolarum, & carminum quinque millia compoſuiſſe. Quin Tragœdiarum quoque, Comœdiarum, Satyrarumque perelegantem fuiſſe ſcriptorem Toſtato concedendum eſſe dicerem, niſi ſcirem eo tempore nondum in vſum veniſſe Theatri voluptatem, nec alios tum floruiſſe poëtas, niſi quaſdam Si-

byllas, & eos, qui dicti Theologi ſunt, nullo dramate, ſed ſolis hymnis, & ſimplici carmine nobilitatos. Admiratione me, inquam, afficit hæc iſtorum deceptio, ſed non tamen ipſa cauſa deceptionis. In eam quippe diſceſſere ſententiam, quòd viderent, ceteras artes haud magnopere Principi quærendás eſſe, Moralem autem, ac ciuilem eidem ſine piaculo deeſſe non poſſe. quod, & veriſſimum eſt, & ab Ariſtotele in quinto libro de Repub. traditum. vbi quæſtionem de præſtantia Principis aggreſſus exoluere, in eo, qui deligendus eſt Rex, ſiue perſonam eius intuearis, ſiue populi rationem conſideres, triplicem oportere ait excellentiam eſſe; beneficij, potentiæ, virtutis, inprimiſq. iuſtitiæ. Quod enim ad populum attinet, primo quidem, quia ſolùm ea bona perpendit, quæ cómmoditate ſentiuntur, & vſu, quos liberales, ac beneficos videt, eos in primis amat, eorumque poteſtati ſe facilè ſubijcit. deinde, quia credibile prorſus eſt, potentes, ac nobiles viros impediri pudore, quo minùs auarè aliquid, ac turpiter agant, multoq. magis ad imperium idoneos eſſe, quàm ceteros, eos ſibi potiſſimùm populus præponi cupit, & Reges eſſe libenti animo patitur. quia demum hominis iuſtitiam colentis, ac boni viri proprium eſt rem potiùs publicam diligere, quàm priuatam, hunc vnum ex omnibus excellentiſſimum, imperioq. digniſſimum eſſe multitudo decernit. Quod verò ad ipſum pertinet

Re-

Regem, tria velle debet, ac ſequi, vt ametur, vt plectat improbos, ac maximè ſeditioſos, vt diligentiſſimè communi bono, ac publicæ commoditati proſpiciat. At ſi beneficus ſit, haud dubiè diligetur: ſi potentia, & nobilitate præpolleat, tumultus facilè tollet, ac turbas: ſi virtute, inprimiſq. iuſtitia ſit ornatus eximia, priuati boni cauſas ab animo ſuo procul exterminabit omnes, præſtabitq. ſe ciuitatis tutorem, curatoremque publicæ felicitatis. Videtis igitur in earum cenſu rerum, quæ Ariſtotelis iudicio Principem inſtruunt, ſcientiæ, quia minùs eſt neceſſaria, mentionem eſſe nullam, virtutis, ac præſertim iuſtitiæ longè plurimam, nimirum, quia inter omnia Regum ornamenta, atque præſidia primas obtinet partes, occupatque in ipſo Principis animo principatum. Atque, vt intelligamus non eam hìc commemorari iuſtitiam, ac virtutem, quæ ſolo vſu, ac ſine vlla doctrinæ confirmatione paratur, ſed quæ certa ratione, modòq. traditur à philoſophis, diſputationem omnem ita concluſit Ariſtoteles, Sed omnium, quæ dicta iam ſunt, id maximum haberi debet, quod pleriq. hoc tempore parui pendunt; nimirum ad Reipublicæ diſciplinam erudiri. Nihil enim proderunt leges, niſi ciues per diſciplinam Moribus idoneis inſtituantur. Vni, credo, ſunt, qui laudem hanc præripere nobis audeant Iuriſconſulti, quorum ars ad iuſtitiam, ceteraſq. virtutes ciuitati perutiles Magiſtratus, ac Reges multo videtur aptius erudire poſſe, quàm philoſophia. Sed minimè ſuſpi-

ſpicor, eos ignorare, Iuriſprudentiam nihil aliud, niſi Moralis, ciuiliſq. doctrinæ ſurculum quemdam, atque propaginem eſſe; multoq. videri ſatius ipſam trunci peruadere medullam, quàm ramos, aut corticem leuiter attingere. Quòd ſi aliquid apud ipſos eſt ampliùs in iudicijs, ac foro tractandum à Philoſophia non nihil abhorrens, illam ego partem eſſe dixerim, quæ facilè poſſit ad alios allegari. Neque enim neceſſe eſt, Principē ipſum de tegulis, atq. imbricibus audire coram differentes opifices, aut, quod vnus facere poterat Salomon, mulierculas de ſuppoſitis altercantes euincere. Quamquam ne in his quidem dijudicandis, cùm præſertim de æquo agitur, ac bono, Iuriſconſultis deterior philoſophus ſit: immò longè melior, & prudentior eſſe comperietur, modò ſcientiam probè calleat ſuam, nec vllam partem prætermiſerit ex ijs, quibus huius diſciplinæ tota ratio continetur. Quis enim æqui, boniq. vim inſpicere meliùs, quàm philoſophorum natio queat, à quà leges olim conditæ ſunt, & traditæ Iuriſconſultis? qui ſi ſuo ſe muneri ſatisfacere putant, quòd leges tantùm ediſcant, atque inſtar indicis alicuius, ac ſyllabi memoria teneant, nulla ſanè doctrina indigent, ac ne ingenio quidem, aut vllo iudicio. Sin autem id demum eſſe Iuriſprudentis intelligunt, peruidere legum ſenſa, legislatoriſq. conſilium, hoc eſt, vt loquitur apud Vlpianum Celſus, æqui boniq. ſacerdotio fungi, enimuerò coguntur ad Philoſophiam, quæ leges, & iura peperit,

perit,habere perfugium. Mentiar,niſi luculento vos exemplo tanquam arbitros,aut diſceptatores in rem præſentem adducam. Aulum Gellium Romanum ciuem,ſcriptorem Noctium Atticarum Traiano Imperatore, non literatorem modò, verùm etiam officio Iudicem, profeſſione Iuriſconſultum fuiſſe ſatis intelligunt, qui non incurioſè lucubrationes hominis interdum legunt. Gellius adeo,à Prætore Iudex aliquando delectus admodum adoleſcens,Maſurij quidem Sabini,aliorumq. nobilium ea tempeſtate Iuriſperitorum commentarijs exquiſitè, ac nauiter edoctus,ſed nondum per ætatem in ijs verſatus ambagibus,in quibus quoniam iura ſilent, conijcere neceſſe eſt,& arbitrari;Sic,inquam,creatus iudex, in cauſæ cuiuſdam ambiguitatem ſe veniſſe commemorat, ex qua tentare non priùs auſus eſt exitum, quàm Phauorinum Philoſophum conſuluiſſet. Cauſa porrò fuit huiuſmodi. Apud hunc iudicem vir expertæ fidei,omniumque ſermonibus inculpatiſſimus,integerrimuſq. pecuniam repetebat,quàm tamen eſſe datam,& numeratam exilibus admodum docebat argumentis, nec vt ſolemnis eſt iudicij forma, vel expenſi latione,vel menſæ rationibus, aut exhibitione chirographi,aut tabularum obſignatione,aut teſtium interceſſione demonſtrabat. Repetebat autem ab homine non bonæ rei, mendacij, & perfidiæ ſæpe conuicto, moribuſq. ac vita vulgò probroſa defamatiſſimo. qui quoniam neq. tabulis, neque conſuetis in foro mo-

dis

dis argueretur, dimitti ſe, aduerſariumq. de calumnia damnari oportere contendebat. Hìc in vado Gellius hærere, atq. inter ſacrum, ſaxumq. poſitus anxiè cruciari; amicos adeo rogat in conſilium, viros in patrocinijs, ac fori laboribus exercitatos, qui de cauſa diligenter edocti, cũctationem hominis irrident, nec ſedendum diutius, nihilq. dubium eſſe dicunt, quin protinus abſoluendus ſit is, qui nulla ſolemni probatione conuinceretur. Neque enim illam cauſſam eſſe de Moribus apud Cenſorem, ſed apud Iudicem de pecunia. Gellius tamen, quia religioſus erat, & circumſpectus, in ſummo iure latere veritus iniuriam, vel comperendinato reo, vel die diffuſo, ire pergit ad Philoſophum Phauorinum, eiq. de litigatoribus illis, vti res erat, exponit omnia. Tum Phauorinus, religione hominis, & ſollicitudine comprobata, reſpondit vtendum eſſe conſilio M. Catonis viri prudentiſſimi: qui in oratione pro L. Turio dixiſſet, ita maiorum inſtitutis, & moribus obſeruatum, vt ſi quid inter duos actum eſſet, quod neque tabulis, neque teſtibus fieri planum poſſet, apud iudicem quæreretur, vter ex ijs melior eſſet: ac ſi pares eſſent, ſiue boni, ſiue mali, ei prorſus vnde res peteretur, haberetur fides. Nunc autem quoniam is, qui petebat, optimus erat, is vnde petebatur deterrimus, eum damnandum eſſe cenſebat, vnde petebatur. Scio reprehenſioni patere poſſe reſponſum philoſophi, qui Iudici minimè ſupremo ſed ſecundario fuerit author, vt non ſumma iuris faſtigia

ſtigia, & literarum apices, ſed vt æquum bonumq. perquireret, ſtructuræq. Lesbiæ normam admoueret operi non ſuo. Verùm ego ſic cenſeo, itaq. ſapientiſſimi conſultum hominis interpretor, eum voluiſſe quidem iudicari ſecundum illum, quem conſtabat eſſe ſanctiſſimum, ſed non tamen abſq. Magiſtratus imperio, ac facultate; quàm iudex, & petere facilè poterat, & impetrare. Quod quia Gellius efficere noluit, fecit quod proximum erat, vt illo ſe iudicatu abdicaret, & in ea cauſa confeſtim officio iudicis abſolueretur. Sed nos tamen; quoniam id inquirimus, philoſophia ne, an Iuriſprudentia Principi commodior, ac melior ſit, haud neceſſe habemus ad hanc arcem confugere. quamquam enim peccabat in eo Phauorinus, quod iudici, qui partes agere ſecundas debet, imponeret primas; non tamen errabat in æquitate deprehendenda, quam philoſophis Principibus in perſimili cauſa ſequendam putabat, nec audiendos eſſe Iuriſconſultos illos, qui in ſummo iure ſummam crucem innocentiæ propoſitam non extimeſcunt. Cùm igitur, & in alieno etiã artificio plurimùm poſſit philoſophorum ingenium, & publicæ gubernationi facilè ſe conciliet eruditio, & ipſa, quod caput eſt, ciuilis vitæ morumq. ſcientia Regem faciat optimum, quotus quiſq. non videt, Ethicam, Politicamq. ceteris nominibus anguſtè laudari, malignèq. hoc vno, ſatis amplè, cumulatèq. prædicari? Quid enim eſt aliud dare populis ornatum, inſtructumq. partibus ſuis moderatorem,

ac

ac Regem, quàm ciuitatibus impertiri beatitudinem illam, ac requietem, cuius cauſa coaluere intra mœnia mortales, paſſiq. ſe ſunt arctiſſimo legum ſepimento circumdari? Sed tamen adhuc hominum animis opinionem ſemel informatam hærere video, ſentientium de literis haud magnificè, ac ne philoſophis quidem moralibus permittendam eſſe Rempublicam exiſtimantium. Extergere conabor hanc nebulam educenda demum in apertum, atque in lucem tam obdurati iudicij cauſa. qua propoſita, aut litem obtinuiſſe me credam, aut depoſita ſpe, atque conſilio perorabo.

Quantum aſſequor animo, duo Philoſophorum genera fecerunt, vt doctrina tam malè apud iſtos audiret, atq. à Rerumpublicarum adminiſtratione depelleretur. vnum eorum, qui philoſophiam intemperanter amplexi, vel pecuniam ex patrimonio redactam proijciebant in mare, vel ſua ſibi manu oculos extirpabant, vel oculis ipſis in cœlum continenter affixis obuias prolabebantur in foſſas, vel à ſenſibus alienati nullum iam ampliùs ſuper menſam capiebant cibum, niſi quem velut ex inſidijs ipſæ coniuges oggerebant in os, vel in mathematico puluere detenti, imminentem hoſtem non ſentiebant à tergo, vel ciuilitatem omnem, ipſamq. funditus humanitatem exoſi, ſolitarios petebant ſaltus, atque in ferarum latibula penetrabant. quos quidem, & ego ex albo philoſophorum diſpungendos arbitror, & Plato ipſe nullam oppidò

Rei-

Reipublicæ partem attingere pateretur. Magiſtrum enim Socratem audiuerat, ſæpe commemorantem, ſe in ſiluis aliquando iſtorum exempla ſecutum habitaſſe: ſed cùm ibi nullam è ſtirpibus illis, ac plantis ad ea, quæ ipſe percontabatur vnquam ſibi reſpondentem vidiſſet, extemplo domum ea cum opinione reueniſſe; qui agerent in ſiluis, illos profectò non cùm belluis modò, ſed cùm truncis etiam, atque ſtipitibus eſſe conferendos. Alterum eorum eſt, qui à ſtudio philoſophiæ ad gubernacula ciuitatum admoti, crudelius, auariuſq. creditos ſibi populos habuere, quàm ſi ex vltima barbarie fuiſſent ad imperium euocati. Nota eſt Athenionis Peripatetici Mithridatico bello in Atrenienſes immanitas, nota Critiæ Socratis eruditi ſermonibus, & doctrina, nota demum, vt ceteros ſileam, Ariſtonis amœniſſimis Epicureorum diſputationibus innutriti aſperitas inhumana. quæ quidem ego non modò vera eſſe profiteor, ſed id prætere confirmo, ſeptem illos Græciæ ſapientes Tyrannidem ſingulos in publica procuratione ferociter exercuiſſe. Non tamẽ hinc cõſequens eſſe debet, omnes omnino philoſophos inclementes eſſe, ac regẽdis ciuitatibus importunos. Quid enim iniquius, quàm priuatorum vitia velle communicata cum omnibus, aut quæ aliquã peccarunt philoſophi, ea tribuere philoſophiæ? Iſiacum non facit linoſtolia, nec barba philoſophum, antiquũ olim prouerbium fuit, in eos inuentum, qui philoſophi appellationẽ habitumq.

ſpur-

ſpurcis moribus inquinarent. Ex quo genere cùm ad Herodem Atticum Conſularem virum, & amœnè facundum veniſset quidam benè crinitus, ac palliatus, barbaq. ad vmbilicum vſque promiſsa, ſtipem, atq. ad panem coëmendum æs procaciter, & imperanti ſimilis efflagitauit; rogat hominem Herodes quiſnam ille eſset. in quem (quoniam re ipſa erraticus erat, & ſordentium ganearum incola, ſed barba tenus, ac nomine philoſophus) faſtidioſè, atq. inſolenter intuitus, minaci propè vultu, ſonituq. vocis obiurgatorio Philoſophum ſe eſse reſpondet, mirariq. cur id quod oculis videret, interrogatione ſuperuacanea ſibi quærendũ putaſset. Video, ſuſcipit Herodes barbam, & pallium, ſed philoſophum oppidò nondum video: haud dubiè ſignificans, hiſtriones potiùs eſse philoſophiæ, quàm philoſophos, qui vitæ malis inſtitutis ab appellatione illa tam honorifica diſſident. Quis igitur eos verè philoſophos habendos, ac dicendos putet, qui populis, & Reipub. præpoſiti ſub integumento ſapientiæ Buſiridis animum, crudelitatemq. Phalaridis obtendebant? Neq. enim id Philoſophiæ cautum vnquam fuit, quod ſibi cautum edicto voluit Alexander, cùm vetuit imaginẽ ſuam ab alio, quàm à Polycleto ære duci, ab alio cælari quàm à Pyrgotele, ab alio quàm ab Apelle coloribus illini. ſed vnicuiq. licitum ſemper fuit tã auguſtam ſibi perſonam, ac faciem ſumere, nec vlla lege vetitum eſt, eodem pallio tegi cadauera, eodem Philoſophos amiciri.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google